Dicat bona fide P. Bartolus, an tot in voluminibus Historiarum, quas tam accurate facundeque compositas tanto plausu toties edidit, nihil uspiam umquam posuerit, de quo non ipsi constaret ex charta rite subscripta, et iis ad unam omnibus styli forensis cautionibus sic munita, ut nihil contra excipi ab ullo Pragmaticorum aut Legulejorum posset? Sinat igitur nos quoque ex hac, utcumque non rite subscripta charta, non alibi facile reperiendam, veri Xaveriani natalis notitiam sumere. Denique contendo non prorsus anonymum hoc dici scriptum debere, cujus primarium Assertum geminata nomenclatione duorum omni exceptione majorum Autorum firmissime communitum est. Num non in eo disertissime asseritur: quae de Xaverio An. 1506, die 7 Aprilis, nato dicuntur, *e libro manuali Fratris ejus majoris, D. Joannis Azpilcuetae, sumpta esse, qui ea e libello Patris ipsorum, D. Joannis de Jasso, hauserit?* Quid adhuc subscriptionibus egemus? quae potest major autoritas optari? aut cur juvat obstinare perseverantiam in usu glandium etiam post inventas fruges? Ne Tursellinum quidem e rite subscripto, et quod fidem in judicio posset facere, testimonio, Sti. Francisci natalem prodidisse, adverbii *circiter* ad illum appositio declarat; neque enim in authenticis definitionibus temporum illa vox habet, quem equidem pene dejerare ausim: haud tam fastidiose aspernaturum nostrum hoc fuisse monumentum, si vidisset, tam magnis tamque irrecusabilis autoritatis nominibus insigne.

Secunda P. Bartoli contra nostrum Monumentum exceptio est: pro vano illud et nugatorio par esse contemni.

**Ella è fattura di tre, e forze di quatro, per non dire de cinque mani.**

*Quoniam trium, et forte quatuor, ut non dicat quinque, manuum opus sit.* Nova fateor et inopinata observatio rei, quam nec P. Moretus nec ego existimaveramus momenti habere quidquam ad summam negotii quod tractatur. Itaque, neque ille qui, scripturam qua de agitur oculis subiectam habens, judi-

care potuit, e forma ductuque characterum, essent ne manus ejusdem verba liturae superscripta, cum adscriptis, aut e regione ad marginem, aut infra, indicare id curavit, otiosum plane ac supervacaneum autumans, nec mihi referre quidquam id visum. Quare simpliciter putavi, recte omnia isthic lecta in duas dispertiri manus posse, quarum prior verba erroris redarguta exaraverit, altera et lituram fecerit, et quae vel supra, vel a latere, vel inferius leguntur, scripserit. Non ergo impositum mihi pro quinta manu testimonium eo metu rejeci, quod causae rem istam, utro modo se haberet, nocere posse meae crederem; nihil minus: at enim fingi mihi os ac sublini imputanda sententia de qua numquam cogitassem, praesertim imponentis professione ipsius, tum abhorrente a sensu communi, tum rationibus meis infesta, meque sic ridicule traduci, ferre non decuit. Caeterum, ista levatus cura, nunc favere Adversario, quod secure licet, volo: en ei, quantum cupit, gratificari paratus sum. Ajat, per me: modo fide sua, non me testem adhibens; affirmet, inquam, vel quinque vel decem, vel quamplurium optare ac fingere malet manuum istam esse scripturam; multiplicabit pro me testes: cum enim ibi manifeste contra unam primae illius, natum docentis anno 1496 Xaverium, sententiae productricem manum omnes manus aliae decertent, si quinque sint, quatuor illic pro me pugnent; si centum, justa pene centuria copiae augeantur meae: eoque gratulari redactum potero veterem mihi adversae opinionis autorem, ut reputetur similis reprobo illi quondam Ismaëli, *cujus manus contra omnes, et manus omnium contra eum* [6].

Verum, his ludicris omissis, serio jam illud, quod unice ad rem interest, disquiramus. Ecquid prudenter credi possit ac debeat, correctionis hac charta signatae autorem esse Joannem Azpilcuetam? Cardinem in hoc verti controversiae acute perspexit professusque ingenue est Pater ipse Bartolus, sic scribens: *Vengo al fortissimo argomento, che senza dubio è, il dire che Dom Giovanni Azpilcueta, fratello maggiore del Santo, habbia egli cassato quel 1496, e sustituito in vece d' esso 7 Aprilis 1506. Se*

[6] Gen., XVI, 12.

*questo è vero, si vuol credere vera l' emendatione, e pruovato il testo errato, e con ciò la causa è vinta da una parte, e perduta da l' altra.* Ita ille plane cordate ac candide. Hoc igitur nunc agere aggrediens, spero equidem me cuivis, non nimis praeoccupato persuasione contraria, satis quod volo probaturum, dum is mathematicam demonstrationem in conjecturali negotio non requirat. Historica memoria magnam partem fide humana, non metaphysica scientia, verisimilitudine, non evidentia, consistit. Non ergo expectetur aut exigatur a me, ut quasi manifestum subiiciam inficiari haud valentibus oculis, aut primae figurae syllogismo irrecusabilem in hoc assensum menti extorqueam. Sed per omnes sapientes, vulgo habitos, et sensu vitae civilis com[m]uni praeditos, ex aequo et bono censere de humanis assuetos, homines mihi, scio, permittetur esse contento, ubi rationibus pro subjectae materiae natura idoneis ostendero: e duabus hisce invicem commissis opinionibus, una Joannem Azpilcuetam memoratae correctionis autorem ajente, altera negante, quarum haec Patris est Bartoli, priorem illam meam probabiliorem, et tuto ac prudentius videri credibilem.

Firmamenta meae partis haec profero. 1.° Certum est Joannem Azpilcuetam, utcumque maximus natu filiorum omnium D. Joannis de Jasso non fuerit, tamen (ut non raro secundo tertiove geniti, morte aut alio impedimento prius natorum fratrum in vices ac jura Primogenitorum succedunt) certum, inquam, et indubitabile est, Joannem hunc Azpilcuetam, Capitaneum vocatum, aliquando, post patris, [Joannis] Jassi, mortem, officium Patrisfamilias domus Xaveriae in curando sustentandoque in studiis Francisco Xaverio, fratre suo minimo, exercuisse. Docet hoc manifeste hujus ad illum Epistola per S. Ignatium missa et in manus reddita; contra cujus veritatem quam vana sit Patris Bartoli suspicio, suo infra loco monstrabitur.

2.° Eundem Azpilcuetam, ut supervixit suo Primogenito Domino Castri Xaverii, ita minimo quoque fratrum, Francisco, ante annum aetatis quinquagesimum vita functo, superstitem annis tredecim esse potuisse, non excedendo consuetum senectutis humanae modum, inficiari nemo prudens queat; adeoque, quando

est emendata, qua de agimus, charta, circiter annum saeculi prioris quintum et sexagesimum, in vivis ipsum, memorato fungentem munere, perstitisse, haud absurde posse credi. Porro ad illum, aetate ac dignitate talem, pertinuisse pronunciare de controversia circa Francisci Xaverii natalem orta, quis dubitet? Idque illum hac emendatione fecisse, loquendo de se in persona tertia, ut plerumque pari occasione solet fieri, illud suadet, quod qui antiquae deletae scripturae recentiorem superscripsit, mox addens: utrumque indicium veri et anni et diei Fr. Xaverio natalis, e Manuali Joannis Azpilcuetae, et e libello D. Joannis de Jasso parentis amborum petitum; scientiam ostentat, quam fuisse apparet uni, dum viveret, Joanni Azpilcuetae peculiarem, quaeque consequenter personae ipsius characterem praeferat. Nobilis quippe viri Patris familias domus magnae Manualis liber, hoc est notae arcanae memoriales et Aduersaria quotidiana, non aliis perspecta esse quam uni ipsi solent: iam eandem praeterea istam ipsum notitiam e Patris ejus secretis chartis et ephemeridibus hausisse, non facile alii fuisse quam soli Joanni Azpiicuetae compertum apparet. Unde qui hic affirmat, quod nemo verisimiliter praeter Joannem Azpilcuetam novit, Joannes ipse Azpilcueta fuisse, utcumque in tertia de se persona scribens, merito potest et debet intelligi.

3.° Praesertim cum hanc corroboret mirifice conjecturam, promovens ipsam ad gradum alicujus etiam certitudinis, non scholasticae, sed civilis et moralis, in qua quotidianus vitae usus non aegre consuevit acquiescere, quod hodierni Familiae Xaveriae Posteri eam isti chartae autoritatem tribuunt, quae non aliunde quam e manu personave Joannis Azpilcuetae, correctionis autore, competere ipsi jure videatur posse. Pretiosam haberi, maximi fieri, solicitudine non vulgari custodiri chartam istam ab Illmo. Comite Joanne Antonio Xaverio, illius nunc perillustris Familiae Capite, P. Josephus Moretus oculato expertus testimonio affirmat. Quid est autem in ea ob quod tanti haberi mereatur, si notitiam excipias, quae ex duobus ibi laudatis libellis ducitur? Ea porro notitia non aliter authentica credi postet, quam si ex ipso Joanne Azpilcueta profecta existimetur; qui, ut dictum est,

unus utriusque libelli, non alias umquam visi, nusquam hodie extantis, certum dare indicium potuit. Talis igitur Familiae hodie Xaveriae persuasio insedit duorum libellorum, hac consignatam charta, memoriam Joannis Azpilcuetae, qui eam ipse dictaverit aut scripserit, autoritate nisi. Habent stirpes antiquae claritatis traditiones suas domesticas et praejudicatos sensus avitarum notionum, quibus ut ipsae indubitate credunt, ita sine mora in parem persuasionem pertrahunt exteros, non gravate ipsis concedentes ut rerum interiorum ac sibi propriarum plus scire quam alienorum quilibet putentur; censereturque vulgo immodestum et improbum aliter facere; idque foret intolerabilius in iis, qui ex magno istud locorum intervallo attentarent. Habemus ecce hic Romae multas insignes antiquissima claritate domos, sua quasque Tabularia servantes: in his, quae Monumenta nunc viventes Proceres istarum nobilium Prosapiarum pro veris certisque venditant, quis alienus, etsi vicinus, falsi arguere commentitia, vel supposititia criminari ausit? Quanto id iniquius et imprudentius ex hac urbe tentaretur in Familiam, sedes habentem in Navarra, ultra tot montes, trans vasta maria, tot milliarium centuriis interjacentibus, unde ad nos rarum commercium, ubi moribus atque usibus a nostrate consuetudine diversis vivitur? P. Antonius Arrieta, Rector Collegii Pompelonensis nostrae Societatis, cumque illo P. Josephus Moretus, item noster, graves et prudentes viri, isthic in vicinia Castri Xaverii degentes, judicium Comitis Joannis Antonii, Xaveriae Familiae Principis, quod in hac charta de nato Sto. Xaverio anno 1506, die Aprilis septima, docetur, ab Joanne Azpilcueta traditum existimantis, et ipsi pro notitia locali et oculata rerum morumque illius Regni ac Tractus indubitatum habent: et existet Exterus e longinquo, qui contra excipiat, scribat, reclamet, neget? Quanticumque is ingenii sit, ignoscat, quaeso, si domesticis, si vicinis, si rerum praesentium inspectoribus plus credimus.

At enim instat P. Bartolus: producatur Manuale hic laudatum Joannis Azpilcuetae: ostendatur libellus hic citatus D. Joannis de Jasso. Dixi jam utrumque periisse, et utriusque notitiam ex hac haberi charta: idcirco tanti aestimata, tam studiose custo-

dita. Urget idem rursus: cur Lucenae olim, cur sibi postea ipsi, ambobus scriptionem Historiae S. Xaverii meditantibus, atque ad id e Navarra, e domo Xaveria, monumenta corrogantibus, responsum ex hac charta datum non est, quam utique ibi fuisse ante annos, ut fertur, nonaginta illic scriptam ibidemque depositam oportuit? Respondetur: fuisse illic quidem, sed ignoratam, sed occultam; ex qua, qui tum consulebantur, rescribere nequiverunt, quia reperta nondum erat; posterius inventam, qui ejus meritum autoritatemque certo norunt, nunc ultro exhibent. Quam multa ejus generis diu latuisse scimus in Bibliothecarum angulis, in scriniorum ac tabulariorum loculis veterum, quibus bono tandem inventis casu et in lucem atque usum eruderatis, gratulatio fit ingens augeri publicam notitiam, et inveteratos corrigi errores, laetantium? An non sacrae docent Literae [6], sub sancto quondam Rege Josia volumen in Templo Jerosolymitano repertum quoddam, quod ibi fuisse multorum retro Regum temporibus nemo sciverat? Quam igitur vana tum fuisset collectio causantis: sub Josaphato, sub Ezechia et aliis Regibus volumen id in Templo non comparebat: igitur, cum hodie producitur, pro ficto ac subdititio reiiciendum est: tam explodi nunc meretur falsi exceptio adversus chartae hujus, quasi commentitiae ac fraude suppositae fidem a quocumque intentata, ex eo quod ea multis retro annis ibi esse nesciebatur.

Tertium est P. Bartoli ad fidem Nostri Monumenti perimendam argumentum, tam ipsi visum efficax, ut in ejus tractatione, quasi ex certae securitate victoriae,

**«Io rispetto e ammiro ancora in questo giuoco di fantasia il P. Possino.»**

se in facetias remitteret, suaviter irridens meum quemdam (ita enim loquitur) *ludum Phantasiae,*

frustra conflictantis in comminiscenda numquam excogitabili ratione qua contrahi potuerit, ut mendose scriberetur id quod postea emendatum ab Azpilcueta volumus. Nimirum circa id ego in Epistola posueram, suspicari me, cuidam forte instincto cura cognoscendi res S. Xaverii, ex increbescente miraculorum ejus

---

[6] IV Reg. XXII. 8. *Nota auct.*

fama circiter annum ab ejus obitu tertium decimum, saeculi quintum et sexagesimum; et Ejus ea de re domesticos consulenti responsum, a quodam illorum Patre familias absente, hoc redditum, exemplo servato, quod domi reperiens peregre redux Joannes Azpilcueta correxerit. Consultationem istam coram ne an per literas factam crediderim, non expressi clare, cum utrumvis meis queat verbis subiici. Nam ut S. Matthaeum, cum scripsit Evangelii sui cap. VIII, 3, *accessisse ad Christum Centurionem,* certum est intellexisse, non de vero ac proprio, sed de civili ac mediato per alios accessu; cum S. Lucas, idem narrans cap. VII, 6, diserte neget comparuisse ipsum, Amicos pro se ad Christum allegasse contentum; ita nemo aequus recusaverit credere ajenti mihi, Epistolarem cujuspiam, non hispani, e longinguo inquirentis ad Domum Xaveriam accessum, per ista mea verba signari. Perlata igitur isthuc tum fuerit epistola exteri cujusdam latine scripta, cui protinus eadem fuerit lingua rescriptum, apographo, ut plerumque fit, retento; quod vitiose conceptum, deprehensum a reverso posterius Joanne Azpilcueta, correctum ut nunc cernitur fuerit.

**«Io ammiro il P. Possino.»**

Admiror hic et ego mea vice P. Bartolum, nodum in scirpo quaerentem, et inextricabilibus perplexum ambagibus, causantem id, quo nihil planius, nihil expeditius, nihil ad quotidianam usus humani rationem adaptabilius apparet. Nam quod pro absurditate monstrosa tantopere traducit, aditum in Castro Xaverii Azpilcuetam, cum is Obani habitaret, ioculare est. Scripserit Exterus ad Caput Xaveriae Familiae, quocumque is nomine quove domicilio uteretur, non erraturis in Epistola reddenda Tabellariis, quos locorum et rerum praesentium satis evidens notitia doceret. Nec fere interest ubi viri summates et copiosi multarum Domini Aedium pro tempore diversentur; cum praesertim Obanum et Xaverium paucis invicem milliaribus distare compertum sit. Enim vero, quam fuerit facile quod inexplicabile P. Bartolus autumat, monstremus exemplo ex ipso ducto. Haec lego, pag. 3, ejus contra me Dissertationis: *Io più d' una volta ho fatto pregare i Signori di quella casa ad usar diligenza per rinvenire tal libro con la me-*

*moria certa del vero tempo del nascimento del Santo.* Postquam ergo ipse P. Bartolus dedit non semel latinas Roma in Navarram literas consulendae causa Familiae Xaveriae de vero S. Xaverii natali, numquid est mirabile modo ab eodem, uti prorsus incredibile et ab omni verisimilitudine abhorrens, reiici potuisse aliquem anno 1565 pari studio flagrantem ex Italia, Gallia, Germania, quavis alia extra Hispaniam regione, convenire latina Epistola superstites e Xaveria Familia, et ab istorum quopiam istius modi responsum accipere?

Atque hic boni, quaeso, consulat P. Bartolus percontari me ex ipso: quid fuisset acturus, si ad aliquam e suis istis Pompelonem scriptis Epistolis, inventa tunc forte, quam nunc producimus, charta, vel D. Comes Joannes Antonius, vel P. Moretus respondisset: *natum anno 1506, die 7 Aprilis, S. Xaverium:* aspernaturus ne responsum fuerit, ac nihilominus obfirmaturus animum in veteri Turselini sententia? An, sicut alias contra Polanci, Maffaei, Orlandini, omniumque Societatis Historicorum consensum, unanimiter affirmantium S. Ignatium Lutetia in Hispaniam sub finem anni 1535 discessisse; ipse, reperto testimonio idonee probante fuisse illum Aspethiae in sua patria ante Pentecosten ejus anni, errasse in hoc illos universos demonstravit: ita vulgando primus e suggesta recens memoria, tunc commodum bono casu eruderata, vero Indiarum Apostoli natali laudem sibi parasset meritissimam? Hoc potius ut existimem nota ejus sapientia suadet. Cur ergo nunc respuit, quam tunc amplexurus fuerat, novam lucem, indidem profectam unde alias petiit? An oblatae nunc ultro memoriae minor vis, debelior autoritas est, quam tum ad inquisitionem redditae fuisset? An minus hodie fide dignus est Princeps Familiae Xaverii, ex avito Archio Monumentum authenticum sero repertum promens, ex eoque docens rem hactenus ignoratam, quam fuisset si idipsum ante annos viginti P. Bartolo de hoc interroganti respondisset? Fallor. An oportebit tandem agnoscere quod dudum exaudio in aurem insussurratum, hactenus credere cunctatus: facturum eum videri, quod tam aequum apparet, re tunc adhuc integra fuisse, nunc, oppignerata semel in contrarium autoritate, nolle? Postquam

scripsit et edidit, *Natum an. 1497 S. Xaverium*, ipsi videri generosum, inflexibili se involvere constantia; et ad quamlibet pellaces invitationes in tanto verisimiliorem sententiam migrandi, frigidum illud ac rigidum Romani Praesidis dictum opponere: *Quod scripsi, scripsi?* Diem saltem natalem cuilibet anno acco[m]modabilem, de qua nihil prodidit, admitteret. Nam quem, ne id faciat, obtendit metus? ne leviter id credidisse aliquando reprehendamur, terror panicus est: cum temere creditum Patris de die filii natali testimonium Monumento (quale hoc nostrum ostendimus), authentico signatum, nulli umquam justae fore obnoxium reprehensioni queat. At operam perdimus; non audit; diem quoque inexorabiliter respuit. Nec nos inferre vim ejus arbitrio volumus: abundet sane in suo sensu. Scimus sublimium esse mentium, ut perspicacitatem, ita irrevocabilitatem angelicam praesumptarum utcumque persuasionum aemulari. Suo ergo per nos judicio fruatur; nostro vicissim ne uti nos vetet. Ne (quod Mitio Terentianus in Fratre Demea velut injustum culpabat) nihil rectum, nisi quod ipse facit, ipse sapit, putet [7]. Cur aeternis obrui tenebris emergentem vel sero utilem notitiam postulat? Cur super quo ipse privato semel sensu praejudicaverit, ejus cognitione interdicit Publico?

**«P. Bartolus terminat suum scriptum his verbis:** *Doversi metiere la quistione in silentio.»*

Si suis adeo argumentis fidit, cur eorum examen et hujus et posterae recusat aetatis juditio permittere? Proferat, publicet quod vult; audiamur nos quoque post ipsum. Judicent qui sapiunt.

Sed jam, retusis telis omnibus, ab eo contra recens producti ex Archio Xaveriae familiae Monumenti veritatem intortis, quae contra meas idem in illud Animadversiones pergit allegare, proferendi ac refellendi tempus est.

Id agere aggredienti, prima se offert exceptio, qua se validissime P. Bartolus opinatur elisisse robur omne meae cujusdam (quam tamen sibi videri

**«Meglio discorsa,** *melius collectam et solidius fundatam* non

---

[7] *Adelphi*, act. I, Scen. 2.ª, v. 20.

più saldamente fondata, è la ragione che il P. Poss. &.»

dissimulat) argumentationis, non debere credi natum anon 1497 S. Xaverium, ex eo inferentis, quod inde sequeretur, *viginti eum totis annis Scholas Lutetiae trivisse.*

«Il Saverio andò a Parigi di 18 anni: passi per conceduto adunque l'anno 1515: non può negarsi: v' era nel 1535: è verissimo.»

Admittit bona fide quod dixeram: S. Xaverium anno aetatis duodevicesimo Lutetiam Parisiorum a Patre missum dici oportere: concedit eum fuisse Christi annum 1515: assentitur etiam, quod nequit negari, fuisse illic eundem anno 1535. Negat tamen inde rite inferri, perstitisse Xaverium Lutetiae annis viginti; *quoniam Sancius Ramirez de Peralta, Consanguineus Xaverii, in Palatio Xaverio tribus mensibus versatus, testatur, juratus in Actis publicis, se post mortem Dom. de Jasso, Patris ejus, Fr. Xaverium ibi vidisse cum Matre, a qua sustentabatur et providebatur de rebus necessariis tamquam filius illius.* Haec descripsisse se ait *ex Processu Pompelonensi,* fol. 137, post quod statim addit, quasi perfunctus, re plane confecta: *e bastimi questo solo.* Parvo contentus est, cui tantulum est satis. Equidem numquam putavi aliter S. Xaverium Lutetiae in Literarum studiis versatum, quam quo modo nobiles Adolescentes in Academiis morari multis annis solent, revisendo interdum per vacationes statas, aut alia extraordinaria occasione, paternos lares. Itaque rediisse Xaverium in Navarram, nunciato Patris aut morbo aut obitu, etiam si Ramirez iste non diceret, facile crederem; concessurus etiam id eum alias fecisse, quem ex Epistola ad Fratrem Azpilcuetam intelligo, juvenili alacritate promptum ad vias longas citatis equis pervolandas, quo pacto consobrinum quemdam suum Parisiis fuga elapsum sese insecutum ibi ait [8]. Quid autem hoc, per omnium hominum fidem! juvat ad minuendum incommodum transacti a Xaverio Lutetiae in studiis vicennii, quo incomparabiliter minori spatio et S. Ignatius, qui studere grammaticae ceperat anno aetatis tertio et tricesimo, saeculi

[8] Pag. 9. *Nota auct.*

quarto et vicesimo [9]; et Lainius, qui anno 1511 est natus; et Salmeron, Faber aliique e novem primis S. Ignatii Sociis, omnes multo infra annum 1500 in lucem editi, cursum studiorum plene absolverunt? Repetierit ergo Patriam audito vel periculo vel obitu sui Parentis Xaverius: fueritque ibi apud Matrem, Patre mortuo, vel totis, si placet, tribus mensibus (quamquam se, non illum, in Castro Xaverio trimestri moratum Peralta testetur); at postea tamen, ad studia scilicet continuanda, Lutetiam redierit. Quare, aut testem det P. Bartolus oportet ex visu, affirmantem toto saltem decennio Fr. Xaverium, longo vale dicto Parisiensibus Scholis, in Castro Xaverio continue moratum, aut restat semper integra vis argumenti mei; et nihil prorsus ipsi suo isto Ramirez Peralta suffragatur testimonio.

Alia deinde quaedam, ad refutandam veterem nati an. 1497 S. Xaverii sententiam, argumenta ducebam ex Epistola ejusdem ad Jo. Azpilcuetam, adversus quae mirabiliter exardescit P. Bartolus, et eo usque effertur, ut non dubitet, ista Epistola falsi in simulanda, probrosissima me imposturae suspicione aspergere, quasi ausus sim illudere Publico, fictam et supposititiam primus Epistolam edendo. Sed Dei (quod gratus et venerans praedico) singulari beneficio, certa et tutissima ab omni calumniae insultu mea in ista editione fides nullius iram artesve reformidat, quamvis acris ac vehementis Actoris: et quicumque illam mordere conabitur

*Fragili quaerens illidere dentem,*
*offendet solido* [10].

E duobus ego illam egregie authenticis, diligenter invicem collatis, descriptam exemplis, Epistolam vulgavi. Prius suppeditavit R. P. Sebastianus Isquierdus, Munere Assistentis Hispaniae jam tum, uti hodieque hic Romae, laudatissime fungens. Eruendum id ille curaverat ex Archio Collegii nostri Complutensis, cujus Rector, R. P. Laurentius de Colomes, isti descriptioni cura pecu-

[9] Maffaeus, cap. [*sic*]. *Nota auct.* Est autem Ignatii vitae, Maffaeo auctore, caput XVI libri primi.

[10] Hor. Lib. 2, Sat. X. *Nota auct.*

liari se attendisse, ut exacte fieret, testatus est. Alterum, audito hic cogitari de quarumdam non prius publice visarum S. Xaverii Epistolarum editione, ultro ad R. P. Martinum de Esparza submisit, mihi communicandum, R. P. Michaël de Arbizu, Praepositus Provinciae Castellanae Soc. nostrae, quod ille ex ipso, protinus Archetypo, apud suum ex fratre nepotem Comitem de Guindelayn servato, descripsisse se affirmat literis ad eum Patrem datis 6 Mart. An. 1666. Quarum ego literarum cum partem duntaxat aliquam in meis ad eam Epistolam notulis vulgassem, omissis brevitatis gratia pluribus verbis, quibus significabat ipsam se, nota S. Xaverii exaratam manu, chartam prae oculis habitam, ista descriptione fide summa expressisse; cum deinde liber meus per Hispaniam apparuit, eo viso, Illmus. Dominus Franciscus Ayanz d' Arbizu, Comes de Guindilayn, Toparcha Sothesii aliorumque Castrorum, scripsit ad eundem R. P. Martinum de Esparza, expostulans de me quod eam Epistolae Patrui sui P. Michaëlis de Arbizu particulam non adjunxissem: se enim in parte honoris fuisse numeraturum publice cognosci tam sanctum monumentum et venerabilem Reliquiam scripturae autographae S. Indiarum Apostoli a se custodiri. Quam ejus querelam deferenti ad me Patri de Esparza ultro sum fassus justam esse; meamque damnans negligentiam, promisi secunda, si quam hic fieri contingeret, operis ejus editione defectum illum suppleturum. Non igitur dubitabilis est ejus Epistolae autoritas, cujus originale Archetypum usquequaque edito conforme exhibere promptus est modo memoratus hodie superstes Illustrissimus Comes. Unde manifestum est, qui fidenter scribit [1]

**«Ella di certo contiene del falso. Et paulo post: esservi poi del falso è vero per evidenza.»**

*certum esse illa Epistola contineri aliquid falsum,* sancto ipsi Xaverio mendacii notam impingere. Quare sinat me sua illi justius applicata verba reddere, asseverando, *certo falsum esse* quod ipse irrefragabili septem juratorum Testium suffragio se putat evincere: anno 1535, quando S. Xaverius eam Sto. Ignatio commisit ferendam Obanum ad Joannem Azpilcue-

[1] Pag. 7. *Nota auct.*

tam Epistolam, D. Michaëlem Xaverium, omnium ipsorum Primogenitum fratrem, personam Patris familias in domo Xaveria tunc adhuc superstitem gesisse. Quid ergo? Nego istam inquisitionem de Francisci Xaverii vera stirpe ac nobilitate juridice habitam? Minime; sed anno 1535, quo est scripta, qua de agitur, Epistola, eam fuisse actam pernego, ipso palam, qui optime omnium scire potuit, S. Xaverio autore. Hujus enim ex indubitabili chirographo apparet, jam multo ante Joannem Azpilcuetam successisse fratri Majori in Primogenituram familiae Xaveriae; sibique, ut Patris familias in ea domo vice fungentem, consuevisse subministrare quibus opus haberet ad vitam et dignitatem peregre, ubi degebat causa studiorum, sustinendam. Sane multo ante annum 1535 istam inquisitionem factam ipse P. Bartolus significat, dum paulo post ait [12]

**«S. Francesco, prima di darsi a S. Ignatio, il mandò formare.»**

*S. Franciscum, priusquam se S. Ignatio addiceret, eam mandasse formari.* Scimus ex Orlandino addixisse tandem se Ignatio Xaverium anno 1534. Ergo anno circiter 1533 istius sui desiderii declarationem ab eo in Navarram missam oportuit: cui quin extemplo sit obtemperatum, dubitare non sinit quod idem Pater ibi addit: urgenter eum eguisse testificatione tali ad certos honores obtinendos, qui solis eximie nobilibus in Academia Parisiensi tribui sunt soliti, dum ad Gradus in ea literarios promoventur. Quare non inverisimiliter suspicari licet, ante expeditas ipsi Magisterii literas, in quibus ea discretio Nobilium a caeteris certa verborum formula soleret fieri, istius inquisitionis rite habitae suffragium fuisse provisum: quod si ita est, ut tempori advenerit, anno jam tum 1530 Lutetiam debuerit esse perlatum: ejus enim anni die 15 Martii docet idem P. Bartolus [13], S. Xaverium ejus fuisse Magisterii laurea solemniter insignitum. Quam ergo idem Pater in isto Pampilonensi Processu visam a se indicat anni 1535 notam, ea, nisi ad aliquam eorumdem Actorum descriptionem posterius factam pertinet, vel ad

---

[12] Pag. 8. *Nota auct.*

[13] Lib. 2. Vitae S. Ign., pag. 101, 2.ª edic. *Nota auct.*

formulam quampiam eis appositam, mendax certissime ac corrigenda est

Minoris longe momenti sunt alia quaedam a P. Bartolo contra ejus Epistolae veritatem: nempe, ipsam inverisimilia et nobilitati S. Xaverii probrosa narrare, dum ipsum, ob non in tempore perlata e domo subsidia, in magnam interdum devenisse inopiam, ait, cui cogeretur, mutuata ab Ignatio et aliis Amicis pecunia, succurrere; quam mutuationem P. Bartolus, ut invidiosius rem augeat, eleemosynae corrogationem appellat. Verum nihil novum aut cuivis nobilitati magnopere pudendum in eo est. Fit plerumque ut locupletissimi, quippe peregrinantes, in similes casus incidant. Possem nominare splendidissimam antiqua nobilitate atque opibus affluentem Galliae familiam, cujus Primogenitus Adolescens hic Romae in tam miserabiles aliquando est redactus incitas, ut victitare aliquamdiu precario cogeretur, donec Mater admonita Procuratorem curriculo mitteret, decem librarum Francicarum millibus instructum: nihil ergo causae est cur, quod de se S. Xaverius ibi refert, aut inverisimile, aut ipsi exprobabile putetur.

Quod ego alicubi obiter de illa eadem Epistola dixeram, ex ejus compositione ac stylo apparere non fuisse illam ab homine duodequadragenario conscriptam (nam octo et triginta annorum eum fuisse oportuit anno 1535, si anno 1497 natus est), stomachosius P. Bartolus submovet, aiens [14] sibi eam legenti *longe aliud visum*. Quin paulo post [15] adjungit:

**Me n' è paruto all' opposto.**

*quemlibet alium, qui eam legat, pariter secum judicaturum.*

**Stimo ogni altro che la legga doverne credere come me.**

Quod de similiter atque ipse praeoccupatis concesserim, de indifferentibus ac praejudicio liberis non item. Cui enim, ut alia omittam (nam his immorari non est tanti), illa tam anxia solicitudo, pagina ibi quarta significata, purgandi se a quibusdam malevolis delationibus, ad Azpilcuetam de se factis, non merito vi-

---

[14] Pag. 6. *Nota auct.*

[15] Pag. 7. *Nota auct.*

deatur emphasim habere quasi adolescentiae cujusdam, multo certe minoris prope quadragenaria autoritate gravitatis? Sed de hoc judicent, pro suo arbitrio et sapientia, qui tanti putabunt iis attendere.

Ad causae jam caput transeundum est. Pater enim Bartolus, extrema Epistola incumbens, ad robuste stabiliendam suam de S. Xaverio an. 1497 sententiam, multa in eam rem congerit. Primum ait, Cardinalem de Monte, in Relatione coram Pontifice habita pro Canonizatione, S. Xaverium natum illo anno posuisse, quod scilicet in datis libellis e Turselino descriptum legebatur, nulla de hoc quaesita comparatave nova notitia; fide, ut fit in talibus, penes autorem relicta; quod multam autoritatis additionem infert. Deinde adjungit, non aspernandam videri debere observationem concursus anni S. Xaverio natalis cum eo, quo penetravit in Indias primus Lusitanorum, Vascus Gama. Digitus hic intenditur in fontem ac caput tabulae totius. Credibile quippe est, qui primus natum isto anno Xaverium finxit, id eo studio fecisse, ut natalis ejus cum Indiarum apertione congrueret; in quo illum modice sua ratio fefellit, anno uno aberrantem. Solvit enim tantum e Lusitania Vascus an. 1497, sed sequenti duntaxat pervenit in Indias. Verum istae concinnitates ad indagationem facti parum autoritatis habent; satisque ad divinae circa ea Providentiae commendationem est; ea circiter tempestate, qua semel patens in Orientales Indias e Lusitania maritimum iter magis magisque frequentabatur, stabiliebaturque Lusitanorum cum Indis commercii libertas et securitas, Indiarum futurum Apostolum anno 1506 prodire in lucem.

Tertium magnifice argumentum P. Bartolus jactat ex *Processu* quodam *Philippinensi* ductum, in quo quidam *Rodericus* testatur, visum a se in insulis Amboini an. 1546 Xaverium, quem ait se ex specie putasse *fuisse tunc aetate annorum quadraginta quinque plus minusve, capite jam sparso aliquibus canis, barba vero adhuc nigra.* Hactenus Rodericus: cujus testimonium mihi magis quam P. Bartolo favere, sic ostendo. Si natus fuisset S. Xaverius an. 1497, manifestum est anno eum 1546 annos novem saltem et quadraginta vere fuisse numeraturum; ac

consequenter, quia fractus attritusque apostolicis laboribus senior quam revera esset apparebat, annos ei multo ultra quinquaginta debuisset Rodericus tribuere. Cum igitur quinque et quadraginta solum assignet, signum est S. Xaverium anno potius 1506, ut nos volumus, quam 1497, ut P. Bartolus contendit, natum fuisse. Quare non magis huic censeo tale testimonium curandum, quam illud aliud cujus meminit [16], opinantis An. 1517 eum natalem contigisse. Nam universaliter ejusmodi testium auditionibus id attenditur, quod se vidisse aut certo scire qui interrogantur jurant, non autem quod se opinatos ex conjectura quadam indicant. Commemorat denique P. Bartolus, ex Turselino et ipsius S. Xaverii Epistola, testimonia de ipsius canitie, quam ad majoris quam nos volumus aetatis argumentum rapit; sed non multum efficax; cum certum sit aerumnis ac solicitudinibus canos etiam juvenibus illini: unde illud vetus est de Adolescente, timore quopiam ac cura vehemente una nocte incanescente:

*O nox, quam longa es, quae facis una senem!*

Nam quem, ut huic exceptioni occurrat, affert locum Celsi, hic de illis intelligitur qui, bene pasti et curati, soluto solicitudinibus animo, venationibus aut palaestra corpore exercent, quibus quam dissimilis S. Xaverius fuerit, res ipsa loquitur.

Sed jam aliquando tam prolixae lectionis taedio levare V. R. oportet; quod faciam, orando ut, quoniam oppositis per R. P. Bartolum, adversus Monumentum a R. P. Moreto prolatum et Epistolam super hoc meam, argumentis satisfecisse me confido; dignetur impetrare a nostro Patre facultatem utrumque vulgandi, cum id fore publice utile sex saltem omni exceptione majores judicaverint Censores: tres videlicet Generales Romae Revisores, qui hoc R.ae V.ae coram testati sunt: postque hos, nullo habito cum iis colloquio, ut eorum autoritate permoti videri queant, verum sponte ac libere, Reverendi Patres, et in SS. Actis dijudicandis, natalibus horum ac similibus epochis

[16] Pag. 11. *Nota auct.*

controversis Chronologica Methodo definiendis tam exercitati, Godefridus Henschenius, Daniel Papebrochius, et iis nuper adjunctus Daniel Cardon, qui, ea scripta, a me ad ipsos privata familiaritate ut cognoscerent submissa, ultro edenda censuerunt Antuerpiae ubi degunt; et ejus rei faciendae veniam a suo isthic Provinciali postularunt, qui et ipse, cum id sibi placere demonstrasset, dilationem eo duntaxat animo interposuit, quoad de re Roma profecta sensum V.ae R.ae, res illic Assistentiae suae curantis, quam de hoc ipso consuluit, intelligeret.

R.ae V.ae Servus in Christo,

PETRUS POSSINUS.

In Collegio Romano 20 Maii 1676.

## 4

## COMMORATIO STI. FRANCISCI XAVERII

### BONONIAE ANNO 1537 [1].

*Xaverius bononiensibus cunctis exemplo est, uberrimum animarum fructum colligit, et dulcissimam suae sanctitatis memoriam apud pios homines relinquit.*

†

### INFORMATIONE

DEL PRINCIPIO ET ORIGINE DI TUTTE LE COSE NOTABILI
DEL COLLEGIO DELLA COMPAGNIA DI GIESÙ DI BOLOGNA,
FATTA DA DON FRANCESCO PALMIO,
RETTORE DI DETTO COLLEGIO,
ET MANDATA AL MOLTO RDO. P. EUERARDO MERCURIANO,
GENERALE DI DETTA COMPAGNIA

Per dare piena cognitione a V. R. Ptà. del principio et origine di questo collegio, et particolarmente come non senza diuina prouidenza si troua in questo luogo et chiesa di Sta. Lucia, ho fatta la presente informatione, della quale, come spero nel Signore, restarà sodisfatta e consolata, sì per la descrittione delle buone qualitadi del sito, come anco di tutte le cose principali che del suo comminciamento per sino al presente sono successe; di che mi sforzarò con ordine, breuità et chiarezza, informarla.

[1] Ex apographo coaevo, in *Cod. Recuerdos,* ff. 25-28. De origine bononiensis collegii quaedam habes in *Epist. Mixtae,* IV, pags. 717-719.

Et per cominciare, saprà V. P. come quel felice anno, che la santa memoria del N. R. P. Ignatio uenne in Italia, e particularmente en Venetia, che fu l' anno 1536, per aspettare iui li altri suoi compagni, nel cui numero fu la beata anima del R. P. Francesco Xauier, oue, secondo l' ordine hauuto con gl' altri, giunse nel principio dell anno 1537. La causa di tal ragunanza sa V. P. che fu per andar di là al santo sepolchro; ma soprauenendo l' impedimento della guerra fra signori venetiani et il gran turcho, non senza dispositione diuina fu impedito il disegno. Et per non perdere in questo mentre il tempo, ma occuparsi detti Padri nel diuino seruitio et aiuto del prossimo, deliberorono fra loro di diuidersi per le principali vniversitadi d' Italia, come Padoua, Ferrara, Bologna, Siena, Roma; et per diuina dispositione toccò Bologna al benedetto P. Francesco Xauier, a fine ch' egli in essa mettesse li primi fondamenti della Compagnia; alla quale giunto che fu, secondo il suo costume, andò ad albergare all' hospitale; et sì come era molto deuoto del P. S. Domenico (cui corpo, come sa V. P., è in Bologna), la prima messa che in questa città celebrò fu alla cappella, oue è quel santo corpo, nella chiesa di domenicani.

Accade che, per ordinatione diuina, che quella matina alla detta sua messa si trouassero presenti due suore, Margarita, nobile spagnola, donna di molta perfettione et santità, la quale a posta di Spagna era uenuta a Bologna per finirui la uita, per la deuotione ch' haueua a quel beatissimo santo; l' altra si chiamaua suor Isabetta, italiana, la quale, sì come si era sorella di habito e proffessione, così compagna et sorella carissima in virtù et santità; le quali, odorata la santità di detto Padre, doppo la messa li uolsero parlare; et il ragionamento fu tale, che restorono molto edificate et consolate nel Signore. Et perchè suor' Isabetta fu nepote d' un uenerando sacerdote, per nome D. Geronimo Casalino, dottor di sacri canoni, et canonico dell' insigne collegiata di S. Petronio, et rettore della parochia di Sta. Lucia di questa città [2], la quale hora è nostra chiesa, nella canonica

[2] Exstant Hieronymi Casalini ad Ignatium litterae, 5 Julii 1555 datae, quas in laudato opere edidimus. *Epist. Mixtae*, IV, 717-719.

della quale detto sacerdote faceua residentia, et in sua compagnia teneua la sua detta nepote, suor Isabetta, la quale pregò il B. Padre si degnasse uisitare il suo zio, acciò con essempio e sue sante essortationi lo potesse aiutare a far bene l' officio suo; il che il B. Padre con molta humiltà, carità et prudenzia fece. La cui uisita fu tale, che quel buon sacerdote ne restò molto edificato e consolato nel Signore, et perciò lo pregò si degnasse, per il tempo che staua in Bologna, hauitar con lui, offerendogli la stanza, et ciò che gli bisognaua. Accettò il B. Padre l' offerta dell' habitatione, ma el uiuer se lo uolse trouare con la santa mendicità. Io più uolte son stato, anzi ho dormito, nella stanza oue egli havitaua. Et con tanta santità seruiua a Dio N. S., di che ricordandomene, mi daua divotione. La stanza, oue per molti mesi habitò, io per deuotione la feci conuertire in una cappella, intitolota Circuncisione, et fu la prima che si edificasse in Santa Lucia doppo che fu essa chiesa unita al collegio. Si fermò dunque per molti mesi in Bologna, habitando nella casa di detta chiesa, oue ogni giorno celebraua la messa. Il resto del tempo spendeua in confessare, uisitare hospitali, seruire a poueri, predicare in piazza, et insegnar la dotrina christiana. Et avvegnachè [a] la virtù et santità di detto Padre sia tanta et tale, et così manifesta nella Compagnia, come è, e non accaderebbe come di cosa nuoua ne dicessi parola; nondimeno non posso nè debbo tacere quello, che qui ho inteso da persone degne di fede, quali hanno ueduto con li suoi occhi et sentito le cose marauigliose di questo Padre. Mi hanno referito che erat uir desideriorum [3], et multae orationis, tardo nel parlare, ma molto efficace. Parlaua delle cose di Dio con grandissimo sentimento et penetraua i cuori alli auditori. Nella messa, massime de la passione, hauea sentimenti et lacrime abondanti: et ho inteso che un venerdì [b], celebrando la messa della Croce in Santa Lucia, nel memento fu rapito da un' estasi, che ui stette più d' un hora; et tirandoli il chierico, che seruiua alla messa, per le vesti, non sentì mai. Et que-

[a] auuengachè *ms.* [b] venardì *ms.*

[3] DAN., IX, 23.

sto intesi dal detto Padre D. Geronimo, et da altre persone che furono presenti [c].

Nella chiesa di Sta. Lucia, oue, come ho detto, dimorò tutto il tempo che stete in Bologna, aiutò molte anime nelle confessioni, inducendo molti utriusque sexus alla frequenza de santi sacramenti, al che attendeua molto assiduamente. Et io ne ho conosciuto molti, e ne conosco anchora alcuni che viuono, quali furono suoi figlioli spirituali, et poi sonno stati miei doppo lui, dalli quali ho intesso le dette cose, et altre, di detto Padre, cuius memoria in benedictione est [4], et erit in aeternum. E fra gli altri uno fu il detto D. Geronimo, et una matrona, per nome signora Violante Gozzadina, prima madre di questo collegio bolognese [5]. Fu moglie del Signor caualier et senatore Camillo Gozzadino, ma all' hora uedoua con quattro figli maschi et una femina, giovani belli et prosperosi, quali ho conosciuti et pratticati familiarmente. Li tre figli minori, che erano laici, morirono, restando il maggiore, quale era sacerdote, et la femina. Questa benedetta dona si affettionò tanto alla virtù e santità di detto Padre, che si ripotaua felice potersi confessare da sua reverentia, et hauer qualche documento spirituale. Et la uita et virtù di questa matrona fu tale, che ben si conoscea esser stata figlia spirituale di quel Padre santo: et io lo so, perchè fui confessor suo per molti anni fin alla morte sua.

Doppo che il detto Padre fu fermato per molti mesi in Bologna, et fatto in molti frutto, quia alio uocabat eum Dominus, la santa memoria del P. Ignatio lo chiamò a Roma, oue si fermò fin tanto, che poi fu mandato l' anno del 1540 all' Indie Orientali; et nell' andarui uolse passar per Bologna, per uisitare gl' amici et diuoti, et ritornò al suo solito albergo, a Santa Lucia, et così uisitò et consolò [*sic*] nel Signore. Et mi riferì il detto don Geronimo et la signora Violante et altri, ch' hauendo

[c] presente *ms.*

[4] Eccli., XLV, 1.

[5] De Violantia Gozzadina ejusque filiis agunt *Epist. Mixtae*, IV, 478, 479 et 719; V, 516-518 et 603; *Monum. Ignatiana*, Series prima, VIII, 170, 183, 188, etc.

detto esso Padre a gl' amici et deuoti che in tal giorno douea partire, molti, sì huomini come donne, per tema di non uederlo, o non hauer commodità di parlarli, quell' istesso giorno che douea partire, di due hore inanzi giorno si trouorno alla porta della chiesa di Santa Lucia, aspettando che si aprisse, come si fece al tempo suo, per entrare. Tutti entrorono, si riconciliorono, udirono la messa et si communicorono, et, rese le gratie con la sua allegrezza spirituale, li andò incontro a tutti nella chiessa per la dipartenza. Et dicendo egli che credea quod amplius in hac uita non uiderent faciem eius, in hoc uerbo factus est fletus magnus; et procumbentes viri super collum eius, et mulieres sacras eius manus deosculantes, pareua a punto la partenza di S. Paulo da Efeso in Hierusalem [6], lasciando in Bologna grand' odore della santità sua, et desiderio di sè. Per questa cagione ab ea die tutti quelli della Compagnia, etiamdio ante eius confirmationem, nell' andare inanzi et in dietro, capitauano all' albergo et hospitio, che nostro signore Dio l' hauea per mezzo di quel santo Padre preparato, dando in questo ad intendere, che qui si douea fermare la Compagnia, come li effetti successi di poi l' hanno dimostrato.

---

[6] ACT. APOST., XX, 36-38.

# SANCTUS FRANCISCUS XAVERIUS
## NUNTIUS APOSTOLICAE SEDIS AD INDOS

### BREVIA PONTIFICIA

## 5
## PAULUS PAPA III
### PP. FRANCISCO XAVERIO ET SIMONI RODERICIO

ROMA 27 JULII 1540 [1].

*Summus pontifex Xaverium et Rodericium legatos in Indiam, regi Portugalliae subjectam, creat et mittit, plenissima potestate praeditos.*

Dilectis [a] filiis Francisco Sauier ac Simoni Roderici [b], clericis [c] pampilonensis et visensis dioecesis respectiue, nostris et apostolice sedis nuntiis.

Dilecti filii, salutem etc. [d].

Cum, sicut charissimus in Xpo. filius noster Joannes, Portugalliae et Algarbiorum rex illustris, nobis nuper exponi fecit, in nonnullis Rubri, Persici et Oceani marium insulis, necnon [e] prouinciis et locis Indie citra et ultra Gangen, et [f] ultra et citra promontorium, Caput Bone Spei nuncupatum, sub temporali dominio ipsius Joannis regis consistentibus, in quibus fides Xpi., de qua ante clarae memoriae Emanuelis, praefati Joannis regis genitoris, regimen [g] in partibus illis nulla erat memoria [h], nouiter, diuina inspirante gratia, recepta [i] est, et [j] a quamplurimis coli et obseruari cepit [k], illi, ad quorum corda eiusdem fidei cognitio

[a] *Ante hoc verbum, in «Brev.»*: Pro Ser.mo rege domino nostro; *in «Gonç.»* Paulus papa III. [b] Roderico *Gon.* [c] *Deest in «Gon.»* [d] salutem et apostolicam benedictionem *Gon.* [e] nec *Gon.* [f] ac *Brev., Gon.* [g] *Pro* regimen, *alia ex.:* reperta. [h] *In ms., loco superiorum 17 verborum, prius scriptum fuerat:* que antea in illis erat omnibus inuisa. [i] incepta *Brev.;* incoepta *Gon.* [j] *Deest in aliis ex.* [k] cepi *Brev.;* cumque *Gon.*

[1] Ex apographo, in «Archivo secreto Vaticano», *Brevi. Paulo III, anno 1540*, t. III, n.° 646. Aliud exstat exemplum in codice *Brevia et rescr. antiq.*, 1 fol., n. 6; et aliud in *Hist. P. Gonçalves*, in exemplare Biblioth. Nation. Ulyssip., fol. 2.°. Ejus vero lusitana versio habetur in eadem Historia, lib. I, cap. 8.

nondum penetrauit, conuersos nouiter ad illam falsis et infidelibus suasionibus ab eadem fide retrahere ac alias [l] contaminare et peruertere conentur. Nos, qui ex pastoralis officii debito commissum nobis gregem, praesertim tenellum, in pio suo proposito confouere, et a rapacium luporum morsibus defendere, ac dictae fidei conseruationem, propagationem et incrementum omni studio curare debemus, in praemissis oportune prouidere cupientes, vos, de quorum fide, religione, probitate, pietate, prudentia et doctrina plurimum in Domino confidimus, nostros et apostolice sedis nuntios ad omnes et singulas insulas, prouincias et loca praedicta, illarumque populos, incolas et habitatores duximus destinandos [m], ideoque vobis et uestrum cuilibet per praesentes committimus et mandamus quatenus [n] ad insulas, prouincias et loca praedicta quantocius [o] accedere, et dictum nouellum gregem, per euangelii praedicationem et illius ac aliarum sacrarum litterarum declarationem aliaque catholica documenta et monitiones ac bonorum operum exercitia, in eadem fide corroborare et confirmare, et [p] eos, qui fidem ipsam nondum agnouerunt [q], ad illam agnoscendum, colendum et custodiendum [r] inuitare et inducere auctoritate nostra curetis.

Nos enim, ut in praemissis eo magis proficere [s] ualeatis, quo maior facultas nobis desuper attributa fuerit, vobis et uestrum cuilibet, [per uos uel alios idoneos per uos probandos et eligendos in insulis, prouinciis et locis praedictis, quamdiu in illis manseritis, ita ut, recedentibus uobis ab illis, uestra et aliorum praedictorum cesset auctoritas,] [t] euangelium et sacras scripturas praedicandi [u], cum heresum et errorum detestatione, praedicandi [v], declarandi et docendi, ac hereticorum et scandalosorum librorum et scripturarum lectiones prohibendi et interdicendi; confessionesque eorumdem populorum, incolarum et habitatorum quorum

---

[l] et alios, *pro* ac alias, *Brev., Gon.* [m] destinatos *Brev., Gon.* [n] qtus. *ms., Brev.* [o] quanto citius *Brev., Gon.* [p] ac *Gon.* [q] agnouerint *Brev., Gon.* [r] agnoscendam, colendam et custodiendam *Gon.* [s] perficere *Brev., Gon.* [t] *Quae uncinis quadratis includuntur, forte in ms. obliterata sunt; linea enim supra versus, haec verba continentes, ducta est. In aliis exemplis desiderantur.* [u] praedictas *Gon.; deest in «Brev.»* [v] predicandi et *Brev.*

cumque existentium [x] uobis eorum peccata confiteri uolentium, audiendi, et ipsis confessionibus diligenter auditis, eos et eorum quemlibet ab omnibus et singulis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, etiam heresum, et aliis quantumcumque grauibus et enormibus, etiam talibus, propter que dicta sedes merito consulenda foret, exceptis contentis in bulla, que in die cene Domini solita est legi, absoluendi, eisque pro commissis penitentiam salutarem iniungendi: vota vero quecumque, per eos pro tempore emissa, vltramarino [y], uisitationis liminum beatorum apostolorum [z] Petri et Pauli, et [a] sancti Jacobi in Compostella, necnon religionis et castitatis uotis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi, ac incolis et habitatoribus et aliis praedictis eucharistie et alia ecclesiastica [b] sacramenta ministrandi. Ac qui [c] infra spatium octo dierum, postquam hoc eis intimatum fuerit, eorum [d] conscientias debite examinauerint, et uobis, seu a uobis probatis idoneis [e], eorum peccata confessi fuerint, vna uice tantum in vita, et si in mortis articulo fuerint [f], plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concedendi et elargiendi, ac alios habiles et idoneos, quorum item auctoritas [g] in vestro ex partibus illis reditu cessare volumus, ad praemissa deputandi, plenam [h] auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus praemissis, ac [i] apostolicis [j] constitutionibus et statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

---

[x] *Superiora duo verba desunt in aliis exemplis.* [y] ultramarinae *Gon.* [z] *Deest in «Brev.»* [a] ac *Brev., Gon.* [b] ecclesiae *Gon.* [c] *Deest in «Gon.»* [d] et eorum *Brev., Gon.* [e] predictis *Brev.;* praedictis *Gon.* [f] *Obliterata sunt haec verba in ms.:* et generaliter omnibus, qui ab hac luce cum contritionis signo in unitate uerae fidei migrauerint. [g] quorum tamen auctoritatem *Brev., Gon.* [h] deputandum, plenam *Gon.* [i] in *Gon.* [j] *In «Brev.» et «Gon.», loco sequentium:* in prouincialibus et sinodalibus conciliis editus, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibus etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis [quacumque, *pro* quauis, *Gon.*] firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus [caeterisque *addit.* «*Gon.*»] contrariis quibuscunque. Datum [Romae apud sanctum Petrum *addit* «*Gon.*»] sub annulo Piscatoris die... Augusti 1540, pontificatus nostri anno sexto. Blosius.

Datum Rome apud S. Marcum, 27 Julii 1540, anno 6.°

*Alia manu.* Sanctissimus dominus noster, instante Rmo. domino meo, domino cardinali de Monte [2], fuit contentus quod aliqua concederentur ad edificationem illius gentis; videtur autem quod haec talia [ ] [k].

HIERONYMUS, CARDINALIS GHINUCCIUS.

BLOSIUS [3].

Duplicatum.

## 6

## PAULUS PAPA III

### PP. FRANC. XAVERIO ET SIMONI RODERICIO

ROMA 2 AUGUSTI 1540 [1].

*Potestas fit creandi tabelliones et legitimandi spurios.—Aliae facultates tribuuntur.*

Dilectis filiis Francisco de Xauier ac Simoni Roderici, pampilonensis et visensis diocesis respectiue, nostris et apostolice sedis nunciis.

Dilecti filii, salutem etc.

Hodie pro parte carissimi in Xpo. filii nostri Joannis, Portugallie et Algarbiorum regis illustris, nobis exposito, quod in nonnullis Rubri, Persici et Oceani marium insulis, necnon prouinciis et locis Indie citra et ultra Gangen, et ultra promontorium, Caput Bone Spei nuncupatum, sub temporali dominio ipsius Joannis regis consistentibus, in quibus fides Xpi. nouiter recepta erat, hi, qui fidem eam non agnouerant, eos, qui ad fidem ipsam conuersi erant, corrumpere et contaminare conabantur; nos, in praemissis oportune prouidere cupientes, vos ad insulas, prouin-

---

[k] *Exstat verbum, quod vix legi potest: videtur esse sū vel quid simile.*

---

[2] Joanne de Monte, qui postea pontifex Julius III fuit.

[3] Blossius Palladius, Paulo III a secretis. BONAMICIUS, *De claris pontificiarum epistolarum scriptoribus*, pag. 223.

[1] Ex apographo, in «Archivo secreto Vaticano», *Brevi. Paulo III, anno 1540*, t. III, n.° 669.

cias et loca praedicta, nostros et apostolice sedis nuntios duximus destinandos, vobisque nonnullas spirituales facultates, quas erga populos, incolas et habitatores praedictos pro faciliori illorum in dicta fide confirmatione et ad illam reductione exercere possetis, per alias nostras in forma breuis litteras concessimus [2], prout in illis plenius continetur. Vt autem populi, incole et habitatores predicti etiam aliqua temporalia commoda per uestrum ad illos aduentum consequi possint, vobis in insulis, prouinciis et locis praedictis tabellionatus officium quibusuis personis idoneis, recepto prius ab eis in forma solito iuramento, concedendi, illosque tabelliones creandi et de tabellionatus officio alias iuxta formam in quinterno cancellarie apostolice annotatam, inuestiendi, necnon quoscumque utriusque sexus spurios, mansores, bastardos aliosque etiam, ex quocumque illicito et damnato coitu procreatos, uiuentibus uel mortuis eorum parentibus copulatiue uel disiunctiue, ita ut ad parentum et alias successiones quorumcumque bonorum, sine praeiuditio uenientium ab intestato, admitti; et in illis succedere, ac ad honores, dignitates, gradus et officia secularia, publica et priuata, recipi et assumi, illaque gerere et exercere possint, perinde ac si de legitimo matrimonio procreati essent; legitimandi, et ab eis omnem geniture maculam abolendi, eosque ad primeue nature iura restituendi, et cum his qui, defectum natalium huiusmodi patientes, militie clericali ascribi desideraverint, ut clericali caractere insigniri, ac unum beneficium ecclesiasticum, etiamsi illi cura immineat animarum, obtinere, et si arctati fuerint et aliud canonicum [impedimentum] non obsiterit, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines promoueri ualeant; necnon cum quibuscumque personis quarto, aut tertio et quarto, consanguinitatis uel affinitatis ab eodem stipite descendentibus gradibus, ac cognatione spirituali coniunctis, dummodo inter leuatum et leuantem non agatur, ut inuicem matrimoniali-ter copulari, et in contractis per eos in talibus gradibus scienter uel ignoranter matrimoniis, cum absolutione a censuris et penis ecclesiasticis, quas sic scienter contrahendo incurrerunt, rema-

[2] Vide litteras proxime superiores in forma brevis datas.

nere possint, dummodo mulieres rapte non fuerint, dispensandi, prolem exinde susceptam legitimam decernendi; necnon, ubi episcopi non fuerint, uel, si fuerint, ipsi a vobis id requisierint, quascumque ecclesiasticas personas, que homicidii casualis uel uoluntarii reatum incurrerint, aut aliquem mutilauerint, si id a uobis humiliter petierint, ab homicidii et mutilationum hujusmodi rea tibus, necnon excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, quas propterea quomodolibet incurrerint, in forma ecclesie consueta, iniunctis eis pro modo culpe penitentia salutari et aliis que de iure fuerint iniungenda, in utroque foro absoluendi, ac cum eis super praedicta ac quacumque alia, quam quouis modo contraxerint, non tamen homicidii uoluntarii et bigamie irregularitate, dicta irregularitate non obstante, ad omnes, etiam sacros et presbiteratus, ordines promoueri, ac in illis, etiam in altaris ministerio, ministrare possint; etiam dispensandi omnemque inhabilitatis et infamie maculam siue notam, per eos eadem occasione contractam, abolendi; ac quoscumque hereticos et scismaticos, si id humiliter petierint et relapsi non fuerint, receptosque, prius ab eis abiuratione heresum publice et legitime facienda praestandaque per eos iuramento quod talia deinceps non committent, nec committentibus consilium, auxilium uel fauorem praestabunt, ab per eos commissis excessibus, ac omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, quas propterea incurrerint, in dicta forma etiam absoluendi; ac quibuslibet personis, monasteria, ecclesias, hospitalia pauperum et alia pia loca fundare, dotare, aut collapsa reparare cupientibus, ut illa, sine tamen alicuius praeiuditio, absque alicuius licentia, fundare, construere, dotare et reparare ualeant, concedendi; necnon quecumque monasteria, domos, hospitalia et alia pia loca reformatione indigentia, si superiorem aliquem non habuerint, in melius reformandi [a], auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem con-

[a] *Obliterata sunt quae sequuntur:* ac quascumque confraternitates, hospitalia infirmorum et sanorum, et puerorum et puellarum, instituendi, et montes, pietatis nuncupatos, iuxta ordinationem in concilio lateranensi ultimo celebrato factam, erigendi.

cedimus. Non obstantibus defectibus et aliis praemissis, necnon quibusuis apostolicis in vniuersalibus, prouincialibus et sinodalibus conciliis editis generalibus uel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum et ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica uel quauis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Rome apud sanctum Marcum, secunda Augusti 1540, anno 6.°

*Alia manu.* Sub hac forma, videlicet in qua [b] conclusum fuerat ut expedirentur illi [3] qui destinabantur in Hiberniam, papa voluit idem concedi his, instante Rmo. domino meo, cardinale Monte [4].

*A tergo secundi folii.* 2 Augusti 1540, anno 6.° Pro eisdem Francisco et Simone, nuntiis ad Indos. Facultas creandi tabelliones et legitimandi spurios, et aliae, prout fuit concessum illis, qui iuerunt in Hiberniam. Idem cardinalis Ghinuccius [5].

*A tergo primi folii.* Pro Sermo. rege Portugallie super clericis reformatis ad Indos ituris.

## 7

## PAULUS PAPA III

ROMA 4 OCTOBRIS 1540 [1].

*Xaverius et Rodericius, nuntii apostolici ad Indiam a pontifice destinati, maximopere commendantur apud illarum regionum principes et dynastas, vultque pontifex ut eisdem obedientia ab omnibus praestetur.*

Vniuersis et singulis principibus et dominis in Rubri, Persici et Oceani marium insulis, necnon prouinciarum et locorum Indie citra et ultra Gangen, et ultra promontorium, Caput Bone Spei

[b] *In ms., loco superiorum trium verborum:* vz. [*vel* vr.] in q.

[3] Patres Paschasius Broëtus et Alphonsus Salmeron.

[4] Joanne de Monte, qui papa Julius III fuit.

[5] Hieronymus Ghinuccius.

[1] Ex apographo, in «Archivo secreto Vaticano», *Brevi, Paulo III, an. 1540*, t. IV, pag. 873.

nuncupatum, ac aliis illis adiacentibus partibus constitutis, salutem etc.

Cum nuper ad tranquillitatem insularum, prouinciarum et locorum vestrorum, et pro populis in illis degentibus in xpiana. religione confirmandis et dirigendis, carissimi in Xpo. filii nostri Joannis, Portugallie et Algarbiorum regis Illmi., supplicatione inclinati, dilectos filios Franciscum de Sauier et Simonem Roderici, clericos pampilonensis et visensis respectiue diocesis, ad hoc, propter doctrinam et uite exemplaritatem idoneos, ad insulas, prouincias et loca praedicta nostros et apostolice sedis nuntios destinauerimus, nonnullis facultatibus, quibus ipsos populos in Domino consolari valeant, eis desuper per nos concessis; nos, dominationes [a] vestras et earum quamlibet in Domino hortamur atque rogamus, ut dictos nuntios, in exequenda cura eis commissa, omnibus, quibus opus fuerit, fauoribus prosequamini, et sincera charitate suscipi et tractari faciatis, vt omnipotens Deus dignam vobis mercedem retribuat, et nos, illius in terris vicarius, vestra pia opera cum apostolica benedictione commendare possimus.

Datum Rome, apud Sanctum Marcum, IIII Octobris 1540, anno 6.°

*Alia manu.* Sanctissimus dominus noster fuit contentus quod scriberetur ad supremum ibi principem. Non dubito quod erit contentus etiam de inferioribus, de quibus non feci verbum, quia in memoriali[?] mihi dato nihil de hoc agebatur.

HIERONYMUS, CARDINALIS GHINUCCIUS.

BLOSIUS [2].

Dupplicatum.

*A tergo, eadem manu.* 4 Octobris 1540, anno 6, pro eisdem Francisco et Simone nuntiis, commendatis vniuersis principibus illarum partium. Cardin. Ghinuccius.

*Exstat breve summarium hujus documenti.*

---

[a] douotiones *ms.*

---

[2] Blosius Palladius.

## 8

## PAULUS PAPA III

### DAVIDI, AETHIOPIAE REGI

ROMA 4 OCTOBRIS 1540 [1].

*Xaverium et Rodericium, legatos sedis apostolicae, ad indos cum plena potestate destinatos, maximopere commendat.*

Carissimo in Christo filio nostro Dauidi, Aethiopiorum [a] regi illustri [2].

Carissime. Cum nos nuper pro populis Rubri, Persici et Oceani marium insularum, necnon prouinciarum et locorum Indie citra et ultra Gangem, et ultra promontorium, Caput Bonae Spei nuncupatum, consistentium, in uia Domini dirigendis et salutiferis institutionibus ac praeceptis imbuendis, zeloque salutis animarum et catholice fidei exaltationis, carissimo in Xpo. filio nostro Johanne, Portugalliae et Algarbiorum rege illustri, nobis super his supplicante, dilectos filios Franciscum de Sauier ac Simonem Roderici, clericos pampilonensis et visensis dioecesis respectiue, viros doctrina, religione, moribus et exemplis conspicuos, ad insulas, provincias et loca praedicta nostros et apostolice sedis nuntios destinauerimus, vtque illarum partium persone etiam in aliis eas concernentibus dicte sedis liberalitatem experirentur, nonnullas ipsis nunciis facultates, quibus cum personis praedictis vti possent, concesserimus, prout in aliis nostris, in forma breuis, litteris plenius continetur. Nos, considerantes quod praedicti nuntii, si majestatis tue fauore muniti fuerint, fructuosius in credita eis cura uersari poterunt; licet persuasum habeamus ipsam majestatem tuam pro ea erga Deum religione, quam in ea uigere constat, eosdem nuntios benigne sua sponte esse comple-

[a] *Hoc verbum exaratum est supra verbum* Albicinorum, *quod prius scriptum fuerat.*

[1] Ex apographo, in «Archivo secreto Vaticano», *Brevi. Paulo III, an. 1540*, t. IV, n. 872.

[2] David, Aethiopiae rex, alias Lebna Danguil appellatur, qui anno 1540 mortuus est. Cf. *Monum. Ignatiana*, Series prima, I, 434; Almeida-Tellez, *Historia geral de Ethiopia a Alta*, lib. II, cap. 4, 6, 7.

xuram; tamen eos eidem majestati tue duximus commendandos, eam hortantes et rogantes, ut praedictos nuntios, ad tam sanctum opus proficiscentes, commendatos habens, sperata a nobis benignitate, et oportuno pro efficiendis his, ad que missi sunt, fauore, prout res exiget, prosequatur et foueat; ex hoc enim tua majestas a Deo optimo maximo digna praemia, quorum est uberrimus largitor, et a nobis, eius in terris vicario, benedictionem ac suorum piorum operum commendationem et laudem reportabit.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, IIII Octobris 1540, anno 6.

HIERONYMUS, CARDINALIS GHINUCCIUS.
BLOSIUS.

Duplicatum.

*Alia manu.* Sanctissimus dominus noster est contentus.

*A tergo exstat breve summarium hujus documenti.*

## 9

## PAULUS PAPA III

### PATRI FRANCISCO XAVERIO [1].

*Amplissima facultatum concessio ad munus legati apostolici rite obeundum.*

BREVE PECULIARE STI. FRANCISCI XAVERII [a].

Paulus papa [b] III dilecto filio Francisco de Xavier, socio Societatis de Jesu nuncupate [c], theologiae professori, nostro et apostolicae sedis nuntio.

Dilecte fili, salutem. Dudum pro parte charissimi in Christo filii nostri Joannis, Portugalliae et Algarbiorum regis illustris, nobis exposito [d], quod in nonnullis Rubri [e], Persici et Oceani

[a] *Hic titulus desideratur in «alt.»* [b] *Deest in «alt.»* [c] noncupatae *alt.* [d] *Prius scriptum fuerat:* Nobis expositum; *in «alt.»:* Nobis fuit expositum. [e] Rubii *alt.*

[1] Ex apographo, sine signatura, in *Museo Ignatiano* Patrum Bollandianorum. Aliud exstat exemplum in *Hist. P. Gonçalves,* ante indicem exemplaris bibliothecae regiae ulyssiponensis (Paço d' Ajuda).

marium insulis, necnon provinciis et locis Indiae, citra et ultra Gangem ac promontorium, Caput Bonae Spei nuncupatum [f], sub dominio ipsius Joannis regis consistentibus, in quibus fides Christi, divina inspirante gratia, tunc [g] de novo a quam pluribus coli et observari coeperat, illi, ad quorum corda cognitio fidei hujusmodi nondum penetraverat, conversos ad illam falsis et infidelibus suasionibus ab eadem fide retrahere et [h] alios contaminare conabantur. Nos tunc [i], pro ipsius fidei conservatione, propagatione et incremento, inter alia te, de cujus fide, religione, probitate, pietate, prudentia et doctrina plurimum in Domino confidebamus, nostrum et apostolicae sedis nuntium ad omnia et singula [j], insulas, provincias et loca hujusmodi, illorumque populos, incolas et habitatores destinavimus, tibique confessiones populorum, incolarum et habitatorum hujusmodi, eorum peccata tibi confiteri volentium, audiendi, et, confessionibus ipsis diligenter auditis, eos et [k] eorum quemlibet ab omnibus et singulis per eos commissis peccatis, criminibus, excessibus, et delictis, etiam haeresim sapientibus, aut aliis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus, propter quae dicta sedes esset merito consulenda, exceptis contentis in bulla, quae in die coenae Domini legi consuevit, absolvendi; eisque pro commissis poenitentiam salutarem injungendi: necnon vota quaecumque per eos pro tempore emissa, religionis, castitatis, ac certis aliis tunc expressis, dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi, et diversas alias tunc expressas facultates concessimus, prout in eisdem [l] litteris plenius continetur. Cupientes igitur ut praemissis eo efficacius intendere, ac uberiorem fructum facere valeas, quo maiori fueris auctoritate suffultus, tibi, qui etiam in sacerdotio constitutus existis, quod singulas illarum partium utriusque sexus personas in omnibus et [m] singulis [n] in dicta bulla conten-

---

[f] noncupatum *alt.* [g] *Deest in «alt.»* [h] ac *alt.* [i] tum *alt.* [j] singulas *alt.* [k] ut *alt.* [l] iisdem *alt.* [m] ac *alt.* [n] *Deletum est verbum* etiam, *et in margine alia manu scriptum est:* (praeterquam delationis armorum, ferri, fili ferri, stamni, lignaminum et aliorum prohibitorum, ad saracenos, turcas et alios christiani nominis inimicos, qui cum eis christianos postmodum impugnant). *In «alt.» exstat tantum verbum* etiam.

tis casibus, et a quibusvis ex eisdem casibus resultantibus sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, etiam in dicta bulla contentis. Necnon [o] quae, post emissum per eas simplex religionis aut castitatis votum, matrimonium contraxerint et carnali copula consummaverint, a trangressione voti hujusmodi [p], singularum personarum hujusmodi [q] confessionibus diligenter auditis, absolvere, eisque pro praemissis omnibus poenitentiam salutarem injungere [r], ac ipsa simplicia religionis et castitatis vota personis, quae post illorum emissionem matrimonium, ut praefertur, contraxerint et consummaverint, in alia pietatis opera commutare; et ad praemissa omnia et singula tres aut quatuor alios sacerdotes idoneos, cum simili vel limitata facultate, semel et pluries, ac ad tempus, de quo tibi videbitur, loco tui (ita tamen quod eorum auctoritas, te ab eisdem partibus recedente, eo ipso expiret et expirare censeatur) substituere, libere et licite valeas, plenam et liberam apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus facultatem et potestatem. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus, necnon omnibus illis, quae in aliis li-

---

[o] et *alt.* [p] earumdem *additur in «alt.»* [q] *Deest in «alt.»*

[r] *Loco sequentium, usque ad finem brevis, haec leguntur in «alt.»* Ac etiam plures missas juxta locorum et personarum in eisdem partibus pro tempore existentium indigentiam, quoties tibi videbitur per te ipsum in die celebrare. Ac quibuscumque utriusque sexus Christi fidelibus, praevio examine conscientiarum eorumdem per aliquot dies praecedentes, qui peccata sua generaliter confiteri, eorum confessionibus auditis, plenariam eis omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem a culpa et poena semel tantum in vita, ac omnibus etiam particulariter confessis, in mortis articulo misericorditer in Domino concedere et indulgere; et ad praemissa omnia et singula quoscumque sacerdotes dictae Societatis socios, aut eamdem Societatem profiteri cupientes, per te eligendos cum simili vel limitata potestate semel et pluries, ac ad tempus de quo tibi videbitur deputares, ac etiam loco tui, ita tamen quod eorum auctoritas, te ab eisdem partibus recedente, eo ipso expiret et expirare censeatur, substituere, libere et licite valeas, plenam ac liberam apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus facultatem et potestatem: non obstantibus quibuslibet apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus comitiis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinibus; necnon omnibus illis, quae in aliis litteris praedictis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum.

teris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum.

## 10

## PAULUS PAPA III

### PATRI FRANCISCO XAVERIO [1].

*Alia facultatum et gratiarum spiritualium concessio.*

TERTII BREVIS PRO STO. FRANCISCO XAVERIO
MINUTA ORIGINALIS

Dilecto filio [Francisco] de Xavier, socio Societatis de Jesu nuncupatae, theologiae professori, nostro et apostolicae sedis nuncio.

Paulus etc. [a].

Dilecte fili, salutem etc.

Dudum pro parte [sequuntur de verbo ad verbum, quae habentur in Brevi praecedenti [b], usque ad *Quod singulas illarum partium utriusque sexus personas in omnibus et singulis* (ac subditur «sine ulla exceptione») *etiam in dicta bulla contentis casibus, et a quibusvis ex iisdem casibus resultantibus,* etc. usque, ad *opera commutare*] [c].

Et ad praemissa omnia et singula quoscumque sacerdotes dictae Societatis socios aut eandem Societatem profiteri cupientes, per te eligendos, cum simili vel limitata facultate, semel et pluries, ac ad tempus, de quo tibi videbitur, loco tui (ita tamen quod eorum auctoritas, te ab eisdem partibus recedente, eo ipso expiret et expirare censeatur) substituere.

Necnon plures missas una et eadem die, juxta locorum et

---

[a] *In margine:* Nempe [Paulus] III; cum Paulus IV tantum electus fuerit anno 1555, triennio post Sti. Xaverii mortem. [b] *Quod, etiam in hac collectione, immediate praecedit.* [c] *Sic etiam in ms., exceptis uncinis quadratis, a nobis, perspicuitatis causa, additis.*

---

[1] Ex apographo, sine ulla signatura, in *Museo Ignatiano* Patrum Bollandianorum.

personarum in eisdem partibus pro tempore consistentium indigentiam, dummodo non nisi in ultima purifices, celebrare; et quibuscumque utriusque sexus Christi fidelibus, qui, praevio examine conscientiarum suarum per aliquot dies, peccata sua generaliter tibi aut sacerdotibus per te deputandis confessi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, semel tantum in vita et in mortis articulo, misericorditer in Domino concedere et elargiri.

Necnon, pro augmento fidei et cultus divini, in illis partibus quaecumque collegia scholarium fundare, erigere et instituere libere et licite valeas, plenam et liberam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus facultatem et potestatem.

Et insuper, quod, quotiescumque in eisdem partibus publicum baptisma celebrabitur, Christi fideles partium praedictarum, qui ad hoc peccata sua confessi fuerint, et sacratissimam eucharistiam susceperint die celebrationis hujusmodi; et qui curae et gubernio neophytorum partium hujusmodi vacabunt, peccata sua singulis mensibus confitendo, et eucharistiam praedictam devote sumendo singulis mensibus.

Ac qui ecclesias in locis, quorum incolae, postquam tu illuc applicuisti, ad fidem Christi conversi sunt, de novo constructas, die per te stabilienda, devote visitaverint, et inibi ad Deum pro exaltatione fidei catholicae pie oraverint, dicta die annuatim.

Necnon qui aliquod collegium pro scholaribus, sacris literis ad servitium Dei operam daturis, in eisdem partibus fundaverint seu erigi fecerint, aut ad id manus adjutrices porrexerint, quoties id fecerint, tam ipsi quam eorum nati et omnis familia.

Necnon qui collegia hujusmodi, animo et intentione ad servitium Dei sacris literis hujusmodi studendi, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequantur.

Et quilibet sacerdos, qui in eisdem ecclesiis absque aliquo interesse pro anima alicujus defuncti missam devote celebraverit, dummodo, si ad alicujus instantiam celebrare contingat, idem instans ipsa die sacramentum eucharistiae, praemissa debita praeparatione, devote recipiat, per modum suffragii animam eandem

a poenis purgatorii liberare valeant, apostolica auctorite tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus.

Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et declarationibus.

Necnon omnibus illis, quae in illis literis praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum [d].

## II

## AUGUSTINUS ZANNETTUS, VICARIUS BONONIENSIS OMNIBUS AD QUOS PRAESENTES VENERINT

BONONIA 26 JUNII 1538 [1].

*Litterae fidem facientes de doctrina sana et integritate vitae Francisci Xaverii et Nicolai Bobadillae.*

†

Avgustinus Zannettus, Dei et apostolicae sedis gratia episcopus sebastensis etc., curiae episcopalis bononiensis in spiritualibus et temporalibus generalis vicarius et suffraganeus: universis et singulis, ad quos praesentes nostrae peruenerint, salutem in Domino sempiternam. Vobis praesentium tenore indubitatam et sinceram facimus fidem, in Dominoque attestamur, quod Franciscus Xabier et Nicolaus Bouadilla, presbyteri, in hac nostra ciuitate bononiensi de licentia nostra pr[a]edicarunt sincere et c[h]istiane, nec in aliquo cum Luteri doctrina conuenientes, imo eam summis uiribus extirpantes, in quibus concionibus multum vtilitatis attulerunt huic nostrae ciuitati, et eorum vita et moribus, quos omnes probarunt, eas corroborarunt, vnde ab ista ciuitate fugitiuos recessisse falsum est, sed suis negotiis et ut alibi seminarent bonum semen, quod nobis reliquerunt.

In quorum fidem praesentes nostras fieri, et per notarium

---

[d] *Immediate, ad instar notae, in ms.*: Paulus III obiit 1 Novembris 1549; adeoque hoc Breve datum fuit ante illud tempus.

---

[1] Ex archetypo, in *Cod. Rom. II*, n. L, 2 ff., altero puro.

nostrum infrascriptum subscribi, sigil[l]ique curiae episcopalis bononiensis impressione manu nostra propria subscriptas communiri.

Datum Bononiae, in episcopali pallatio, die XXVI Junii M D XXX VIII.

Ita est. AUGUSTINUS, qui supra, vicarius et suffraganeus bononiensis manu propria.

BARTHOLOMAEUS FOSCARARIUS, curiae et camerae episcopalis bononiensis notarius, manu propria.

*Manet integrum sigillum.*

# EPISTOLAE ALIAQUE MONUMENTA
## IN LAUDEM
## STI. FRANCISCI XAVERII
### IIS EXCEPTIS, QUAE AD COLLECTIONEM LITTERARUM SOCIORUM INDIAE INTEGRE RESERVANTUR

## 12
## PETRUS MASCARENIAS
### PATRI IGNATIO DE LOYOLA
BONONIA 31 MARTII 1540 [1].

*Acceptis litteris peramanter respondet.—Xaverium laudat.—De eliciendis pontificiis diplomatibus pro Patribus in Indiam adituris.—De litteris Joannis III nuper allatis.*

†

Muy virtuoso Padre em Christo [a].

Dia de pascoa reçeby a sua [2], feita domingo de ramos, e com ella muyta comsolação, por em tall tempo se me representar sua memorya e lembramças que me fez, e asy em ver o cuidado espirituall que de mim tem, ho quall a noso senhor Jhu. Christo

[a] Xpão *ms.; et sic paulo inferius.*

[1] Ex originali, in *Cod. diversor.*, 2 ff., n. 3, prius 28.

[2] Ignatii litterae ad Mascareniam, quemadmodum aliae ad Xaverium eodem tempore datae, desiderantur.

peso que lhe page em tamta comsolação espirituall e corporall, quanta elle deseja, e com tamanhos efeitos de seu seruiço, quantos sam seus desejos. A lembrança que me faz de minhas confissões [b], noso Senhor lh'a pague.

De mym lhe digo que, aimda que minhas culpas n' esta parte me façam nigryjente como n'as outras, que ho P. Mtre. Framcisquo abasta para espirituallmente me dar todo callor que ha myster minha fryeza, e a elle dê vosa reuerençia as graças d'algum bem, se ho eu fizer. E de vosa reuerençia ter espeçiall cuidado de mim em suas oraçõis, sou eu muy confiado que noso Senhor, mediante elas, se non esqueçerá de mym, e que por sua mysericordia me giará a saluamento e a porto seguro de seu seruiço.

Pedro [c] Domenico [3] me fez saber o que até emtam era pasado sobre os breues para estes virtuosos Padres que am-d'ir aa Imdia, e que tudo comonicará com vosa reueremcya e com ho doutor Escoto, ho quall doutor tomará espeçyall cuidado de ho solicitar [d] com Genuchez. Para tudo a mister encomendar-nos a noso Senhor, e para as espedições d'estes menistros nom temos menos obrygação de nos encomendarmos a elle; e o que sayer, vosa reueremçya m'o fará emtender, ultra de Pedro Domenico ter ho mesmo cuidado.

As novas de minha jornada leixo a Mtre. Francisco [4], que n'as cousas do mundo he mais desacupado que eu, e n'as do espiritu nunca he ouçioso. Eu o tenho por hum santo barão. Noso Senhor ho comserue em seu santo seruiço.

Aquy em Bolonha me encomtrou hum correo d'El-rey meu senhor, ho quall me deu asaz turbação [e] pollos negoceos que consyguo trouxe. Comtudo logo o torney a despachar, e eu tras elle sygerey meu caminho com ajuda de noso Senhor emquanto nom achar quem m'o empida. E vosa reuerençia por amor de noso

---

[b] comfiçoyẽs *ms.* [c] P.° *ms.; et sic inferius.* [d] seluçitar *ms.* [e] trouação *ms.*

---

[3] Petrus Domeneccus, Vilabertrani coenobii in Hispania abbas, qui postea in Portugalliam venit, orphanorum ibi institutor, de quo alibi egimus.

[4] P. Franciscus Xaverius. Vide supra, I, 207.

Senhor faça seu bom hofiçio, temdo sempre de mim memorya em seus sacrafiçios. Que noso Senhor lh'o page espirituall e corporallmente como seja [f] mais seu santo seruiço e vosa consolação. Noso Senhor seja [g] sempre com todos nos outros.

De Bolonha ao derradeiro de Março 1540.

Vosso filho spiritual,

Dom PEDRO MAZCARENHAS.

*Inscriptio.* Ao muito vyrtuoso e deuoto Padre, o Padre Mtre. Inhego, que noso Senhor faça santo. Peço a vosa reueremçia que me encomende muito ao senhor doutor Ortiz.

*Alia manu.* 1540. De Bologña, de don Pedro Marzarenas, del Marzo.

*Et alia.* Del embajador de Portugal.

*Vestigium cerae rubrae sigilli.*

## 13

## FRANCISCUS ANRIQUIUS

### PATRI EMMANUELI GODINO [?]

ULYSSIPONE 21 SEPTEMBRIS 1552 [1].

*Xaverii laudes.—De rebus indicis.—De missionibus Patris Mironis.*

†

Ihus.

A graça e amor de Jesuchisto nosso senhor seia sempre em nossas almas. Amem.

Já mandei a V. R. as cartas que reçebemos da India: depois nos derão huum maço mais, mas huma soo uem n'ellas pera os Irmãos, e he de huum moçozinho, sobrinho do P. Antonio d' Eredea. Ler-se-ha esta noite, e mandal-a-ei a V. R. Pareçeme que quer nosso Senhor per outros meios manifestar a esta gente o que obra pola Companhia na India, porque as cartas em que uem as nouas traz o capitão d'esta naao debaxo de cuberta

[f] seje *ms.* [g] seje *ms.*

[1] Ex originali, in codice *Epist. Mixtae (1551-1552)*, unico folio, n. 38, prius 269.

pera Roma, e por nenhuma maneira lh'as podemos tirar da mão nem enprestadas: as mais naaos não uem, nem creio que esperão jaa por ellas; assi que uai-sse armando huum bom exerçicio de paçiençia, que será não uer as muitas cousas que nos dizem que são feitas na India e no Japão. Todauia, se he uerdade que o pouo não perdoa defeitos a ninguem, grande proua temos das muitas merçês que Deos tem feito na India aa Companhia, porque não falamos com homem que nos não faça admirações e dee muitas graças a nosso Senhor: já, a[o] preguntar-lhe[s] pollo P. Mtre. Francisco, não sabem responder, senão: esse homem he sancto; por elle conserua nosso Senhor a India.

O primeiro homem que ueio das ilhas trazer as cartas e nouas a El-rey, preguntando-lhe S. A. como estaua a India, respondeo-lhe: Senhor, a India está segura, porque mestre Francisco fica n'ella.

Quando chegou esta naao forão os Padres a bordo a saber algumas nouas dos Irmãos; e antre aquella grande reuolta de bateis e brados de gente que se não podem ouuir, tanto que huum da naao ouuio nomear mestre Francisco, deixa todos e acode aa uoz, respondendo como que lhe hia a uida em dar aquellas nouas: eu o ui, eu o ui; he huum sancto; he huum sancto; a India he sostentada por elle: multiplicando palauras d'esta maneira, que he, certo, pera dar graças a nosso Senhor.

Dom Pedro Mazcarenhas ueio aquí con grande alegria falar com o P. Urbano [2] sobre o que lhe dizião d'elle, prinçipalmente huum criado seu que n'esta naao ueio, o qual diz que, andando na India mui maao christão com desafios e sem se confessar auia muitos annos, soube d'elle o P. Mtre. Francisco ao tempo que se auia de partir pera Japão; e não soomente fez que se confessasse e deixasse aquellas desauenturas em que andaua, mas ainda o pos em huum sancto caminho de uida. Depois elle, com cargos que teue e negoçios em que se meteo, torna-sse a esqueçer de Deos e de sua alma, e a não fazer conta da confissão como d'antes, e assi andaua ao tempo que o P. Mtre. Francisco chegou

---

[2] P. Urbanus Fernandes.

a Goa; e em chegando, sem saber huum do outro, se encontrarão, e as primeiras palauras que o Padre lhe disse, tomando-o polla mão, forão: a filho! mal conpristes o que me prometestes, et emtrega-o logo ao uigairo dizendo-lhe: tende cuidado d'esta uossa ouella que anda desencaminhada; e a elle: confessai-uos, filho, e olhai por uos. Este homem uem admirado d'isto, porque tem por çerto que humanamente não podia o P. Mtre. Francisco saber de seus desmanchos e malles, os quaes elle pareçe que tem pera si que então o Padre lh'os conheçia e sabia todos.

Do P. Mtre. Gaspar [3], Antonio Gomez e todos os mais, dão tambem muy boas nouas, inda que assi sumarias, da opinião de suas uirtudes, e edificação que tem dado na India. E crea V. R. que falão n'isto com huum gosto tão uiuo, que m'o fazem a mi ter grande, e crer que uirão e sintirão muito, pois em homens tão ocupados e distraidos como os da India fez tanta impresão, que inda agora se lhe emxerga tanto.

Depois que o P. Mirão [4] d'aqui se partio não ui mais nouas suas por carta, mas ouui muitas por esta çidade a pessoas que as tem d'outras de Moura, honde agora está; e segundo dizem não no querem deixar sair d'ali. Com a sua estada laa se multiplicou muito o numero das confissões e obras outras sanctas. Tem aqui em Lixboa, polo que sabem de Moura, o nome que o P. Mtre. Francisco [5] na India. Estou-me conpadeçendo d'elle, porque, pois acha tanto aparelho pera trabalhar, não sey se se consumirá todo n'aquella terra, porque não ha forças que bastem pera que, tomando tanto pera si como toma, possa dar tanto ao proximo como dá. Dizia aqui o nosso fisico que era imposiuel uiuer o P. Mirão muito tempo, uendo quão mal se trataua. Todauia espero em nosso Senhor que, pois a sua Companhia começa, não ha de querer tirar tam çedo as colunas d'ella. Leuaua alguum gosto em escreuer esta carta de cousas, que ao menos a memoria d'ellas

[3] P. Gaspar Barzaeus.

[4] P. Jacobus Miro, qui, ut procellam inter nostros exortam aliquantum sedaret, mandante P. Michaële Turriano, provinciae inspectore, ad oppidanos excolendos sacrasque missiones obeundas animum libenter convertit. *Epist. Mixtae*, II, 36 et 85; POLANCUS, *Chron.*, II, 708.

[5] Xaverius.

nunca auia de perder; e se as eu souvesse sentir, não pode ser que me não fizessem muita força; mas crea V. R. que, segundo sou pusilanimo, aas uezes me conuem mais pôr os olhos na misericordia de Deos, que no a que me obriga a perfeição d'esta gente.

Agardeça V. R. esta nouidade a ser caa tempo de fereas, e a Manoel da Costa m'as dar sempre: poem-me jaa em condição de me fazer spiritual e recolhido, porque tanto acavo com elle estando-me em casa, como não saindo nunca da sua; não sei honde acha tanta inuenção de scusas. Peça V. R. a nosso Senhor que me dê graça pera saber passar o muito que sinto isto, e simpliçidade pera con esta gente, e tambem prudençia, porque ha mister muita pera se homem saber auer com ella. E todauia não se esqueça de lhe pedir que me ensine a seruil-o na imitação de meus superiores, porque d'aqui tirarei o que ei mister pera tudo.

Gesux.° noso senhor seia com V. R. sempre e com todos. Amen.

De Lixboa, dia de S. Matheus aa noite, 552 [6].

Francisco Anriques [b].

## 14

## P. EMMANUEL GODINUS
### PATRI IGNATIO DE LOYOLA

ULYSSIPONE ANNO 1555 [1].

*Fragmentum epistolae.—Qualis fuerit apertura in latere Xaveriani corporis facta.*

†

En la carta de vn hermano de la India escriue que metió la mano por cierta abertura del cuerpo del bienauenturado Padre

---

[a] mais pollos *ms.* [b] Anpiq. *ms.*

---

[6] Desideratur inscriptio; probabile tamen nobis videtur epistolam mitti Patri Emmanueli Godino, rectori collegii conimbricensis, cui grata in primis illa futura erat, tum ex personis de quibus agebatur, tum ut haberet aliquid scholasticis suis referendum; eas praeterea ad calcem adhibet familiaritatis notas, quae tam Anriquio quam Godino conveniunt.

[1] Ex autographo, in codice *Epist. Mixtae (1555-56)*, in schedula, n. 22, prius 119.

Mtro. Francisco, etc. Y para que se entienda qué abertura esta sea, refiriré lo que contó el hijo de virey, que agora vino de la India, yendo el patriarca visitar á su padre, por ser su conoscido cuando era capitán de Cepta. Dice que fué desta manera: que los portugueses, quando en la China dessenterraran el cuerpo para traerle á Malaca, como su intento era sacar los huesos [a], y su pensamiento estaua lexos de hallarle asy entero, cauauan riziamente y con poco tento, donde venieran á dar con la azada [b] en el cuerpo, haziéndole vna abertura en vn lado.

Y dixo más el hijo del virey: que en Goa él mismo le metió la mano por ella, y la sacó con sangre y agua. Sea todo para gloria y loor de Dios nuestro Señor, que todo lo puede.

†

MANOEL GODINHO.

*A tergo.* 1555. Lisbona. Manuel Godino.

*P. Polanci manu.* Sobre el P. Mtro. Francisco Xauier.

## 15

## PETRUS CONSALVIUS, VICARIUS COCINENSIS PATRI IGNATIO DE LOYOLA

COCINO 24 JANUARII 1555 [1].

*De litteris acceptis et ad destinatos socios cum jubilaeo transmissis, Xaverio excepto, qui ad aeternam vitam migraverat.—Mira de ejus cadavere testatur.—Honores eidem delati.—Rogat ut gratiae et facultates, per Ignatium vicario concessae, bulla pontificis confirmentur, ne illarum usus a quibusdam impediatur.—De aliis ad incolarum salutem necessariis.—De sociis.*

†

Muy Rdo. senhor Padre.

Reçeby de V. R. huum maço de cartas em ho mes de Nouembro de [1]554 [2], em ho qual mamdaua dous jubileos de huma

[a] vesos *ms.* [b] exada *ms.*

[1] Ex archetypo, in codice *Goan. epist. I*, 2 ff., n. 12, prius 71 et 72.

[2] Petro Consalvio, vicario cocinensi, viro optimo et Societatis studioso, scripsit Ignatius litteras, quae hic memorantur, die 2 Februarii 1552. Vide MONUM. IGNATIANA, Series prima, IV, 150, 170, quibus aliae adjungebantur

maneyra: ambos, e todas as mais cartas que no dito maço vinhão, mamdey ao Padre Nicolao a Coulão para que ele as dése, e asy ho mesmo jubileo. Ho Padre mestre Framçisquo já era falecido na China, ho qual esteue quatro mezes enterrado amtes que ho trouvesem, metido em huma tumba de pao; e depois ho trouveram a Malaqua, omde tãobem ho enterrarão outros quatro hou sinqo mezes, e depois na moução ho tornarão ha trazer para Guoa; e pasou por aquy para Cochim, avemdo perto de huum ano que era faleçido, sem cheirar nenhum cheiro máo, e todo imteiro como aquele día que ho enterrarão. Cheguando ha Guoa ho forão reçeber ao cays ho cabido da see e os Padres de sam Framcisquo y de são Domingos, e toda ha cleregia que avia na çidade, e ho visorrey com todo ho pouo, e ho leuarão ha são Paulo, colegio da Companhia de Jhus., omde esteue tres ou quatro días para que todos ho fosem ver e beijar-lhe ho abito, e isto a requerimento da cidade; e ho meterão em hum moymento na capela omde estaa ho seu corpo, e ha alma no parayso. Soçedeo em seu lugar ho Padre Mtre. Belchior [3], e loguo n'aquele ano se foy caminho de Japão a sostemtar e repayrar ho fruito que ho Padre mestre Francisquo deixaua laa feito; e aimda não tenho recado d'ele.

Tãobem no maço me vinha huma carta de V. R., em que me dis que sua samtidade me faz merçê he esmola de poder husar de todos os poderes e preuilegios que tem otorguado há Companhia: he neçesario que V. R. me mande a bula d'iso, porque ho cabido não quer que huse de nada sem bula, porque ho noso bispo he já falecido [4], porque era ele muito meu amiguo e me dera licença para pela carta poder huzar dos preuilegios. Peço a V. R. por amor de noso Senhor que me mande a bula ho mais

---

ad diversos in India versantes Patres, in primis ad Xaverium et Nicolaum Lancilottum. Consalvium laudat Xaverius supra, I, 454 et 455.

[3] Melchior Nunnius Barretus.

[4] Fr. Joannes de Alburquerque *(sic hispanis, lusitanis autem* Albuquerque), O. S. F., episcopus goanus, vir praeclarus, cui cocinensis ecclesia tunc subjacebat, obiit 28 Februarii 1553. Sedes autem cocinensis erecta est 4 Februarii 1557. Videatur CHRISTOPHORUS DE NAZARET, *Mitras lusitanas no Oriente*, pags. 36 et 43.

çedo que poder para poder sagrar pedras d'ara e calixis, porque tem estas igrejas muita neçesidade d'isto: e asym tambem que posa crismar omdequerque me achar, não estamdo bispo presente ou com sua licença mamdamdo-m'o.

Isto he ho que n'esta terra ha mais neçesidade, porque vem poucas vezes bispo ha ela; porque d'esta çidade de Cochim ha Guoa haa çem legoas: por omde se não pode tão asinha [a] prouer ás cousas neçesareas para ha saluação dos homens senão con muito trabalho; e pode V. R. dizer a sua samtidade com verdade, quamdo lhe pedir esta caridade para mym, que eu fiz quasy toda ha cristamdade do Cabo de Comorym por minhas mãos, que são pertas de duzentas mil almas; porque quamdo veo mestre Françisquo de Portugual, eu residia n'aquele tempo laa, e lhe entreguey a cristymdade toda, e d'ahy nos ficou ha amizade gramde que tinhamos ambos. E aguora amda laa ho Padre Amrique Amriquez da Companhia. E por esta rezão peço eu a V. R. esta merçê; a quem noso Senhor dê muitos annos de dias de vida para que por ele se posa fazer muito seruiço ha noso Senhor, ho qual nos dê n'este mundo graça e perdão de nosos pecados, e no outro gloria para sempre. Amen.

D'esta çidade de Cochim, oje vimte quatro de Janeiro de 1555 annos.

Indignus seruus orator,

PETRUS vig.[us] [?]

*Inscriptio.* † Ao muito Rdo. em Xpo. Padre, o Padre micer Ignatio de Laiola, preposito geral da Companhia de Jesus, em Roma.

Do Vig.[ro] de Couchim, 2.[a] via.

*Alia manu.* 1555. Del vicario de Couchim, 24 de Henero. Rda. á los 28 de Julio.

*Manet sigillum cerae nigrae.*

---

[a] aginha *ms.*

## 16

## PATER SIMON DE FIGUEIREDO

### PATRI DIDACO MONTEIRO

GOA 25 NOVEMBRIS 1614 [1].

*Mira quae acciderunt coram aperto Xaverii sepulcro quando sacrum illius brachium, Romam ad generalem Societatis praepositum deferendum, sectum est.*

Ihus.

Pax Xpi.

[Narrat suum et sociorum iter a Lusitania ad Indiam, et sic finem imponit epistolae:]

O 5.° dia fomos a S. Paulo o Uelho, onde iá está o nouicia-do. Saio-nos o Padre reitor a reçeber ao meo da rua com os mestres e outros irmãos do collegio, que lá ainda pousão, com musica e charamellas. Entramos por aquella antiga e fermosa igreia, chegando ultimamente ao sepulchro do B. Padre Francisco, onde affirmo a V. R. me deo Deos a mór deuação que nunca tiue. Auia sete dias que o tinhão aberto para mandarem hum braço ao Padre geral, que o mandou pedir. Achou se seu santo corpo tão fermoso e tão inteiro, que disserão alguns Padres ao prouincial: se lança sangue, não auemos de deixar cortar d'elle cousa alguma. Tinha o olho direito aberto, tão fresco, que parecia estar uiuo; do mesmo modo estauão os beiços, e os dedos em que tomaua o diuino sacramento; o mais corpo está seco, mas todo con pelle, cabellos, e uestidos sanissimos. Quis-lhe hum irmão tirar hum dedo de hum pé; por mais que puxou não pode.

Por este santo obra Deos muitos milagres cada dia n'estas partes. Em Cochim está huma uelha de 120 annos de idade, a qual o conheçeo muito bem, e foi por elle cathequizada; auerá doze annos que á mão lhe ueio ter huma imagem d'este glorioso Padre, com a qual fasendo o sinal da cruz sobre algum emfermo, e inuocando o santo, lhe dá perfeita saude. Estaua huma molher

---

[1] Ex autographo, in fasciculo, cui titulus *Epist. viror. illustr.*, 4 ff., n. 31.

aleiiada de hum pe, con hum braço e mão encolhida, e cega de un olho. Tras a boa uelha a santa veronica; fas-lhe o sinal da cruz con ella sobre os membros tolhidos, chamando pello santo; fica inmediatamente sã.

Com a mesma medicina sarou hum homem, que auia 9 meses andaua em muletas; e outro que lançaua pellos narises pedaços de carne podre.

Huma molher cega, com a mesma recebeo uista.

De tudo se tira instrumento publico, e a casa da uelha está sempre chea de gente de toda sorte.

Hum portugues mui antigo referio que, indo hum dia embarcado com o P. Francisco, com outra muita gente, lhe sobreueio huma grande tempestade; e pedindo elles ao santo que lançasse no mar alguma reliquia, elle tirou o relicairo do pescoço e o lançou sobre as ondas, as quais logo se aquietárão, e a tormenta cessou. Hia o santo Padre un pouquo desconsolado de ficar sem reliquias; eisque, chegando á praya d'ahi muitas legoas, uem uir hum peixe por cima da agoa com o relicario na boca; e, chegando á terra, o deixou diante do Padre e se uoltou ao mar. A tudo se achou este portugues presente.

Isto he, amantissimo Padre, o que a breuidade do tempo (que até agora sou hospede e outra ues estou de caminho para Cochim) me dá lugar para escreuer a V. R. As mais meudesas da uiagem uerá V. R. em huma geral que uai e as aponta todas. Mande-me V. R. nouas suas, e em seos santos sacrifiçios tenha particular lembrança de me encomendar a Xpo. nosso senhor.

Na benção de V. R. muito me encomendo.

De Goa 25 de Nouembro de 1614.

Filho indigno de V. R.,

SIMÃO DE FIGUEIREDO.

*Inscriptio.* † Ao P. Diego Monteiro da Companhia de Jesus.

1.ª via. Coimbra.

# 17

## BENEDICTUS CHRISTOPHORUS AMARONI

ROMA SINE ANNO [1].

*Testatur quaedam cognovisse ex Xaverii litteris, quas multi in Urbe legerunt: Ignatii ad illarum caput prompta responsio.*

†
Ihs.

Benedetto di Cristofano Amaroni [2], senese, esendo in Roma l' anno 1549, lauorauo di legname nel exercittio mio. Fui adomandato da uno venerabile Padre della Compagnia del Jesus, adomandato Mtre. Pietro Codattio, milanese, molto attiuo e di gran gouerno, se io uoleuo lauorare dentro alla casa a doue ebbe principio la detta Compagnia, alla piazza delli Altieri. Mi chonuenni per ▽.ⁱ due il mese sperato; et in detta casa lauorai molti mesi con molto mio contento e sottisfattione, et ivi in detta ebbi comerttio tantto familiare con la felice memoria del Padre Ignattio, fundatore et merittissimo generale di detta Compagnia, stando assiduo in detta casa llauorando quelle cosse che erano di più neccesità; et iui dormiuo come se io fusse stato di detta famegllia. Per mio confessore mi concessero il Padre don Apolancho [3], segretario e scrittore del detto Padre don Igniattio. In detto tempo venne vna littera dalle Indie, la quale dette nuoue del Padre Francescho, uno delli XII fundatori; il contenuto di detta littera così diceua in sustanttia: come il detto Padre, ariuato in detto paesi, preso linghua, cominciò a predichare li articholi della fede, li comandamenti; e faceua vna vita molto austera, in tanto che lassò l' abito di detta Compagnia, [e] si vesti di tela di sacho, cintta de vna vitalba; et perseuerando in quella predicando, faceua molto frutto in quelle creature. Si mosse per instighattione del demonio vno arabo mosso a indignattione per levarlo del mondo;

---

[1] Ex apographo, in capsa *Initia Soc. Jesu,* duplici folio, altero puro. Inutile prorsus existimamus menda, quibus scatet, singillatim corrigere.

[2] Idem vir quaedam de Sto. Ignatio testatus est, quae ipse suismet oculis vidit. *Monum. Ignatiana,* Series quarta, I, 561.

[3] P. Joannes Polancus.

et, così risoluto, con una grossa maza venne alla volta del detto Padre Francesco per darlli nella testa e amazarllo; e quando fu vicino, alzato il colpo per darli, immediate il tereno si apersi [e] lo ingitti con la ssua mazza doue mai più si uide resto; molti circhustanti confusi e amirati di tanto gran miracolo. Sentendo questo il Padre don Igniattio scrisse subito al detto Padre Francesco che ripigliasse l' abito della Compagnia.

La detta litte[ra] andò in mano di molti cardenali.

Et se di questo che io o deposto non se ne truoua memoria, che non posso credere [a] che nelli scritti del detto Padre don Polanco non si truoui, o la littera o la copia di essa, il medesimo Benedetto Amaroni, scrittore di detti versi, conferma quanto di sopra è ditto.

## 18

## P. JOANNES DE BRITTO

### PATRI JOANNI PAULO OLIVAE, PRAEP. GENER.

CONIMBRICA 19 NOVEMBRIS 1668 [1].

*Voti reus pro valetudine, Xaverii ope obtenta, et in Societatem exinde cooptatus, cupit vehementer vitam in missione indica consumere, poscitque ut copia sibi vocationem illam exsequendi fiat.*

†

Reverende admodum in Christo Pater.

Pax Christi.

Uoti reus, pro ualetudine obtenta Xauerii sanctissimi ope, in Societatem adscriptus sum. Sed (quae est Xauerii beneficentia) quasi illum primi beneficii poeniteret, tenuitatem illius maiori redimere meditatur; me nempe acerrimis stimulis excitat expeditionem indicam adornandi, veluti exprobans quod reuocatam corporis sanitatem non illi dicare studeam, cujus ope restituta est. Dissimulaui iamdiu haec studia, quia nondum philosophiam

[a] credare *ms.*

[1] Ex autographo, 1 fol., in antiquo *Archiv. Roman.*, in capsa, cui titulus est: *Initia Soc. Jesu.*

inchoaueram: nunc vero, tametsi illam non absoluerim, in illa tamen profeci, quod satis pro illis regionibus prudens quis judicet.

Quid igitur superest? Paternitatem vestram contentione, quanta maxima possum, oro et obsecro, ut mihi, suadenti uocantique Xauerio, respondendi copiam faciat et potestatem: credo enim Xauerii, mei amantisimi, studium eo tendere, ut, quemadmodum deploratam ualetudinem corpori restituit, ita nunc mihi uiam istam ad felicitatem aeternam assequendam aperiat. Per Christi igitur uulnera, per Xauerii sanctissimi merita, per diuinae gloriae (cujus ampliandae studio paternitas vestra maxime flagrat) magnitudinem, iterum atque iterum precor, ut facultatem ad indos proficiscendi mihi impertiatur.

Et ne forte concessam mihi, ut spero, a paternitate vestra facultatem quis in Lusitania, ut fieri quandoque solet, interturbet, rogo paternitatem vestram beneficium beneficio cumulet; quod praestabit, si epistolam, in qua mihi hanc ueniam indulgeat, ad me tantum mittat, quin, ad id negotii expediendum, aliquid a Patre prouinciali exigere mihi sit opus.

In paternitatis vestrae benedictione me maxime commendo, etc.

Conimbricae, Nouembris 19, anno 1668.

Indignus paternitatis vestrae in Christo filius,

Joannes de Britto [2].

*Inscriptio.* † Rdo. admodum in Christo Patri nostro, P. Joanni Paulo Oliuae, praeposito generali Societatis Jesu. Soli.

Romam.

---

[2] Scilicet, beatus Joannes de Britto, genere, et martyrio pro Christo illustris.

## 19

## COSMAS ANES

### JOANNI III, REGI LUSITANIAE

BAZAINO 30 NOVEMBRIS 1547 [1].

*Xaverium laudat.—Quid de aliis viris sentiat.*

Amplius dixit ipse testis, se audiuisse quod, cum dictus Pater ageret apud Sinas (ubi uita functus est) et Malaca obsidione premeretur [c], dixit dictus Pater: fundamus [d] ad Deum preces pro fratribus nostris, qui sunt Malacae in maximis angustiis.....

2.[us] TESTIS

Item, Gondisaluus Fernandez, uxoratus, et in hac vrbe habitans.....

Dixit quod, cum esset Malacae, die quadam dominica, finita concione, ab eodem P. Mtro. Francisco habita, pr[a]esente ipso teste, dictus Pater dixit populo: qui hic sunt, modicae fidei sunt. Attamen nolite turbari nec moerore affici. Classis enim nostra (inquit) acenorum classem profligauit, et reditura est incolumis ac spoliis onusta, adducens secum hostes ipsos, ipsorumque nauigia quamplurima. Et ita de facto euenit sicut Pater praedixerat. Quo nuncio populus ualde gauisus est; elapsi enim iam erant dies circiter quadraginta postquam classis e portu soluerat, et quid de illa factum esset prorsus ignorabatur.

Dixit praeterea ipse testis quod, cum esset Malacae, dicere audiuit quod P. Mter. Franciscus, cum in Maluco annunciaret uerbum Dei, dixit: unusquisque uestrum semel Deo offerat orationem dominicam et salutationem angelicam pro anima ducis maioris castellanorum; hic autem per id tempus e uita migrauerat in Amboino, quo appulerat cum Ferdinando a Sosa de Tauora, qui castellanos a Maluco deducebat; vnde ante duos menses decesserant. Et a dicto Amboino usque Malucum tanta est itineris distantia, ut possibile non fuerit sciri tunc temporis in Maluco quicquam eorum, quae in dicto Amboino agebantur, pr[a]esertim cum esset extra tempus, quo solet illud mare nauigari: et id ipsum audiuit postea ipse testis in Maluco cum [eo] loci appelleret.

Dixit deinde ipse testis quod, cum esset Malacae, Pater Fran-

---

[c] praemeretur *ms.* [d] fundanus *ms.*

ciscus ab eo petiit ut in nauim, qua ipsemet testis uehebatur, uellet recipere quaedam uictualia, et uiginti circiter pueros, quos secum dictus Pater adducebat; et ipse testis supradicta in suam nauim recepit; et, antequam nauis e portu solueret, praedictus Pater summa cum efficacia ipsi testi ter dixit: Gondisalue Fernandez, timeo ne tibi magnum aliquod discrimen accidat. Cum igitur in conspectum insulae Ceilam uentum esset, dicta nauis in syrtes eiusdem insulae impegit, ibique ipse testis uidit proram nauis supra saxum, ad quod fuerat allisa, audiuitque omnes Mariam Virginem identidem inclamantes; a quo sane periculo Deus ipse nauem eripuit, et incolumis in Indiam peruenit. Et addidit dictus testis quod, quando P. Mter. Franciscus ab ea vrbe ad Sinas, apud quos diem obiit, profectus est, admonuit ipsum testem operam daret ut alter alterum apud superos uideret, in hac enim uisuros sese amplius non esse: quae uerba illi dixit dictus Pater quando ab illo discessit.

Audiuit etiam ipse testis quod P. Mter. Franciscus in promontorio Comorino suscitauit quendam mortuum: et dixit ipse testis quod quidam frater Societatis Jesu, nomine Albertus de Arausio, illi dixit, quod dictus magister Franciscus ire solebat noctu in hortum collegii diui Pauli huius goanae ciuitatis, ibique, ecstasim patiens, deambulabat oculis in coelum defixis; et cum quadam nocte dictus Pater hoc modo deambularet, dictus Albertus da Arausio audiuit illum dicentem: Domine, hora est; idque ac si praesentem aliquem alloqueretur.....

### 3.us TESTIS

Item, Alphonsus Fernandez, in hac vrbe Goae habitator.....

Dixit quod nouerat P. Mtrum. Franciscum illumque uiderat in his partibus; et dixit quod, cum ipse testis Malacam victor reuersus esset a bello nauali, quod contra achenos commissum fuerat, et ad quod ipse iussu Simonis a Mello iuerat, aliqui Malacae rogauerunt ipsum testem quonam die bellum fuisset initum, et qua hora parta uictoria. Cum uero ipse testis diem et horam uictoriae dixisset, qui prius interrogauerant addiderunt: P. Mter. Franciscus inter concionandum dixit hac eadem hora nostros

adeptos esse victoriam; ac rem ita habere compertum est. Nihilque ultra addidit.....

4.us TESTIS

Item, Antonius Diaz, uxoratus et in hac vrbe habitans.....

Dixit quod nouerat dictum P. Mtrum. Franciscum in hac urbe, et quod, ipso teste Goa Coccinum tendente cum Antonio Cardoso secretario, Pater magister Franciscus uehebatur simul cum illo eadem naui, et vidit Antonium Cardosum petentem a dicto P. Mtro. Francisco ut sibi diceret de quodam puero, qui in promontorio Comorino demersus in puteum animam egerat, et ab ipso P. Mtro. Francisco suscitatum fuisse dicebatur. Et Pater illi respondit, verum esse se supra illum puerum euangelium dixisse, puerum uero non mortuum, sed viuum esse. Nihilominus tamen ipse testis dixit se audiuisse ab aliis, quod re uera dictus puer erat mortuus, et quod dictus Pater illi, Deo adiutore, vitam restituerat.

Dixit item ipe testis quod Malacae generaliter dicere audiuit dictum magistrum Franciscum inter concionandum dixisse quod nostri, qui pugnatum iuerant contra acenos, eos uicerant, hortatumque fuisse populum ut pro parta uictoria Deo gratias ageret: affirmauit autem ipse testis dictum a Patre fuisse ante aduentum nuncii, nulla adhuc habita in loco de classe notitia.....

5.us TESTIS

Item, Antonius Rodericius, orphanorum notarius, vxoratus et in hac vrbe habitans.....

Dixit ipse testis uerum esse se ualde in hac vrbe per sex uel septem menses oculorum morbo laborasse, illis uidelicet nebula offuscatis maculisque interlitis, ita ut uidere non posset, uixque eos, cum quibus loquebatur, agnosceret; adhibitisque omnibus remediis, cum nihil uis morbi remitteret, sed potius augeretur, iuisse se in collegium diui Pauli, ubi corpus P. Mtri. Francisci quadam in arca clausum asseruatur; et, habita a Patribus licentia ingrediendi, illudque videndi ac tangendi, sicut aliis concedebatur eo tempore quo Goam aduectum fuerat, populoque in dicto

collegio expositum, accesit ipse testis et, osculatus pedes ac manus dicti Patris, oculis carnem eiusdem tetigit, ac deinceps in dies magis ac magis talem in melius mutationem sensit, ut intra duos menses sanus euaderet; et hac nunc sanitate fruitur. Neque ullo amplius usus est medicamento pro oculis, excepto allumine contrito, et humore malimonii, quae ille non oculis, sed circum oculos aliquando applicuit.....

### 6.us TESTIS

Item, Gaspar Vazius, uxoratus et in hac vrbe habitans.....

Dixit quod, cum Malacam uenisset, comperit quod Simon a Mello classem miserat contra acenos, qui, ut nostras naues comburerent, malacensem portum intrare tentauerant, multique iam elapsi erant [dies] post classis profectionem, nec tamen ullus de illa nuncius afferebatur, quod in causa erat cur doemon de hoc consuleretur; quocirca Pater Franciscus, certior factus quod aliquae foeminae exercebant diuinationes, sortes et similia, ut de suorum maritorum salute, qui cum nostra classe profecti erant, aliquid scirent, in fine concionis, ipso teste pr[a]esente, dixit: Agite Domino nostro gratias, quia classis nostra hostium classem superauit. Et dixit ipse testis, quod (si recte meminit) dictus Pater addidit: et crastina die hac de re nuncium habebitis. Et statim post duos dies classis nostra victrix peruenit, sicuti prius dixerat dictus Pater.

Dixit etiam dictus testis quod tempore, quo dictus Pater profectus est ab hac vrbe ad Sinas, apud quos spiritum Deo tradidit, in ultimo cum ipso teste colloquio et salutatione (erat enim ipsi ualde amicus et familiaris) dictus Pater illi dixit: mane in pace; neque enim amplius me uidebis, aut ego te, nisi in valle Josaphat.

Dixit item ipse testis Gondisaluum Fernandez, qui patroni maioris officium gerebat, ipsi dixisse, quod illi, Malaca in Indiam proficiscenti, dictus P. Mter. Franciscus dixit, timere se ne illi in ea nauigatione magnum aliquod periculum contingeret. Cum autem nauigarent iuxta uadum Ceilamum, nauis magno periculo fuit exposita et fere deperdita, a quo miraculose Dominus noster illam eripuit.

Item, dixit ipse testis quod Gaspar Lupus, matriculae calculator, illi dixerat quod, alloquente Antonio a Sosa dictum Patrem Mtrum. Franciscum, dictus Pater inter loquendum dixit gubernatorem Garziam de Sá non multo tempore esse victurum (dicto gubernatore saluo et incolumi); post duos tamen menses dictus gubernator decessit e uita.

Item, dixit ipse testis quod Joannes de Eiró [3] (modo diui Francisci monachus) illi affirmauerat quod , cum a Maluco simul cum dicto Patre nauigaret Malacam, dictus Joannes d'Eiró extruxit ibi sacellum, in quo dum habitaret, quadam nocte tentatus est a daemone, et dixit illum uisibiliter uidisse, et statim primo mane Patri magistro Francisco fassus est peccata sua, coelauit uero ei dictam tentationem; attamen dictus P. Mter. Franciscus dixit dicto Joanni d'Eiró: nonne tu tali nocte passus es talem laborem, et uidisti huiusmodi spectrum, quod tibi dixit talia uerba? Videns autem dictus Joannes d'Eiró quod Pater erat conscius tentationis et eorum quae illi ea nocte contigerant, continuo, prouolutus ad pedes dicti Patris, ab illo ueniam petiit, remque, ut sibi acciderat, fideliter exposuit. Ac post hoc dictus Joannes d'Eiró ingressus est religionem. Et dixit ipse testis audiuisse se a plerisque, qui uenerant ex Molucis, quod die quadam in fine concionis dixit dictus Pater mortuum esse in Amboino castellanorum generalem, atque adeo auditores monuit ut pro anima illius semel offerrent dominicam orationem 'et salutationem angelicam. Idem etiam dixerat de quodam Arausio statim post missam a se celebratam; et ita habuisse, postea compertum est.

Addidit ipse testis quod, dum dictus Pater ageret Coccino, scripsit epistolam Patri Cosimo de Torres, affirmans in illa, quod certa quadam die ueneris in hac vrbe Goa colloquerentur [e] inter se; et ipse testis affirmat uisum a se eadem praedicta die e naui descendentem dictum Patrem, uidisseque etiam epistolam, quam dictus Pater transmiserat, illamque perlegisse.

---

[e] collequerentur *ms.*

---

[3] Aliis Joannes de Airo, Eyro, Deiró. P. SOUSA, op. cit., eum semper nominat Joannem de Eyró,

Dixit deinde ipse testis se a quamplurimis audiuisse in [f] promontorio Comorino cecidisse quendam puerum in puteum et suffocatum fuisse, ac matrem dicti pueri cum lachrymis ad dictum Patrem magistrum Franciscum uenisse; Patrem uero bono illam animo esse iussisse, quandoquidem filius eius uiueret; accessisseque ad puerum iacentem illumque suscitasse, ut omnes hoc ipsum narranter affirmant. Et dixit ipse testis quod Pater Balthazar Diaz dum laboraret angina, ita ut nihil deglutire posset, ueniente illi in memoriam corpore P. Mtri. Francisci, cepit clauem arcae, in qua erat inclusum dictum corpus, et, illa aperta, tactisque gutture ipso pedibus dicti Patris, statim sensit humorem uenenosum, quo laborabat, diffluere, et mane sanus euasit.

Et dixit ipse testis se audiuisse a P. Mtro. Melchiore [4], et a Patre Balthazare Diaz, quod corpus P. Mtri. Francisci in aliquibus eius partibus retinebat aliqua uestigia sanguinis, qui ab illo post mortem manauerat.....

### 7.[us] testis

Item, Cosimus Annez, oeconomus bonorum regis domini nostri.....

Dixit quod P. Mter. Franciscus, vbi primum cum gubernatore Martino Alphonso a Sosa mense Maio anni millesimi quingentesimi quinquagesimi secundi Goam appulit, cum propter munus quod gerebat administratoris collegii Conuersionis, tum etiam quia eo tempore habitabat cum ipso magister Jacobus [5], cui incumbebat docere pueros qui ad fidem conuertebantur, et in dictum collegium, quod tunc a dicto Cosimo aedificabatur, recipiebantur, statim coepit magnam operam impendere, tam in doctrina et instructione omnium gentium, quam in frequenti visitatione carcerum et hospitalium, ubi uinctos et aegrotos uisitabat eorumque confessiones audiebat; et ea de causa hora sibi

[f] se in *ms.*

[4] Melchiore Nunnio Barreto.

[5] Jacobus sive Didacus de Borba, qui in goano Sti. Pauli collegio docebat. De eo agitur saepe, supra, vol. I, et in opere Souza, *Oriente conquistado*, I, 24.

admodum sera et incommoda domum redibat, cum quadam tamen laetitia et uultus hilaritate, adeo ut omnibus esset aedificationis exemplo, et diuinae laudis incitamento. De naui, cui nomen a Sancto Thoma, qua dictus gubernator uenerat usque Mozambich, frequens sibi sermo erat et dicebat: O illa nauis! et alia uerba, quorum testis non bene recordatur, quia nondum tunc animaduerterat uerba dicti Patris praeseferre mysterium; et post paucos dies allatus est nuncius nauem fecisse naufragium: qua de re nunquam postea illum loquentem audiuit.

Deinde dixit ipse testis quod dictus Pater, ut sciret quinam christiani essent in promontorio Comorino, et quanta instructione indigerent, illuc ire decreuit, et de necessario commeatu nautico nihil cogitauit; solum ipsi testi (qui illi aliqua parare uolebat) dixit se iam habere ocreas, et corium ad impediendum solis ardorem; atque ita profectus est. Postquam uero, hac missione peracta, reuersus est, habitauit in collegio cum magistro Jacobo, qui ibi residebat cum pueris quos docebat. Et cum eo tempore cum illo ex dicto Comorino uenissent duo viri nobiles xpiani. indigenae, cum illo etiam habitarunt; et tam ob eius personam, quam ob eius opera, omnes in dicto Comorino maximam de illo existimationem conceperunt, ac fidem christianam maximo cum feruore sunt amplexi.

Vlterius dixit ipse testis quod aliqui ex Comorino uenientes retulerant dicto P. Mtro. Jacobo quod, cum quaedam hominum multitudo puerum quendam satis notum ac nobilem mortuum portarent ac magno cum clamore coram dicto Patre sisteret, ipse illum uiuum manu erexit. Et hoc dicto testi narrauit dictus magister Jacobus, affirmans fuisse sibi pro certo narratum. Et cum dictus magister Jacobus rogaret ipsum testem ut ambo simul quaererent de rei ueritate a dicto magistro Francisco, ipse testis dixit se non audere illum interrogare, at quod interrogasset ipse; et in hoc conuenerunt. Ergo post paucos dies dixit magister Jacobus ipsi testi: interrogaui magistrum Franciscum de puero suscitato modo quo mihi fuerat narratum, dicendo: Pater magister Francisce, ad gloriam et laudem Dei [dicas] qualiter res se habuit circa puerum illum, quem in promontorio Comorino

suscitasti: Cui ille, rubore perfusus, amplectens hilari uultu dictum Patrem Jacobum, dixit: Bone Deus! Pater magister Jacobe, ego ne ut mortuum suscitarim? O me peccatorem! Afferebant quidam illi homines puerum illum; uiuus tamen ueniebat; ego uero, illum alloquutus, surgere iussi in nomine Dei, et ille se erexit; id autem populus admiratus est. Et dixit ipse testis dixisse sibi dictum magistrum Jacobum: non dubites P. Mtrum. Franciscum gratia Dei suscitasse illum puerum, qui mortuus afferebatur.

Dixit etiam ipse testis quod anno quingentesimo quadragesimo quinto, postquam naues a regiis ministris adornatae et expeditae erant, ipso teste gerente officium oeconomi bonorum regis, aduenit a promontorio Comorino dictus Pater Mter. Franciscus ob magnam, quae inter ipsos erat, amicitiam, et simul ob singularem ipsius testis erga eum obseruantiam ac deuotionem, ipsum testem interrogauit qualiter res habuisset in onerandis nauibus; cui testis: satis bene (inquit). Soluerunt enim, fauente Deo, e portu septem naues, multo pipere et aliis aromatibus onustae; quinimmo mitto regi adamantem, quem emi decem millibus aureorum, et in Lusitania aestimabitur uiginti quinque uel triginta millibus aureorum. Et cum dictus Pater quaereret ab ipso teste qua naui ueheretur dictus adamas et cui commendatus: ipse testis respondit quod illum crediderat domino Joanni a Norogna, praefecto nauis cui nomen Atouguia. Et extemplo dictus magister Franciscus: nollem (respondit) tali naui ueheretur; quo audito ipse testis, aliquantulum turbatus, illi dixit: vestra reuerentia dicit hoc ob aquam, quam hic nauis accepit? Cui Pater in haec formalia uerba: non ob id, inquit. Ipse uero tunc rogauit dictum Patrem ob amorem Dei, ut in suis sacrificiis et orationibus dictae nauis et aliarum recordaretur, pr[a]esertim quia emerat dictum adamantem sine regia commissione, et illum mittebat ut regi praesentaretur, quare periculum ipsi testi stabat; qui quidem exinde semper cum formidine remansit. Et post dictarum navium regressum, ex pr[a]edicti domini Joannis litteris et aliunde certior factus est qualiter dicta nauis in itinere aperta fuit in inferiore parte iuxta malum, et ingentem aquae uim accipiebat, et persaepe omnes uectores nauem ipsam ad littus allidere, aut saltem

sese ad aliam nauim transferre, prope decreuerunt; et in hac dubitatione et perplexitate, cum nullum aliud remedium superesset, malum magnum scindere constituerunt; quo facto, iterum tabula fluctibus aditum occlusit; quare, eiecta aqua, duabus antenis dicta nauis simul cum aliis suum confecit iter, et una omnes vlyssipponensem portum tenuerunt. Quod quidem par est credere precibus ac meritis huius beati Patris euenisse.

Dixit item ipse testis, quod anno quingentesimo quinquagesimo secundo, habitante ipso teste iuxta diuam Luciam, paratisque omnibus qu[a]e sibi ad profectionem necessaria erant, ac caeteris rebus expeditis, solumque expectante quandam sententiam ferendam a prouisore maiore super rationibus doctoris Francisci Toscani ipsius soceri, quam dictus prouisor illi promiserat magna cum breuitate esse prolaturum; per id tempus iuit dictus Pater Franciscus domum ipsius testis, ut eius uxoris confessionem exciperet; et in ipso actu confessionis, uel post, narrauit illa dicto Patri quomodo erant parati ad proficiscendum in Lusitaniam; cui dictus Pater respondit, eos adhuc debere immorari; et de hoc dicta eius coniux ipsum testem certiorem non fecit, ne illi molestiam aliquam afferret. Sed post hoc, dolo et iniuria, quaedam contra illum exorta est lis in dicto prouisoris iudicio; quare proficici non potuit; et cum ea de causa tristaretur, ipsius uxor illum consolata est, exponens qualiter P. Mter. Franciscus, quando eius confessionem audiuit, illi dixerat quod supra dictum est; et hoc tempore dictus Pater Franciscus est in Japoniam profectus.

Et dixit etiam ipse testis, quod corpus huius beati Patris, cum prius ex Sinarum portu Malacam esset aduectum, sequenti deinde anno (qui fuit quinquagesimus tertius) Malaca in hanc vrbem translatum fuit, et in sacello domus Conuersionis Sanctae Fidei fuit integrum ostensum, ex quo bene apparebat illud esse sancti, et diuinitus conseruari.

Coeterum pleraque alia tacet ipse testis, quamuis ea a testibus fide dignis audiuerit. Affirmauit autem ipse testis quod id, quod sibi de dicto Patre retulit magister Jacobus, pro tam certo habet, ac si ipsemet uidisset; talis enim eius uita atque exitus fuit, ut non minora his sperari et credi de ipso liceat.....

8.us TESTIS

Item, doctor magister Cosmus Saraiua ....

Dixit ipse testis quod ipse aduectus fuit ex Lusitania eadem naui cum P. Mtro. Francisco, et in ipsa uidit ipse testis dictum Patrem Franciscum saepius incumbentem operibus charitatis et christianae doctrinae; succurrebat enim infirmis et pauperibus in necessariis eleemosinis, quas ipse in dicta naui colligebat; infirmosque ac debiles curabat; peccatorum confessiones audiebat; docebat et praedicabat, et nunquam ab iis operibus charitatis et doctrinae christianae uel per momentum cessabat; et supradicta cum magna uultus hilaritate agebat, ita ut ab omnibus pro viro sancto et iusto haberetur, et in hac etiam opinione erat apud ipsum testem. Et cum tota classis Mozambicum appelleret, dictus Pater talem curam et diligentiam posuit in curandis et seruiendis infirmis, qui illa aduecti erant, ut ipse tandem in morbum incideret dum ibi classis hyemaret; et ab omnibus fuit pro miraculo iudicatum et pro re memorabili, quod scilicet de dicta classe non plures quam quadraginta, uel unus et quadraginta, homines obiissent, quod fuit statim memoriae mandatum eo quod reputaretur res notabilis; et omnes hoc tribuebant uirtuti ac diligentiae dicti Patris, per quem Dominus noster talia operabatur. Et cum dictus Pater ob magnum laborem in morbum incideret, essetque inter reliquos infirmos, ipse testis illum recepit in domum suam, illique medicamenta applicuit; in qua aegritudine, quia grauis et periculosa erat, nouem uicibus scisa illi uena fuit, et tribus diebus phrenesi laborauit: ipse autem testis obseruauit quod in rebus diuinis et spiritualibus dictus Pater in suo perfecto iudicio manere uidebatur, in aliis uero suae salutis corporalis nihil ad rem, quandiu phrenesi teneretur, loquebatur: recuperata uero sanitate, dictus Pater coepit iterum assuetis ministeriis operam dare usque dum in Indiam peruenit; et in eadem nauigatione semper praedictis operibus incubuit. Et postquam peruenit Goam, quandiu ibi commoratus fuit, semper cum magna populi frequentia uerbum Dei annunciabat; confessiones audiebat; et in hospitalibus habitabat, infirmos multifariam iuuando ac spiritualiter

consolando; et si qui erant discordes, uel sese odio prosequebantur, eos in gratiam et amicitiam reducebat; et denique plurima alia faciebat ad maiorem Dei gloriam et obsequium.

Omnes illum colebant ac uenerabantur, illique obedientiam praestabant, eum consulebant in rebus ad suorum animorum salutem spectantibus; atque in hisce ministeriis sese exercuit quousque profectus est ad promontorium Comorinum; ubi postquam per aliquod temporis spatium commoratus esset, peruenit Goam nuncius ac fama eorum, quae dictus Pater illic faciebat, et operum supernaturalium quae Dominus noster per illum operabatur, videlicet sanare infirmos et alia similia, inter quae dicit ipse testis se audiuisse a gubernatore Martino Alphonso [6] dictum Patrem in promontorio Comorino suscitasse quendam puerum, qua de re uulgo fertur constans opinio usque in hunc diem.

Et cum ipse testis esset Malacae, dictus magister Franciscus illuc uenit, ibique continuo docebat, confessiones audiebat, uerbum Dei annunciabat, et multa alia faciebat charitatis opera, quae supra fuerunt declarata. Et quia ipse testis magna dictum Patrem prosequebatur obseruantia ac ueneratione, ipsius missam semper audiebat; quocirca die quadam, cum ipse testis in hospitali (eo quod medicus illius esset) missam dicti Patris audiret, post uerba consecrationis uisus est uidere dictum Patrem a terra eleuatum, ita ut pauimentum pedibus nequaquam tangeret. Dubitabat ipse testis ne forte hac in re hallucinatus fuerit, fallente ipsum immaginatione ob amorem ac deuotionem singularem qua dictum Patrem prosequabatur.

Dum uero Pater concionabatur, audire illum consueuerat quidam judaeus legis peritus, et eius doctrinae irridebat, eratque in suis erroribus adeo obduratus ac pertinax, ut impediret ne alii judaei ad fidem conuerterentur. Ergo ad hunc judaeum Pater habuit ingressus; coepit cum illo familiariter conuersari et manducare; neque ante in coepto destitit, quam dictus judaeus fidem nostram amplexus est; et postea ad obitum usque pro optimo christiano fuit habitus; quod quidem opus per totam Malacam

---

[6] Martino Alphonso de Sosa.

habitum est pro miraculo, eo quod judaeus ille durae ceruicis, doctus, ut dictum est, et pertinax esset.

Et dixit quod Simon a Mello, cum esset dux Malacae, misit classem contra acenos, qui armata manu dictae vrbis portum intrauerant, et naues, quae in eo erant, capere et comburere tentauerant; et profecta aduersus eos nostra classe, transactoque iam uno circiter mense nulloque de illa nuncio Malacam allato, ac proinde lusitanis Malacae ualde sollicitis timentibus ne dicta classis ab hostibus fuisset capta; P. Mter. Franciscus die quadam in fine concionis auditores monuit ut gauderent et gratias Deo agerent; nam classis nostra (inquit) inimicam classem profligauit, et nostri salui et incolumes ac uictores redeunt; et post triduum (si ipse testis bene recordatur) peruenit nuncius uictoriae, quam nostri reportauerant, et statim appulit etiam nostra classis, ducens secum captam acenorum classem ingenti cum laetitia et plausu ob tam insignem victoriam, quae fuit reportata eo modo et tempore quo Pater praedixerat.

Et dixit ipse testis se uidisse corpus dicti Patris in collegio diui Pauli huius goanae ciuitatis, quo tempore Malaca fuit translatum, propriisque manibus tetigisse ipsius uentrem, quem reperit tactu, et corpulentia succosi corporis, non mirrhati; et uisum fuit ipsi testi tangenti habere adhuc propria intestina; et continuo, ne dubius remaneret, dixit cuidam fratri Societatis ut mitteret digitos per quoddam foramen, quod corpus habebat a latere cordis; qui digitum misit, et, illo extracto, per illud foramen exiit sanguis aquosus, quem ipse testis odoratus est, et nullum habebat corruptionis odorem, sed tantum quendam rancorem, ortum (ut uidebatur) ex calce et uestibus, quibus corpus indutum et contectum erat; et crura aliaeque corporis partes integrae erant, et uestitae aliqua carne, quae adhuc habebat tactum; qui quidem, secundum naturae cursum et physicae regulam, eo modo conseruari non posset, quia per multum tempus corpus fuerat sub terra conditum....

### 9.us TESTIS

Item, Franciscus Pereira, senator huius goanae ciuitatis.....

Dixit se fuisse Malacae tempore quo Simon a Mello expediuit classem contra acenos, qui uenerant in portum malacensem ut comburerent nostras naues, quae ibi erant; et ipse testis in dicta classe profectus est, quae acenos superauit, et eorum naues, gentem multasque diuitias et arma bellica, in praedam duxit; et simul ac dicta classis Malacam cum hac victoria appulit, P. Mter. Franciscus simul cum duce Simone a Mello uenit ad nauem, qua ipse testis aduehebatur; Pater autem Christi e cruce pendentis effigiem portabat manu, et magnum praeseferebat gaudium et laetitiam ob uictoriam, quam lusitani, Deo adiutore, de hostibus reportauerant; et dictus Pater amplexus est ducem dictae nauis, et omnes equites et milites qui ea aduehebantur; et statim in eadem naui dux Simon a Mello dixit duci dictae nauis et omnibus qui in ea erant (quod etiam ipse testis audiuit ab ipso duce, et ab omni populo generaliter), dictum Patrem magistrum Franciscum post concionem annunciasse de suggesto victoriam reportatam contra acenos eodem tempore, quo bellum commissum fuit contra illos, sic et eo modo quo euenerat.

Et ueniente ipso teste eodem anno Malaca in Indiam naui Garziae de Sosa, qua simul uehebatur dictus P. Mter. Franciscus, non longe a Ceilam ingens oborta est tempestas, qua magnum omnes periculum et laborem passi sunt, ac iam pene de sua salute desperabant; omnibus autem labori ac praesenti periculo intentis, ipse testis suae consolationis causa se in cubiculum dicti Patris no[c]tu contulit, eo quod magnum impenderet [g] periculum, et inuenit dictum Patrem orantem genibus flexis coram Christo crucifixo; et quia illum sic uidit orantem, noluit eum ab oratione retrahere; et sequenti die cum ipse testis dicto Patri narraret calamitatem praeteritam, ex qua adhuc erant fatigati, respondit dictus Pater rem esse parui momenti. Hoc autem dicebat fretus auxilio Dei, qui nos ab eo discrimine liberauerat, et ab aliis in posterum liberaret.....

[g] impenderent *ms.*

IO.[us] TESTIS

Item, Gondisaluus Garzia, uxoratus et in hac vrbe habitans...

Dixit quod eo anno, quo Simon a Mello fuerat dux Malacae, ipse testis uenit Malacam, et ibi generaliter audiuit P. Mtrum. Franciscum de suggesto, ex quo praedicabat, dixisse a classe nostra profligatam esse classem acenorum, quo tempore nullus Malacae erat nuncius nostrae classis, nedum victoriae; venisse autem postea nuncium, qui retulit hostium classem superatam ac profligatam fuisse a nostra, et sic compertum fuisse uerum esse quod Pater praedixerat.

Dixit etiam ipse testis quod, cum ipse Malaca [h] in Indiam ueniret quadam naui (cui nomen Dufana, cuius ipse erat magister, ueniebatque ex Maluco), dicta nauis noctu pertransiit iuxta syrtes, quas uocant de Ceilam; quod cum ipse testis, qui clauum tenebat, repente animaduertisset, coepit simul cum reliquis de salute desperare propter pr[a]esens discrimen; a quo tamen Deus eos eripuit. Et cum adhuc ipse testis esset in eodem periculo, multumque angeretur, Joannes d'Eiró, qui eadem naui uehebatur et erat socius P. Mtri. Francisci, monuit ipsum testem ne molestia afficeretur; dixisse enim uero sibi dictum magistrum Franciscum Malacae, dictam nauem magnum periculum esse subituram.

Dixit etiam ipse testis quod, antequam Malaca obsideretur, et in illa grassata esset lues illa contagiosa, qua (notum est omnibus) laborauit, ipse testis uidit persaepe, ante aduentum dictae pestis, [P. Mtrum.] Franciscum Malacae condolentem et dicentem: Vae tibi Malaca! Deprecemur omnes Deum pro illa, orabat.

Et dixit ipse testis uidisse se et audiuisse Malacae et in Maluco, dictum P. Mtrum. Franciscum extraxisse et separasse quamplurimos concubinarios a pessimo statu in quo erant, coëgisseque aliquos uendere ancillas, quas in concubinas habebant, et alios ad matrimonium cum illis contrahendum induxisse; ita ut in illis partibus, qui luxuriose uiuebant, opera dicti Patris redu-

---

[h] Malacae *ms.*

cerentur ad rectam uiuendi norman, et peccandi occasiones amouerent.....

II.us TESTIS

Item, Antonius Gundisaluus, uxoratus et in hac vrbe habitans.....

Dixit quod, cum esset Malacae, generaliter ab omnibus, qui ueniebant ex Maluco cum Ferdinando a Sosa de Tauora, se audiuisse ducem generalem castellanorum in Amboino uita functum, et quod P. Mter. Franciscus dixerat post concionem in Maluco, hunc ducem esse mortuum in Amboino, rogaueratque auditores ut eius animam iuuarent dominica oratione et angelica salutatione; et postea notum fuit quod eo tempore, quo Pater in Maluco hoc dixerat, dictus dux decesserat in Amboino; quod quidem ob magnam itineris intercapedinem resciri tunc in eo loco non poterat.

Dixit similiter ipse testis quod, cum annunciaret Malacae dictus Pater uerbum Dei quadam die, inter concionandum (pr[a]esente et audiente ipso teste) dixit: reddite Domino nostro gratias, et dicite orationem dominicam et salutationem angelicam pro uictoria, quam classis nostra obtinuit contra dacenos; quae uictoria postea nota fuit, post aduentum nostrae classis, quae dacenorum classem captiuam ducebat; et sic constitit omnia, quae praedictus [Pater] praedixerat, fuisse vera, cum tamen nondum Malacam aliquis in eo tempore nuncius de nostra classe esset allatus.

Dixit etiam ipse testis quod, cum dictus Pater esset in Amboino, dixerat timere se ne eueniret aliquod magnum periculum naui, qua ipse testis uehebatur; quae sane postea reuertens fuit naufragio proxima in freto de Saboom, eo quod supra saxum pertransierit, diffracto temonis ferro, et iam omnes de illa actum existimabant. Et iterum in uado de Ceilam in eadem nauigatione, ubi nauis prora uado infixa adhaesit; et ab utroque periculo Dominus noster sua misericordia illam eripuit.....

12.us TESTIS

Item, Petrus Vazius, uxoratus et in hac vrbe habitans.....

Dixit se audiuisse in Amboino quod Pater Mter. Franciscus, descendens de naui simul cum suo socio, nomine Arausio [7], in eadem insula extruxit quoddam tugurium ex ligno et paleis, ubi ambo habitarunt; et praecepit socio ut haberet curam animae suae, quia existimabat illam esse ultimam terram, in qua de naui descensurus [i] esset: et dictus socius post breue tempus mortuus est.

Et dixit testis quod in Moluco inter concionandum dixit dictus Pater mortuum esse in Amboino ducem generalem castellanorum, rogauitque auditores ut pro illius anima orationem dominicam et salutationem angelicam recitarent: et postea compertum fuit dictum ducem e uita decessisse eo ipso tempore quo Pater id dixit.

Dixit etiam ipse testis quod, dum ipse ab hac vrbe Malacam nauigaret, fungereturque officio magistri cuiusdam nauis, qua etiam uehebatur Pater Mter. Franciscus cum duobus sociis, adeo ingens suborta est tempestas, ut ad diuinam omnes misericordiam confugerent; eo autem tempore dictus Pater strenuam nauabat operam consolandis et confortandis hominibus, qui dicta naui uehebantur; et adeo inualuit tempestas, ut nihil supra tectum nauis remaneret, quod non in mari proiicerent. Et cum dictus Pater uideret afflictionem nauigantium, ascendit in superiorem nauis partem, ubi ipse testis clauum tenebat, et petiit ab ipso teste bolidem, qua altitudo maris explorari solet, et arripuit propriam uestem, qua erat indutus, et ligauit particulam illius in dicto nautico instrumento; et non bene percepit ipse testis an essent aliquae reliquiae, an uero particulae dictae uestis, et per pupim nauis coniecit inuolucrum illud in mare, praemissa benedictione: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, trium scilicet personarum, et unius Dei, miserere mei et populi hic congregati. Et hoc

[i] discensurus *ms.*

[7] Joanne Arausio (de Araujo).

ab illo audiuit ipse testis, et alii quamplurimi qui cum eo in eius cubiculo erant, ubi aliquorum etiam confessiones excepit. Et post spatium duarum horarum mare tranquillum et sine uento remansit ac si nulla antea fuisset tempestas; et uespertino tempore, cum iam tranquillitas esset, Pater dixit ipsi testi: multos in hac nauigatione debes pati labores, qui postea bis euenerunt; enimuero nauis per cautes sub aqua latentes transiuit. Et in eadem nauigatione dixit dictus Pater connauigantibus: filii, Malaca ingenti premitur malo; et cum postea Malacam appellerent, resciuerunt magnam, tum lusitanorum tum indigenarum, multitudinem esse mortuam; et adeo erat infectus ille tractus terrae, ut de navi ipsa triginta sex homines obierint, necnon de classe multitudo magna.

Et dixit ipse testis audiuisse se a magistro eius nauis, qua dictus Pater in Sinas nauigauerat, quando ibi animam Deo reddidit, dictum Patrem dixisse diem et horam in qua ab hac uita erat discessurus. Postquam uero uita functus est, positum fuit eius corpus in quadam arca, calce uiua interiecta, eo quod dictus Pater praecepisset ut sibi dictam calcem iniicerent; et ita permansit tribus circiter mensibus. Deinde uero (quia sic iusserat dictus Pater), quando nauis in Indiam redire debuit, effoso loculo, translatum est Malacam: quo cum primum peruenit, statim contagiosus ille morbus, qui tunc in dicta ciuitate grassabatur, cessauit, nec illo quisquam amplius mortuus fuit. Et dictum corpus fuit sepultum in templo Dominae Nostrae de Monte, ubi post septem uel octo menses, quando iterum, effoso loculo, erutum fuit ut in Indiam transferretur, integrum repertum fuit, et nauis, qua uehebatur, iudicio peritorum artis nauticae, peruenire in Indiam non poterat, eo quod malum magnum confractum haberet, ac ex fragmentis confectum. Ita tamen suum iter egregie confecit et salua peruenit.....

### 13 us TESTIS

Item, Michael Ferdinandus, uxoratus et in hac vrbe habitans.....

Dixit quod, commorante ipso in Ceilano in portu de Gale, Pa-

ter Mter. Franciscus illuc Malaca aduenerat, et inuisit ipsum testem iacentem in lecto, quia magno morbo afflictabatur: iam enim per integrum diem et noctem non poterat urinam emittere; et dictus Pater illum consolatus fuit uerbis spiritualibus, monens ne aegro esset animo, se enim facturum pro eo sacrum atque illum Deo commendaturum, et statim perrexit ad celebrandum; et ipse testis resumpsit animum ut huic missae sacrificio interesset; et peracto sacro domum rediit, et paulo post rediit etiam Pater; et ubi primum domum introiuit rogauit illum quomodo ualeret; dumque hoc rogaret, iam ipse emittebat urinam, et statim coepit bene habere periculumque euadere. Et dictus Pater dixit ipsi testi ut confiteretur peccata sua; fore enim ut ei Deus sanitatem largiretur.....

14.us TESTIS

Item, Maria Serrã, uxor Antonii Martini, in hac vrbe habitans.....

Dixit quod, cum habitaret in Batecala cum uiro suo, quia eo tempore erat oeconomus, et ipsa in utero gestabat a duobus mensibus, et infirma erat, petiit a viro suo ut illam duceret ad nauem, qua uehebatur corpus dicti P. Mtri. Francisci, quia nauis illuc appulerat: eo itaque a uiro suo ducta, postquam ingressa est nauim, rogatu ipsius testis fuit illi ostensum corpus dicti Patris, illudque uidit, uultu excepto; et propter magnam erga dictum Patrem deuotionem, quam ex dicta uisione conceperat, petiit ut ipsi concederetur parua particula cinguli, quo ipse Pater erat praecinctus; illa igitur concessa, sibi dictam particulam seruauit et inclusit in quodam reliquiario; qua de re ab aliquibus obiurgata cum esset, respondebat satis esse cingulum esse sacerdotalium indumentorum partem, ut inter reliquias asseruari posset ut ipsa faciebat; et postquam ipsa peperit, cum iam infans esset septem mensium, incidit in febrim absque aliqua salutis spe: quocirca, cum ipsa testis magnopere angeretur, recordata fuit dicti cinguli illudque apposuit circa collum infantis, et exinde coepit melius habere, et sanitatem recepit, et adhuc hodie uiuit. Et post sex menses dictus infans, quodam graui accidenti correptus, trium

dierum spatio male habuit, et medicinae ac alia remedia illi applicata non proderant; quare dicta testis iterum applicuit illi dictam cinguli particulam, et statim puer duos eiecit vermes, et ex illa hora bene ualuit.

Similiter cum quaedam puella esset in partu nec parere posset, fuit illi appositum dictum cingulum et peperit.

Eodem modo euenit cuidam mulieri febricitanti per mensem et amplius, cui fuit appositum praedictum cingulum, et statim cessauit febris, et amplius non est reuersa; quae omnia uidit ipsa testis, eo quod coram illa ac in eiusdem domo euenerint.

Et amplius non dixit; et haec subscripsit cum dicto prouisore.

Et ego, Pater Georgius Gomesius notarius, scripsi.

Addidit praeterea dicta testis, quod duo pueri, ipsius filii, inciderunt in morbum pustularum [j], quae tota ipsorum corpora ita cooperiebant, ut ne digito quidem signari posset locus aliquis carens pustula [k]: quocirca ipsa testis dictum cingulum illis circa colla apposuit; quo facto euenit ut, reliquis corporum partibus pustularum [l] plenis, sola colla illaesa remanserint.

### 15.[us] TESTIS

Item, Catherina Chiaues, uxor Jacobi Martini defuncti, in hac vrbe habitans.....

Dixit quod ipsa fuit longo tempore a daemone tentata, quam ob causam fateri sua peccata P. Mtro. Francisco decreuit, et re ipsa fassa est, reuelauitque dictam tentationem cum lachrymarum copia; et postquam dictus Pater ei absolutionem impartitus est, dixit illi ipsam statim liberam fore a dicta tentatione, et sic euenit.

Item, dixit ipsa testis quod iterum fassa est dicto Patri; et quando super ipsius caput, dum illam absolueret, manum imposuit, sensit ipsa testis talem consolationem spiritualem, ut desiderauerit ne illa absolutio unquam finiretur, quia existimabat et sentiebat quandam a dicto Patre exire uirtutem sinceram ac sanctam.

---

j postularum *ms.* k postula *ms.* l postularum *ms.*

Et dixit ipsa testis quod aliquoties confessa est dicto Patri; et anima ipsius tanto gaudio et laetitia erat affecta, quanta[m] nunquam alias senserat; et cum hoc dixit dicto Patri, ipse monuit ipsam ut Deo gratias ageret eo quod peccata ipsius dimissa essent.

Et dixit quod, cum dictus Pater ab hac vrbe proficisceretur ad Sinas, illam ultimo alloquens, petiit ab ea ut ipsum Deo commendaret, addens quod non amplius in hac vita se visuri essent, sed in gloria.

Et dixit dicta testis se audiuisse a quamplurimis, quod, cum dictus P. Mter. Franciscus in Japonia uersaretur, illatae illi fuerunt quammultae iniuriae et contumeliae ab indigenis, et quod fuerit ab illis saepenumero fuste pulsatus, uexatus et uituperatus; ipse uero ob amorem Dei patienter omnia tolerabat insistendo in sua doctrina.

Et dixit se audiuisse eum bis fuisse captum, et perductum ut occideretur; verum superuenisse, tam priori quam posteriori uice, eo loco adeo ingentem tempestatem, ut illi homines, timore perterriti, illum dimiserint.....

### 16.[us] TESTIS

Item, Franciscus Palea, eques ac domus regiae patricius, uxoratus, et in hac vrbe habitans.....

Dixit ipse testis quod, cum esset in Amboino, quo se contulerat cum Ferdinando a Sosa [8], offendit ibi Patrem magistrum Franciscum, qui eo tempore in ea insula uersabatur. Et uidit quod dictus Pater magnopere incumbebat in iuuando infirmos,

---

[8] Hic a TURSELLINO, *De vita S. Francisci Xaverii,* lib. II, cap. 18, vocatur «Ferdinandus Sosa, Hispanorum Dux, e nova Hispania... Molucum petens, classem ad Amboinum appulit». Attamen, ut videtur, omnino laudatus historicus hic decipitur; lusitanus enim Sousa duxque lusitanorum erat. Vide supra, I, 422; et LUCENA, *Historia da vida do Padre S. Francisco de Xavier,* lib. IV, cap. 2 et 3. Melius CORREA, *Lendas da India,* IV, 283, secundum quem, et quidem recte, dux hispanae classis erat Rodericus Lopez de Villalobos. Vide prae caeteris HERRERA, *Historia general de las Indias occidentales,* IV, 84-88. Caeterum hispanorum classis a Carolo V Molucum missa non fuit, immo hujusce cursum graviter improbavit.

qui erant plurimi ob quandam luem contagiosam, quae ibi eo tempore grassabatur, et quammultos absumebat lusitanorum: quocirca dictus Pater magnum laborem sustinuit, assiduam operam dando die noctuque audiendis confessionibus, inuoluendis syndone mortuorum corporibus; quae agebat, et sacrum offerebat pro unoquoque mortuorum; et labores, quos in hoc patiebatur, erant tales, ut omnes in admirationem adduceret.

Et audiuit ipse testis dictum Patrem dicentem quod, cum eo loci nauigaret, exierunt obuiam nauigio, quo uehebatur, duo piratarum nauigia, quam ob causam nautae in altum uerterunt proram, nec tamen latrones insecuti eos fuerunt: cum autem pertimescerent, qui nauigio uehebantur, terram praeteruehi propter dictos piratas, Pater magister Franciscus monuit ut timorem expellerent ac prope terram nauigarent; nihil enim fore periculi; atque ita euenit. Nusquam enim amplius in tota illa nauigatione piratica nauis comparuit, quinimmo fuerunt beneuole ac humaniter tractati.

Et dixit ipse testis [quod] in dicto Amboino erat quidam Joannes de Arausio, qui ibat simul cum dicto Patre in Malucum; ab eo autem Pater magister Franciscuus aliquoties petierat cibaria pro infirmis, pr[a]esertim uinum, quod dictus Joannes de Arausio habebat, ac sibimet conseruabat; et quia Pater frequenter huiusmodi res ab eo petebat, dictus Joannes de Arausio iam aegre praestabat, quia uerebatur ne sibi tandem deessent: quocirca Pater rogauit ipsum testem ut suo nomine, non uero nomine dicti Patris, petiisset a dicto Joanne de Arausio parum uini pro quodam infirmo; et cum ipse testis id fecisset, dictus Joannes de Arausio uinum dedit, sed monuit illum ne iterum petiisset, et dictus testis hoc retulit Patri; dictus uero Pater respondit ipsi testi: quid cogitat Joannes de Arausio? forte se consumpturum esse [m] suum uinum? Certo sciat fore hic a me diuidendas eius res, quia debet mori; et sic euenit; nam dictus Joannes de Arausio postea mortuus est. Et dictus Pater, pr[a]esente ipso teste, monuerat Arausium ut libenter praestaret petita pro infirmis, quia in Amboino debebat mori.

[m] se esse *ms*.

Dixit item ipse testis se, per literas sibi ex Maluco allatas' resciuisse quod, cum dictus Pater uersaretur in Amboino, qui locus distat a Maluco spatio sexaginta leucarum, inter concionandum monuit omnes ut, flexis genibus, recitarent orationem dominicam et salutationem angelicam pro anima Jacobi Gil, qui tunc animam agebat; et postea, uenientibus ex Maluco nauibus, constitit quod eadem hora vita functus fuerit.

Dixit etiam ipse testis quod, dum dictus Pater traiiceret in insulam Mori, in qua sunt christiani indigenae, laetis omnibus qui nauigio uehebantur, dictus Pater iratus surrexit et, scindens prae ira uestem, exclamauit: Jesu! illi homines, qui occidunt illos homines! Et postea, cum peruenerunt, constitit quosdam lusitanos interfectos a latronibus fuisse eo tempore, quo Pater dicta uerba protulerat.....

### 17.us testis

Item, Dominicus Pirez de Arausio, uxoratus et in hac vrbe habitans.....

Dixit ipse testis quod, cum ageret Malacae, multoties audiuit concionantem P. Mtrum. Franciscum; et in concionibus quas habebat increpabat nimiam licentiam morum, et iniustitias quae fiebant in ea vrbe, et dicebat: vtinam Dominus noster reuocaret sententiam latam contra Malacam; quibus uerbis praedixerat mala, quae postea dictae vrbi euenerunt, qualia fuere obsessio, qua fuit oppressa, et contagiosus morbus, qui grassatus in illa est, persimilis pesti, ex quo pauci euaserunt.....

### 18.us testis

Et post hoc, die uigesima octaua mensis Nouembris dicti anni, ego notarius, iussu dicti prouisoris, cum Patre Hieronymo Roderico, canonico huius cathedralis Goae, ab ipso prouisore ad hoc munus electo, iui interrogatum testes, quibus uel propter sexum, uel ob ualitudinem, non licebat uenire in domum dicti prouisoris. Itaque iuimus in domum Simonis de Cugna in hac

vrbe habitantis, et ibi, iussu dicti prouisoris, eius uxorem interrogauimus, cuius dictum est quod sequitur.

Et ego Georgius Gomesius notarius scripsi.

Hieronyma Pereira, uxor Simonis a Cugna, in hac vrbe habitans.....

Dixit ipsa testis quod audiuerat a fratre suo Antonio Pereiro, et a Jacobo Pereiro uxorato, quod multo tempore consuetudinem habuerunt cum P. Mtro. Francisco, et volentibus illis scire Malacae qua in re dictus Pater, cum ibi resideret, noctem insumeret, ipsum aliquoties obseruarunt, et hoc per foramina et rimulas parietis (erat enim ex palmarum ramis), et illum viderunt flexis genibus coram imagine Christi crucifixi, et deprenderunt illum oratione et contemplatione totam fere noctem insumere; et si quando post orationem quiescebat, reclinabat se super lectulum ex fune, quem coirum uocant, confectum, supposito capiti lapide, et hoc pauco temporis spatio. Atque hoc faciebat absque eo quod ab aliquo uideretur.

Et audiuit ipsa testis a quamplurimis fide dignis quod, cum Malacae magna pestis grassaretur, ex qua pauci paucis diebus euaserunt, ex die, quo corpus dicti Patris Malacam perductum fuit, statim dicta pestis cessauit, et exinde nullus tali morbo infirmatus est.

Et dixit ipsa testis quod, aegrotante quodam ipsius filio magna febri, cui adhibebat omnia medicinae remedia possibilia, frust[r]a tamen, neque enim sanitatem recuperabat; quare Maria Sarrã, uxor Antonii Martini, testis supra relata, obtulit ipsi testi quoddam reliquiarium, in quo erat quaedam particula cinguli eius uestis, qua corpus dicti Patris Malacae [fuit] inuolutum; et cum posuisset dictam cinguli particulam ad collum ipsius filii, ipse statim sanitatem recuperauit.....

## 19.us TESTIS

Et statim eadem die ego notarius cum dicto inquisitore accessi ad domum Violantae Ferreriae, uiduae, uxoris olim Jacobi

Rodericii, ciuis goani defuncti, quam iussu dicti prouisoris interrogauimus.

Et ego, Georgius Gomesius notarius, scripsi.

Hieronymus Rodericius.

Item, Violanta Ferraria, uidua.....

Dixit ipsa testis quod, cum corpus P. Mtri. Francisci ad hanc vrbem peruenit, P. Mter. Melchior, qui eo tempore habitabat in collegio, illud ostendit ipsi testi et aliis quibusdam mulieribus, quae dictum Patrem colebant, et ostendit etiam illis quoddam puluinar sericum caerulei coloris, quod erat sub capite dicti Patris quando Malaca translatum huc fuit, quod quidem uiderunt plenum sudoris iam sicci, ueluti hominis uiui.

Et dixit ipsa testis datam sibi fuisse paruam particulam carnis corporis dicti Patris Mtri. Francisci, quae caro erat rubicunda et sine humore; et cum ipsa testis diuideret ipsam carnem, ut illam in reliquiario includeret, dicta caro tinxit papirum, qua ipsa testis carnem inuoluerat, et ex eadem odor suauissimus emanabat; quae res multis admirationi fuit.

Et ita dixit ipsa testis quod P. Mter. Melchior misit ipsi quandam tunicam superhumeralem, qua corpus dicti Patris magistri fuerat inuolutum post mortem, quando Malaca translatum fuit in hanc vrbem, ut illam lauaret, quia habebat quasdam sanguinis notas magnitudinis cuiusdam denarii, quae erant crassae, et habebant sanguineum colorem; et ipsa testis rasit illas quodam cultro, et illas adhuc seruat in reliquiario, ex quibus odor exit suauissimus.

### 20.us testis

Et statim eadem die ego notarius et dictus inquisitor, ingressi domum Christophori Pereira, viri nobilis ac domus regiae patricii, et huius ciuitatis ciuis uxorati, interrogauimus ipsius uxorem iussu dicti prouisoris.

Et ego, Pater Georgius Gomesius notarius, scripsi.

Dictum uero ipsius est quod sequitur.

Donna Joanna Pereira, vxor Christophori Pererii, nobilis, ac domus regiae patricii.....

Dixit quod, cum ipsa iam a tribus mensibus iaceret infirma in lecto, ita ut medici iam desperarent de eius sanitate, audiuit aduenisse Malaca in hanc vrbem corpus P. Mtri. Francisci, cuius meritis Deus in eadem ciuitate Malacae multa miracula operatus erat; et quod praestiterat sorori suae et eius uiro salutem, ubi primum dictus Pater illos inuisit et consolatus est, monens illos ut haberent fiduciam in Domino, quia sperabat conferendam illis esse sanitatem; et ita euenit. Et hoc audiuit ipsa testis a dicto suae sororis uiro; et postea semper magna deuotione prosecuti fuerunt dictum Patrem. Et cum hoc affectu et fide, quam dicta testis iam habebat erga dictum Patrem, cum audiret campanas, et interrogaret cur pulsarentur, et responsum illi esset eas pulsari ob ingressum corporis P. Mtri. Francisci, statim petiit et rogauit ut eam ducerent in collegium, quia desiderabat tangere dictum corpus, et habebat magnam fiduciam in Domino quod statim salutem consequeretur, quia ualde infirmabatur et erat capta omnibus fere sensibus; sed placuit Domino eam ob illum feruorem sanare; quocirca sequenti die mane recuperauit, et sana euasit.....

Et post hoc prima die mentis Decembris dicti anni.....

21.[us] TESTIS

Emmanuel de Figueredo, testis iuratus.....

Dixit quod, cum esset gubernator Molucarum Bernardinus a Sosa, in secundo eius regiminis anno, si bene recordatur, dictus Bernardinus a Sosa misit uiginti lusitanos cum aliquibus indigenis, qui omnes summam quadringentorum faciebant, quorum dux erat rex ipse Moluci, quae gens traiecit in Morum ad instantiam P. Mtri. Francisci, quia in eo loco defecerat quidam gubernator cuiusdam loci, nomine Tolo, cuius incolae omnes Christo nomen dederant opera dicti P. Mtri. Francisci, qui illos ad fidem conuerterat; et fertur illorum multitudo excedere uiginti quinque millia, ultra multa alia loca, quae sunt in dicta prouin-

cia, distantia inter se septem, octo et uiginti leucis; et ibi magnus numerus christianorum reperitur, quos praedictus Pater ad fidem traxit; et ipse Pater fuit primus qui illas prouincias ingressus est ad docendas illas gentes, ut ipse testis audiuit; et proficiscente dicto rege Moluci cum supradictis ad oppugnandam ciuitatem Tolum, quae posita est in eminenti et edito loco, ita ut possibile non sit illam expugnari, et circum ipsa forinsecus spatio fere iactus lapidis totum solum uepribus infixis horret, qui illic ab indigenis muniendi ac tutandi loci causa defiguntur; et quia gubernator insurgebat contra christianos, et intentabat ecclesiam labefactare et alia deteriora facere adiutorio alterius regis uicini, dictus rex Moluci cum gente supra enumerata tentauit ingredi dictum locum, et habitatores reducere in obedientiam ecclesiae: et postquam gens nostra descendit a naui, cum iam essent prope illum, pluit de coelo super ciuitatem et circum illam tam ingenti cineris quantitate, ut operuerit uepres ipsos, adeo ut gens nostra ambularet super illos absque ullo nocumento, cum tamen eminerent a solo longitudine unius palmi cum dimidio; et post hominum memoriam nunquam alias eo loco pluit cinere; quae res miraculosa fuit et prodigiosa ualde; itaque nostri locum intentarunt, illumque concremarunt, et occiderunt aliquos; maiorque pars illorum in syluam aufugit; et sequenti die uenerunt rogantes pacem, et fuerunt recepti, ad ecclesiaeque obedientiam reducti; et ut deinceps uiam ueritatis et doctrinam christianam agnoscerent ac retinerent, et ecclesiae reficerentur, remansit in dicto loco dictus P. Mter. Franciscus per aliquod tempus. Atque illa gens usque in hodiernum diem edocetur per Patres Societatis Jesu, qui ibi versantur.

Et dixit ipse testis quod in insulis Amboini dictus Pater multa loca et gentes ad fidem conuertit, et maximum Deo obsequium praestitit construendo multas ecclesias et praedicando. Et omnia haec scit ipse testis eo quod transiuerit per illa loca et ea uiderit...

### 22.us TESTIS

Item, Christophorus de Couros.....

Dixit quod, ipso habitante in Maluco quinque aut sex annis,

tempore quo P. Mter. Franciscus perlustrabat dictas partes, et quando rex Moluci, iussu Bernardini de Sosa, eo tempore ducis, ad vrbem Tolum perrexit ad instantiam P. Mtri. Francisci, eo modo, quo in attestatione proxima continetur; scit ipse testis, quia percepit a personis quae inde uenerant, quod illo die mane, quo nostri ciuitatem expugnarunt, pluit e coelo tanta tamque ingens cineris copia, ut etiam siluas cooperuerit; et intra vrbem et circa eandem decidit etiam tanta cineris quantitas, qui appositos uepres sic cooperuit, ut sine offensione super illis posset deambulari propter altitudinem dicti cineris qui eos tegebat; qui casus mirabilis fuit et mysteriosus: nunquam enim talis res uisa fuit uel audita in illis partibus; et infideles hoc euentu adeo attoniti manserunt, ut dicerent Deum illud opus egisse, ab eoque dictos cineres profectos esse, ut gentem illam subuerteret, quae contra christianos rebellauerat.

Et scit ipse testis quod in insulis Amboini et in partibus Maluci dictus P. Mter. Franciscus traxit ad Christi fidem maximum illarum gentium numerum ac populorum, qui modo fidem profitentur, apud quos praedictus Pater perpetuo praedicabat perpetuoque docebat nostrae fidei mysteria, et simul ecclesias aedificabat. In dictis uero locis reliquit multos pueros iam instructos et edoctos ad indigenas instruendos et docendos.....

### 23.us TESTIS

Item, Emmanuel Aluarez, uxoratus et in hac vrbe habitans...

Dixit quod, cum ageret aliquibus annis in Malucis, audiuit quod P. Mter. Franciscus in illis partibus et insulis Amboini magnopere rem diuinam auxerat, et ipse testis uidit in illis innumeras gentes christianas, quas dictus Pater ad fidem conuertit: quae gentes usque adhuc uiuunt et degunt sub obedientia ecclesiae, et quotidie crescunt in fide; et inter illos habitant Patres Societatis Jesu, qui dictas gentes docent.

Et cum ipse testis habitaret Malacae, audiuit a multis, qui uenerant a Maluco, magnum illud prodigium quod euenerat Toli, quando P. Mter. Franciscus traiecit Morum cum rege Moluci, qui locum illum in ditionem lusitanorum redigere conabatur;

dixit, inquam, quod audiuerit pluisse ibi eo tempore maxima cineris quantitate, ita ut nostri potuerint illam ciuitatem ingredi, quam alioquin nulla uis humana expugnare posset, eo quod, non minus a natura quam ab arte, sit egregie munita propter magnam altitudinem; et nullus ad eam datur aditus, nisi per angustam semitam, manibus extructam et mirum in modum accliuem. Indigenae autem, ob dictum cinerem metu perterriti, arcem et vrbem deseruerunt, nostri uero occuparunt. Quod quidem reputatum fuit magnum miraculum, etiam ab ipsismet infidelibus, qui ualde admirati sunt; et sequenti die, ipsorum rogatu pace composita, nostris obedientiam praestarunt, et iterum denuo ecclesias aedificarunt, quae modo constructae sunt; et ipsi praestant ecclesiae et nobis obedientiam, et inter ipsos in dies uiget atque in dies augetur christiana religio.....

### 24.us testis

Item, Christophorus Pererius, vir nobilis ac domus regiae patricius, ciuis in hac vrbe habitans, maritus donnae Joannae, testis supra nominatae.....

Dixit quod, cum eius uxor aegrotaret in lecto iam a tribus mensibus morbo quodam, qui illam perduxit ad extremum uitae, ita ut medici de ipsius sanitate diffiderent, peruenit ad hanc vrbem corpus P. Mtri. Francisci; quod cum ipsa resciret, memor operum supernaturalium, quae dictus Pater Malacae et alibi, dum uiueret, agebat, et adhuc post mortem faciebat, et simul audiens campanas, quae tunc ob aduentum dicti corporis pulsabantur, enixe rogauit ipsum testem, et alios consanguineos qui praesentes erant, ut ipsam deferrent in collegium diui Pauli ad conspiciendum dictum corpus Patris Xauerii; et quia ipsa (ut dictum est) erat morti proxima, non fuit delata; attamen ex illa hora coepit bene habere, et strenue tandem conualuit.....

### 25.us testis

Item, Lupus Pererius, frater testis supra relati, uir nobilis ac domus regiae patricius, uxoratus et ciuis huius ciuitatis.....

Dixit se esse affinem infirmae, de qua in attestatione proxima

fit mentio, et fuisse praesentem tempore quo dicta infirma, licet summopere aegrotaret, petiit et efflagitauit deferri in collegium diui Pauli ad uidendum corpus P. Mtri. Francisci; et uidit ipse testis quod ex eodem die, quo ipsa hoc desiderauit ac petiit, licet non fuerat ei concessum, quia non expediebat ratione morbi, exinde tamen coepit recuperare sanitatem, ita ut breui conualuerit.....

Et post hoc, nona die mensis Decembris dicti anni.....

### 26.us TESTIS (27.us IN LUSIT.)

Item magister Joannes, uxoratus et in hac vrbe habitans.....

Dixit se uenisse ex Lusitania in classe Martini Alphonsi, in qua etiam ueniebat P. Mter. Franciscus; et cum Mozambich, ubi hyemarunt, appellerent, dictus Pater ob multos labores, quos in curandis infirmis passus est in hospitali, in quo habitabat, et etiam foris cum aliis dictae classis, in febrim incidit, quae illum maxime torquebat; et cum ipse testis illum inuiseret, monuit illum ut relinqueret labores illos, quos infirmorum causa patiebatur, siquidem et ipse infirmabatur; et quod noluisset mortem arripere; et quod, postquam recuperasset sanitatem, adhuc non defufura esset occasio laborandi et exercendi illa et similia opera charitatis. Pater respondit, quod illa nocte usque ad diem sequentem oportebat illum esse cum quodam fratre, qui erat in magno periculo corporis et animi; et quod, cum hoc fecisset, statim cessaturus erat a labore: hic autem frater erat quidam nauta, et iam a diebus aliquot phrenesi laborabat; ergo die sequenti mane, postquam ipse testis uisitauit hospitalis infirmos, uisitauit etiam Patrem, qui habitabat in quadam domuncula, et inuenit dictum nautam iacentem in proprio dicti Patris lecto, qui erat ex funibus corii confectus (si bene meminit), et habebat parum pannum detritum, et quoddam puluinar, et nihil aliud; et dictus Pater iacebat supra funem cuiusdam paruae bombardae iuxta lectulum, in quo iacebat dictus nauta; et nihil aliud sub se habebat; et colloquebatur cum ipso nauta, qui quidem antea phrenesi laborabat; at postquam positus fuit in lectulo Patris

Francisci rediit ad perfectam iudicii sanitatem, et apud ipsum Patrem sua crimina expiauit, et fecit ut ei ministraretur sacrosanctum eucharistiae sacramentum; quo peracto mortuus est eadem die uespere. Et dictus Pater ualde gauisus est, immo continuo laetus apparebat, etiamsi multis laboribus urgeretur.....

### 27.us TESTIS (29.us IN LUSIT.)

Item Jacobus Madeira, uxoratus et in hac ciuitate habitans...

Dixit quod, cum ipse a Nagapatano dominica in passione post prandium proficisceretur in ciuitatem Diui Thomae, uectus quodam nauigio Michaëlis Ferreira, nocte sequenti exortus est aduersus uentus, et constitit firmumque mansit nauigium duodecim leucas a Nagapatano, et ibi fuit collectis uelis usque ad sabbatum sequens, quo tempore P. Mter. Franciscus, qui etiam in illo uehebatur, et in dictam ciuitatem ibat, ex dicta dominica, qua profecti fuerant a dicto Nagapatano, usque ad diem sabbathi in nocte, quo iterum uentis uela dederunt, dictus Pater per totum istud tempus nihil comedit; et hoc scit ipse testis eo quod dictus Pater habitabat in quadam camera ipsius testis, qui aliquoties rogauit illum si uellet comedere, dicens occidendam a se gallinam ut saltem potaret ius, et dictus Pater respondit nolle se hoc, uelle tamen ius aliquod ex caepa, quod ipse testis statim praeparare iussit, et Pater illud bibit, et nihil aliud praeterea sumpsit; quod ipse testis miratus est, quia iam a multis diebus nihil manducauerat. Et quidam famulus ipsius testis, qui habitabat in eodem cubiculo cum ipso Patre, idem affirmauit ipsi testi. Et quaedam puella octo annorum, quae etiam ibi erat, idipsum attestata est.

Dixit etiam ipse testis quod, antequam a dicto loco (a quo iam soluerant) essent in altum prouecti, P. Mter. Franciscus illum interrogauit utrum nauigium esset firmum, et ipse respondit esse peruetustum ac fragile; et statim dictus Pater illum monuit et rogauit ut reuerterentur iterum ad portum Nagapatani; et post aliquam consultationem circa hoc, ipse testis iussit uela dare et prosequi coeptum iter; attamen adeo saeua illico tempestas fuit exorta, ut coacti fuerint eundem Nagapatani portum, a quo paulo ante soluerat, quamprimum repetere; et ipse testis hoc obser-

uauit, quia sibi uisum est admiratione ac notatu dignum, quod scilicet, antequam dicta tempestas oriretur, Pater, utpote illam praeuidens, monuisset ut retro uela darent.

Dixit etiam ipse testis quod, cum esset Coccini conscientia laesa malo quodam proposito, iuxta templum diui Antonii obuiauit P. Mtro. Francisco, et, accedens ad illum salutandum et manum deosculandum, Pater interrogauit illum quomodo ualeret; cui ipse respondit quod bene. Corpore, inquit Pater; at animo male habes. Et quia ipse testis intellexit introspectam fuisse a dicto Patre suam prauam intentionem, fassus est peccata sua, fecitque reliquos actus, qui christianum hominem decent.

Et dixit ipse testis dixisse sibi quendam in Coromandelo, quod, cum naufragus, qui tunc e mari euaserat, adiret dictum P. Mtrum. Franciscum, et ab illo peteret eleemosinam, dictus Pater misit manum in peram lineam et extraxit eam uacuam; et statim coniecit oculos in coelum, et dixit dicto homini ne tristaretur, esse enim Deum misericordem; et, dictis his uerbis, manum iterum misit in peram, et extraxit illam nummorum plenam, quos dedit dicto homini.....

28.us TESTIS (30.us IN LUSIT.)

Item Hieronymus Ferreira, uxoratus, ciuis habitans in hac vrbe.....

Dixit quod, cum Jacobus Pererius eum inuiseret, incidit sermo de rebus Patris Francisci: quocirca ipse Jacobus Pererius narrauit illi aliqua gesta ipsius Patris Francisci infra exponenda, quae ipse testis, quia uisa illi sunt notabilia, scripsit in quodam libello, et sunt quae sequuntur.

Praedixit P. Mter. Franciscus impendere Malacae magnam calamitatem, quae postea euenit; fuit enim obsessa. Cum dictus Pater uersaretur Cincheo, conuenit lusitanos, et monuit eos ut uenirent Malacam et opem ferrent nostris fratribus lusitanis eo quod essent in armis et indigerent auxilio; quae res uera erat, ut postea constitit.

Cum rediret ex Japonia dictus Pater, ui tempestatis ruptus est funis, cui alligatus erat lembus; atque ideo dictus lembus

mansit in medio mari fere sine ulla spe illum recuperandi. Rogauit Pater gubernatorem ut iuberet uela demitti, et expectari dictum lembum; recusabat ipse, et nautae, affirmantes periculum esse ne, si uela demitterentur, mare nauigium fluctibus absorberet; demissa tamen fuere, et mox lembus apparuit, fuitque receptus simul cum aliquot nautis qui illo uehebantur.

Dixit dictus Pater Malacae inter concionandum, superatos captosque a lusitanis esse acenos, monuitque auditores ut pro parta uictoria, in gratiarum actionem, dominicam orationem et angelicam salutationem recitarent, totidemque pro defunctis; et post sex dies peruenit nuncius Malacam, quo constitit ita prorsus rem habere ut Pater praenunciauerat.

Cum Jacobus Pererius suam nauem ad Sinas mitteret, Pater illum monuit ut mitteret in ea alium hominem, qui merces administraret; fore enim ut ille, quem mittebat, antequam ad Sinas peruenisset, moreretur; et sic euenit.

Inter concionandum monuit dictus Pater in Moluco auditores ut recitarent semel orationem dominicam pro anima cuiusdam Arausii, quem dictus Pater in Amboino reliquerat quando inde decessit; et postea compertum fuit esse uita functum dictum Arausium eo ipse tempore quo Pater hoc dixerat.

Cum Pater nauigaret a Cinceo in Cantanum, et iam nauis attingeret eandem graduum altitudinem, in qua erat portus in quem tendebat, attamen portus nusquam apparebat, quocirca gubernator erat ualde perplexus, et monebat ut cito portum inuestigarent, ne forte superueniret aliquis tyfon, quod genus tempestatis saeuissimum est in mari; respondit P. Mter. Franciscus: esto bono animo, nam ante duas horas uenient ad nos lusitani cum nouis uictualibus. Veritatem prophetiae ostendit euentus.

Cum ageret apud Sinas, dixit, inter ducem Malacae et Bernardinum a Sosa, qui nuper Malacam e Molucis aduenerat, ortas esse rixas et contentiones; atque ita fuisse compertum postea est.

Et apud Sinas fuit sepultum corpus dicti Patris, ac sub terra conditum in quadam arca, calce uiua iniecta, integrum ut uiuebat; et cum lusitani nautae loculum effoderent ut ossa in Indiam transferrent, dictum corpus integrum repererunt.

Malacae vicarius excepit dictum corpus cum magna pompa ac solemnitate, et illud, indutum ueste sacerdotali, sepeliuit iterum sub terra sine arca, ubi quieuit per aliquot menses; et ante profectionem nauium Malaca in Indiam, effosa iterum terra, exemptum fuit dictum corpus ut transferrentur ossa, et integrum pariter repertum est: quare in arca inclusum mansit per quatuor menses apud fratrem Jacobi Pererii, qui illud domi suae asseruauit usque ad profectionem nauium.....

29.us TESTIS (31.us IN LUSIT.)

Item, Joannes Perez, uxoratus et in hac vrbe habitans.....

Dixit se uersatum esse cum P. Mtro. Francisco duobus circiter mensibus in promontorio Comorino; et toto eo tempore uidit et notauit ipse testis quod dictus Pater continuo magnam agebat abstinentiam, et pauco cibo contentus erat, semelque tantum in die comedebat; et raro carnibus uescebatur, idque quando comedebat cum aliis. Et perpetuo dictus Pater strenue incumbebat in instruendos et iuuandos christianos in rebus fidei ac salutis, percurrens omnia illa loca magno cum labore ac periculo.....

30.us TESTIS (28.us IN LUSIT.)

Item Rodericus Secherius, qui in Bazaino fuit quaestor regius.....

Dixit se fuisse amicissimum P. Mtri. Francisci, utpote qui a multo tempore hominem nouerat; et cum ipse testis Malacae aliquarum rerum, ad suam conscientiam spectantium, rationem redderet dicto Patri, ille consuluit inter alia ipsi testi, ut in Lusitaniam se conferret, et frequenter peccata confessione expiaret. Et cum ipse testis Malaca in Indiam ueniret, gubernator illum creauit quaestorem regium in Bazaino; et dum ibi hoc munere fungeretur, uenit dictus P. Mter. Franciscus, qui ueniebat e Molucis; ipse autem testis, uidens illum uenientem per plateam, magna laetitia ad eum accurrit propter amicitiam qua se diligebant; et cum ad ipsum peruenisset, dictus Pater illum a se reiecit et dixit illi: fili, hiccine tu es? cur non obseruasti quod mihi pro-

misisti? Non ero tuus amicus, nec te amplius alloquar donec tua crimina fatearis. Et merito hoc dicebat: iam enim a duobus annis ipse testis peccata sua [non] fuerat confessus. Et Pater illum monuit ut confiteretur. Videns autem ipse testis quod dictus Pater statim conscientiam eius [n] fuerat intuitus, et recte monuerat eo quod a tanto tempore a confessione abstinuisset, illum secutus est, et apud illum sua peccata expiauit, agnouitque quod dictus Pater eum peccatorem agnouisset.

Et dixit ipse testis quod, cum ipse habitaret in eadem domo cum dicto Patre et eius socio, dictus Pater habitabat quoddam cubiculum separatum, in quo orationi et contemplationi uacabat postquam ipse testis et dictus Patris socius cubitum ibant; in quo cubiculo erat parua mensa, et super illam ligneus crucifixus ex ligno Diui Thomae, et quaedam crux uelata, et breuiarium; et ad latus huius mensae erat quoddam saxum nigrum instar cuiusdam magni capitis, uel etiam maius et oblongum; et postquam ipse testis et socius dormiebant, P. Mter. Franciscus contemplabatur et orabat flexis genibus, uestitus eadem toga qua interdiu utebatur, et elatis in coelum manibus. Et ipse testis per aliquot tempus illum obseruauit; et duabus uel tribus uicibus uidit dictum Patrem quiescentem, reclinato capite supra dictum saxum et alios lapides, qui erant iuxta mensam. Et ante auroram surgebat ad recitandum officium diuinum et rem diuinam faciendam...

Tertia die mensis Augusti anni millesimi quingentesimi quinquagesimi septimi.....

### 31.[us] TESTIS (DEEST IN LUSIT.)

Antonius Diaz, indici praesidii miles.....

Dixit se uersatum esse cum P. Mtro. Francisco per annum cum a Japonia tenderet in Sinas, quo tempore uidit ipse testis dictum Patrem peragentem uitam religiosam et sanctam; et cum a Japonia traiicerent ad Sinas uecti naui cuiusdam Odoardi a Gama, fuit exorta magna ac foeda tempestas, ita ut omnes de se

---

[n] eius eius *ms*.

actum esse fere existimarent; et, rupto ui tempestatis fune cymbae, quae ad puppim nauis ligata erat, remansit dicta cymba absque ullo remedio in medio mari cum quatuor nautis, qui illa uehebantur; cumque iam non appareret, nullaque esset illam recuperandi spes, eo quod tempestas ualde uigeret, uisum est nauarcho, relicta cymba, cursum prosequendum; attamen dictus Pater rogauit illum reliquosque nautas ne ulterius tenderent, sed expectarent cymbam, quia statim uentura erat; at illi, cum existimarent possibile non esse cymbam recuperari, insistebant in nauigatione prosequenda; dictus uero Pater etiam urgebat uehementer ne nauigarent, quia cymba statim erat peruentura; et tandem, quia uisum fuit impossibile esse id quod Pater aiebat, coeperunt uelum prorae sursum efferre ut discederent; at Pater, accurrens, manu supra antennam apposita, ab incoepto desistere coëgit, precatus ut expectarent adhuc paululum. Et mox ipe testis iussu dicti Patris conscendit carchesium nauis; et cum non uideret cymbam uelletque descendere, dictus Pater rogauit ut adhuc parumper expectaret, quia statim descensurus erat; et post breue temporis spatium cymba peruenit ad nauem, non sine magna omnium admiratione. Nam postquam aliqui eam primo conspexerunt, breui tempore peruenit ad latus nauis; et aethiopes, qui illa uehebantur, nauim intrarunt, relinquentes dictam cymbam liberam absque ullo ligamine, et tamen, a nemine apprehensa, ipsa quieuit iuxta latus nauis quousque alii dictae nauis ministri, illam ingressi, eam naui alligarunt; et statim, qui in naui erant, hoc habuerunt pro re ualde notabili.....

### 32.us TESTIS (DEEST IN LUSIT.)

Gillius de Goys, uir nobilis ac domus regiae patricius.....

Dixit quod, cum dictus Pater proficisci uellet ab hac ciuitate ad Sinas, nouissime alloquens Cosmum Annez et ipsius uxorem in propria ipsorum domo, praesente ipso teste, inter alios sermones, quos inter se contulerunt, rogauit Cosmus Annez dictum Patrem, quando iterum se esse[nt] uisuri; et Pater respondit non amplius sese esse uisuros nisi in valle Josaphat: quo dicto, dictus

Pater nauim conscendit, et post duos uel tres dies profectus est ad Sinas, apud quos migrauit in coelum.....

### 33.us testis (deest in lusit.)

Item, Odoardus a Gama, uir nobilis ac domus regiae patricius, uxoratus et in hac urbe habitans.....

Dixit quod, cum ipse testis naui sua a Japonia in Sinas simul cum ipso P. Mtro. Francisco ueheretur, magna exorta tempestate, scapha, rupto fune quo ad puppim dictae nauis erat alligata, breui temporis spatio a conspectu ipsorum euasit, nec ulla erat spes illam recuperandi, naui scilicet suum cursum peragente. At P. Mter. Franciscus rogauit nauarchum et reliquos, ut expectarem scapham, quia statim uentura erat; et quia illi existimabant possibile id non esse, constituerunt nauigare. At Pater hoc tempore orationi incumbebat, uouebatque aliqua sacrificia pro iis, qui in dicta scapha uehebantur, et pro ea; statimque eodem tempore conspexerunt dictam scapham, et illam expectarunt, quae breuissimo tempore ad nauem peruenit, saluis omnibus qui ea uehebantur; et cum ad nauem appulissent, et mare nimis agitaretur, nauim conscenderunt, cymba absque ullo ligamine interim relicta, quae tamen immota permansit quousque alii nautae eam ingressi alligarunt; qui casus statim ab omnibus pro notabili est habitus.....

## 17 Augusti 1557. Continuatio examinis...

### 34.us testis (deest in lusit.)

Jacobus Pereria, uxoratus et in hac vrbe habitans.....

Dixit se cognouisse Patrem magistrum Franciscum et cum illo usum multo tempore habuisse; ac proinde scire quod dictus Pater ab ora Piscaria et Coromandelo Malacam uenit, ibique ipse testis cum illo familiariter conuersatus est, et ex dicto loco profectus est in Banda, eo quod non inuenisset nauigium, quod traiiceret in Molucum, quo proficisci decreuerat; et de Banda se contulit in Amboinum uectus coracola (genus est nauigii), et cum eo profectus est quidam Joannes de Arausio, qui mansit in dicto

Amboino eo quod dictum nauigium, quo Pater uehebatur, paruum erat et illum capere non poterat; et postea, cum in Molucum ipse testis ueniret, audiuit quod, cum dictus Pater sacrum faceret in quodam sacello Dominae nostrae, monuit eos, qui aderant, ut recitarent orationem dominicam et salutationem angelicam pro anima dicti Joannis de Arausio, quia in Amboino e uita decesserat; hic autem locus distat a dicto Moluco spatio sexaginta leucarum.

Et dixit ipse testis quod, cum ipse apud Sinas ageret, uenit illuc a Japonia dictus P. Mter. Franciscus, et ab eo petiit ut ob amorem Dei (quando tanta illi beneficia contulerat) uellet liberare captiuos, qui apud Sinas detinebantur; et ipse testis ei obtulit facultates suas et omnia quae ipse uellet; et cum ambo uenirent Malacam, ut dictus Pater in India pararet legationem, et reliqua necessaria, quae ad Sinas deportanda erant pro redimendis hisce captiuis, dum in ipso itinere colloquerentur, frequenter dicebat dictus Pater ipsi testi, timere se ne diabolus impediret illud opus, et iter quod peragere intentabat. Et cum dictus Pater saepius hoc diceret, ipse testis, quasi succensens dicto Patri, mirabatur id quod Pater dicebat: et tamen ipse non desistebat, dicens: tu uidebis. Ergo ipse testis praestitit dicto Patri omne quod ab eo petiit. Et cum dictus Pater ex India rediisset Malacam, et in Sinas, sicut statuerat, cum legatione proficisceretur, dom Aluarus de Taide ita profectionem impediuit, ut legatio nullum prorsus sortita fuerit effectum.

Et dum a Sinis ambo nauigarent Malacam, multos dies, antequam Malacam peruenirent, dixit Patri magistro ipse testis percupere se inuenire aliquem, a quo rescire posset utrum Malacae gereretur bellum necne: et quia ipse testis dubitabat utrum posset inueniri huiusmodi nuncius, eo quod regio, unde ille peti debuisset, Malacae bellum inferebat, dictus Pater monuit ipsum testem ne se affligeret, dicens a se repertum iri nuncium (ut postea repertus est), Malacam autem pace frui, nullaque in pr[a]esentiarum calamitate premi; quin etiam fore ut ibi nauem Antonii Pereriae reperirent, quae eo ipso die soluere debuisset, rogatu tamen suo per duos adhuc dies expectatura erat, et tam cito

appellere debebat Coccinum, ut adhuc ibi inueniret naues in procinctu proficiscendi in Lusitaniam, quibus ipse litteras ad regem Romamque transmitteret. Quae omnia, ut dicta a Patre fuerunt, ita prorsus euenerunt.

Dixit etiam ipse testis quod tempore, quo dom Franciscus de Sá acenis bellum intulit, in quo bello etiam ipse testis fuit, dictus Pater, inter concionandum Malacae duos dies post reportatam de hostibus victoriam (cum tamen inde centum quinque leucas distaret fluuius Parles, in quo pugnatum fuerat), monuit populum ut Deo grates agerent, recitarentque orationem dominicam et salutationem angelicam pro parta victoria, quam nostri de acenis reportauerant, ac totidem etiam preces funderent pro iis, qui ex nostris in dicta pugna perierant, qui tres uel quatuor fuere. Et postquam classis nostra Malacam rediit, compertum est ita rem habere, ut Pater praenunciauerat, idque pro re magnopere notanda est habitum.

Dixit etiam ipse testis uidisse se Malacae puerum trium annorum morbo regio grauiter laborantem, ita ut potius daemon quam homo esse uideretur: enimuero, morbo correptus, gestus edebat horribiles, ac mirum in modum uociferabatur, aliaque faciebat, quae naturales infantis uires longe superabant, terrorem adstantibus incutiebant. Saepius autem eadem die morbo corripiebatur. Quod cum uideret ipse testis, die quadam dictum Patrem in domum suam, ubi puer tunc erat, uocauit, qui statim uenit, et omnia quatuor euangelia, manu super caput dicti pueri imposita, recitauit; reliquiarium deinde, quod dictus Pater e collo suspensum gerebat, sibi detractum, collo pueri apposuit. Et scit ipse testis dictum puerum ex illa hora non fuisse amplius dicto morbo uexatum usque ad pr[a]esentem diem, cum tamen octauus nunc agatur annus ab eo tempore, quo Pater coram ipso teste hoc egerit, puero nimirum adhuc uiuente ac sano.

Dixit deinde ipse testis quod, cum dictus Pater Malaca in Sinas proficisceretur, naui testis ipsius uectus, dixit dicto Patri (dum essent ambo in eadem naui) ut habitaret in eo cubiculo, quod est prope timonem, simul cum Gaspare Mendezio de Vasconcellos, qui, ipsius testis negotia peragendi causa, eadem quoque naui

uehendus erat, eique ipse testis Patrem summopere commendauerat, ut illi necessaria quaeque suppeditaret. Cum autem hoc diceret dicto Patri, ipse illum monuit ut se alteri commendaret, nam Gasparem Mendezium moriturum esse, min[im]eque uehendum ea naui; et, respondente ipso teste dictum Gasparem Mendezium bene ualere, Pater iterum pro certo affirmauit moriendum illi esse: quocirca dictus testis illum commendauit cuidam Thomae Scandel, suarum mercium curatori, qui eadem naui uehebatur. Tertio uero uel quarto die postquam nauis portu soluerat, dictus Gaspar Mendezius vita functus est Malacae; ibi enim manserat eo quod non potuisset profectionem adornare.

Dixit etiam ipse testis se audiuisse quod, cum dictus Pater ueheretur ipsius naui, nauisque ipsa demissis uelis staret prope insulas Cantani e regione portus, ad quem cursum tenebat, nec tamen nautae dictum portum ignoscerent, essentque ualde turbati ac perplexi, nescientes quo tendere deberent, Pater bono eos animo esse iussit; fore enim ut ea ipsa die illo uenirent lusitani, qui eos in portum perducerent: atque ita euenit; nam lusitani uenerunt sicut Pater praedixerat.

Dixit etiam ipse testis quod, cum Malacae P. Mter. Franciscus ualde angeretur, multasque pateretur uexationes, eo quod, quam in Sinas profectionem adornauerat, retardari ac penitus impediri uideret, ipse testis uidit illum patienter et magna cum humilitate has omnes aerumnas ac molestias tolerantem.....

Et post hoc, die mercurii, decima octaua mensis Augusti dicti anni.....

### 35.[us] TESTIS (DEEST IN LUSIT.)

Gondisaluus Pereira, indici praesidii miles.....

Dixit quod, cum ipse testis a Sinis Malacam tenderet, uectus naui Jacobi Pereriae, qua etiam uehebatur P. Mter. Franciscus, tam ipse testis quam reliqui socii magnopere angebantur, existimantes Malacam adhuc obsidione teneri, ut paulo ante tenebatur; quocirca sese ad pugnam adornabant. At dictus Pater Franciscus timorem illi exemit, pro certo affirmans Malacam non

teneri obsidione; immo addidit fore ut ipsi adhuc in malacensi portu reperirent naues in Indiam profecturas, de quo dubitabant, eo quod tempestas, ad eam nauigationem idonea, transacta propemodum esset. Quae omnia uera esse liquido constitit. Nam quo ipsi tempore Malacam peruenerunt, iam ea vrbs pace fruebatur, erantque adhuc in portu duae uel tres onerariae (quoad ipse testis meminisse potest), quarum una duos adhuc uel tres dies, postquam ipsi appulere, immorata est, eamque dictus Pater conscendit et in Indiam traiecit.....

21.ª augusti dicti anni. Continuatio examinis.....

36.us testis (deest in lusit.)

Item, Antonius Pereria, vir nobilis ac domus regiae patricius.....

Dixit quod, cum esset praefectus cuiusdam regiae nauis, cui nomen erat Galega, essetque in malacensi portu, in procinctu ut in Indiam solueret, peruenit Gundisaluus Pereria, sibique a P. Mtro. Francisco litteras reddidit, quarum exemplum sic habet. «Scio te esse accinctum ad iter; me tamen praestolator; tecum enim iturus sum. Fac igitur ut cubicula pro me, et pro duodecim uel quindecim japonibus quos duco, parata habeas. Vale.» Quae litterae datae fuerunt in freto Sincapurae, quod distat ab vrbe Malaca triginta leucas; et eo tempore, communiter loquendo, necesse erat ut iam multo ante omnes naues a malacensi portu in Indiam uela fecissent: quocirca Jacobus Pereria, etsi Pater Franciscus, dum ambo eadem naui veherentur, dixerat fore ut ipse testis tribus se diebus expectaret, nihilominus iam desperauerat posse se ea tempestate consequi nauem, quae adhuc eo anno in Indiam solueret; omnia tamen ut Pater praedixerat euenere. Nam ipse testis, post acceptas litteras, immo et post eius aduentum, tribus illum diebus expectauit. Pater autem eius nauem conscendit, ac simul cum eo in Indiam traiecit.

Addit uero ipse testis quod, cum dicta sua nauis esset peruetusta ac ligaminum penuria laboraret, multisque rimis aquam acciperet, salua tamen in Indiam peruenit meritis ipsius Patris,

qui in toto illo itinere tam nautis, quam uectoribus, maximo solatio fuit; iubebat enim omnes bono animo esse, affirmans nihil esse timendum quin nauis in Indiam illaesa perueniret; quo factum est, ut omnes nauigationis labores ac aerumnas cum magna diuini numinis fiducia ac fortiter tolerauerint.....

37.[us] TESTIS (26.[us] IN LUSIT.)

Ego, Ambrosius Riberius, huius Indicae dioecesis prouisor et vicarius generalis, fidem facio, ac pro meo munere iuratus, affirmo, decimum iam annum agi, ex quo in hanc vrbem ueni et hoc fungor munere. Scio autem dictum P. Mtrum. Franciscum toto hoc tempore in India uersatum, praedicando et docendo mysteria fidei nostrae, tam lusitanos quam alias plurimas diuersarum nationum gentes, Malacae, in Moluco, in insulis Amboini, et in plerisque aliis prouinciis, ac dissitis regionibus inter infideles, quorum ingentem multitudinem ad fidem conuertit, suae uirtutis exemplo ac doctrina praedicationis, et ecclesias erexit, multosque ac magnos passus est labores quoad uixit; et cum eius corpus in hanc vrbem translatum esset, magna solemnitate ac pompa totius cleri ac populi exceptum fuit, et in collegio Diui Pauli, ubi nunc asseruatur, deportatum. Et quia ferebatur[o] Francisci corpus integrum esse, quod non nisi miraculo fieri poterat, tanto uidelicet transacto post eius obitum tempore, praesertim cum apud Sinas tribus circiter mensibus sub terra iacuisset, ut ab ipsismet qui sepelierant accepi; immo et Malacae, iuxta inquisitionem a me super hac re factam, iterum humatum esset, octoque uel pluribus mensibus terra obrutum permansisset; ideo, et ut maiorem huic rei fidem facerem, et quia prorex dom Alphonsus [9] me monuit ut dictum corpus perspicerem, sibique referrem qui res haberet, statim in dictum collegium iui, et dixi Patri rectori, magistro Melchiori [10], me uelle uidere corpus P. Francisci. Statim ergo, hora diei circiter nona, accensis duobus cereis, apertaque

[o] ferebatur pro *ms.*

[9] Alphonsus de Noronha.
[10] Melchiori Nunnio Barreto.

arca, quae erat in capella maiori, uidi ac sedulo diligenterque perspexi corpus dicti Patris, et manu pertentaui eius crura ac brachia et maiorem ipsius corporis partem.

Quocirca fidem facio carnem dicti corporis esse adhuc tota sua pelle contectam; quae quidem pellis est integra et sine ulla corruptione; et caro ipsa solida est ac succosa in maiore parte corporis; et crure sinistro, dimidio palmo supra talum, abscisa [p] erat cutis particula instar digiti, quod uidebatur esse fractura orta ex alicuius rei cum crure ipso collisione; et circum dictum uulnus apparebat nota quaedam sanguinis, quae manifeste praeseferebat esse sanguinem, attamen iam erat niger, utpote a multo tempore effusus; et in sinistra uentris parte habebat paruum foramen, quod etiam uidebatur esse fractura, per quod digitos inserui usque ad finem, et reperi intus quandam uacuitatem, in qua tamen inueni aliqua fragmenta parua, quae meo iudicio uidebantur esse aliquae partes intestinorum, iam exsiccatorum propter multum tempus ex quo corpus fuerat sepultum. Et nullam inueni corruptionem in dicto corpore, quamuis illi nares proxime admouerim. Et subtus collum habebat quoddam puluinar sericum ex Cina, cuius maior pars, cui collum insidebat, impressam habebat quandam maculam, quae praeseferebat esse sanguis eo modo, quo de cruris uulnere dictum est; huius tamen sanguinis color erat niger ac pene emortuus.

Quia igitur hunc in modum Patris Francisci corpus uidi, iussi notario ut haec scriberet; et mea manu subscripsi.

[Sequuntur haec monumenta,
quae nobis praetermittenda visa sunt:

1). Franciscus Barretus, Indiae gubernator, asserit se, acceptis litteris regis Lusitaniae ut inquisitio fieret de virtutibus et miraculis P. Francisci Xaverii, substitutum ad hanc inquisitionem faciendam nominasse Ambrosium Riberium, provisorem et vicarium generalem illius regionis, qui 33 testes in urbe Goae examinavit.

---

[p] abscisae *ms*.

2). Sequitur testimonium Nunii d'Ares, qui, ex commissione cardinalis Lancellotti, versionem latinam superioris Processus ex lusitanico originali vidit, eamque approbat: 24 Septembris 1612.

3). Tandem idem Nunius d'Ares his verbis finem imponit suae attestationi: «Declaro quod, licet in inquisitione, Goae facta, non fuissent interrogati nisi tantum triginta tres testes, ut ex fide notarii constat, et in eadem triginta sex legantur, ut in Processu cernitur iuxta numerationem: tres testes, superadditi in eadem ciuitate, interrogati fuerunt sub eodem judice, sed sub alio notario, et ideo hanc facio declarationem ne dubiunt emergat. Romae 24 mensis Septembris 1612.

Nunius d'Ares.»]

## 26

## PROCESSUS COCINENSIS [1]

†

### COCHIM

#### IMQUIRIÇÃO QUE SE TIROU

DA VIDA E TRABALHOS DO PADRE MESTRE FRANCISCO N'ESTAS PARTES DA IMDIA

Anno do nacimento de noso senhor Jhesu Xpo. de myll e quynhentos e cimquoenta e sete annos, aos oyto dias do mes de Janeiro da sobredita hera, em esta cidade Samta Cruuz de Cochim, em a see da dita cydade, estamdo ahy o P. Pero Gonçaluez, vigario da dita see, e capelão d'El-rey nosso senhor, lhe foy apresemtada huma prouisão, em modo de carta, do [a] governador Francisco Barreto, a quoall he a seguinte:

Senhor. Ell-rey nnoso senhor me escreveo [b] este anno, que lhe fosem d'estas partes instrumentos [c] autemtiquos e prouados da uyda e custumes do P. Mtre. Francisco, que Deus aja, por

[a] de *ms.* [b] espreueo *ms.* [c] hestormentos *ms.*

[1] Ex originali, 22 foliis, cujus descriptionem habes infra, ante indices generales.

saber que forão elles taes, que he rezão ter-se d'eles esa allembramça. Hos Padres da Companhia de Ihus. mamdão laa tirar n'esa terra, omde elle amdou, e deu sinall e emxemplo de sua vyda, e a manyfestou da maneira que he notoryo, hum instrumento [d] pera ir a sua alteza, por quoamto de todalas partes omde amdou mamda que lhe vaa; peço a V. E. que, por isto ser cousa que S. A. manda, e que tamto emporta, mande llá tirar o dito estromemto autentiquo e da maneira que helles requerem, com pergumtar todas as testemunhas, e tomar a mais enformação neseçaria; e depois de tirado d'esta maneira m'o mamdará, ou a Cochim, para ir este anno ao dito senhor, por duas vias. E porque esta não he mais que sobre este negocio, e fiquo por lhe responder mais llargo, não tenho mais que dizer senão hemcomendar-lh'o muito. Beijo as mãos de V. E.

De Pamgym, homde hora fiquo de caminho, a quoatro dias do mes de Nouembro de [1]556.

Francisco Barreto.

E apresemtada asy a dita carta, foy requerido ao dito Padre vigario que mandase tirar algumas testemunhas, que hestauão n'esta cidade de Cochim, e que forão presemtes em Mallaqua no tempo do P. Mtre. Francisco, que Deus aja, e em outros llugares per homde ho dito Padre amdou; e que sabem de sua vida e custumes; e de como teue muitos trabalhos e os padeçeo por Deus e pela virtude; e que foy muito casto em seus custumes, e dilligemte, vigylante e magnanimo nas cousas que aprehemdia serem seruyço de Deus; e que foy muy symgelo em sua conversação, e humyllde, e padeçeo persecuçõis por amor de Deos e da virtude, e asy fez allguns myllagres na vida e na morte. Pelo qual o dito vigario mandou fazer de tudo este auto, para por elle tirar e pergumtar as testemunhas que forem apresentados.

E eu, o P. Francisco Fernandez, que isto fiz.

As quaes [testemunhas] são has seguintes.

---

[d] hestormento *ms.*

I.us TESTIS

Manoel Mendez Raposo, caualleyro fidallgo da casa d'Ell-rey noso senhor, testemunha, jurado aos samtos hevãojelhos, que lhe forão dados pelo Padre vigario, em que poos a mão; e pergumtado pela vida e custumes do P. Mtre. Francisco, que samta gloria aja, dise elle, dito testemunha, pello juramento que reçebera, que elle dirya a verdade do que soubese.

Perguntado elle, dito testemunha, se o dito P. Mtre. Francisco teue n'estas partes da Imdia muitos trabalhos e os padeçeo por Deus e pela virtude; dise elle, dito testemunha, que he morador na pouoação do apostollo sam Thomé, omde ho Padre mestre foy envernar hum enverno; e no tempo em que hay esteue, que forão cimquo hou seis meses, fez muito grandes obras e muito fruito he seruiço a noso Senhor; e isto por todos terem pera sy ser elle tocado da graça de Deus, domde elle fez a muitos homens, que estamdo em pecado mortall com suas moças, que se cazasem com ellas; e a outros fez que has tirasem de seu poder e poll-as em casas de casados pera d'ahi as cazarem; de maneira que quoando se d'ahi partio ficárão todos em estado de graça e fóra de pecado, pezando-lhes muito a todos porque se elle partio.

E asy mais, dise elle, dito testemunha, que muitas vezes ouuira dizer ao Padre Gaspar Coelho, vigario da mesma igreja e pouoação de São Thomé, com o qual ho P. Mtre. Francisco comia ho tempo que hai esteue, que nunqua lhe sentira cair em hum peccado venyall; e que bemdita fose a mãy que ho pario.

Pergumtado elle, dito testemunha, se o P. Mtre. Francisco fôra casto em seus custumes: dise elle, dito testemunha, que fôra muy castiçimo, e asy o tinhão todos pera sy; e que hera muito dillygemte, vigylante e magnanimo em as cousas que allcamçava serem seruiço de noso Senhor; e asy mais, era muy symgelo em sua conversação, he sempre com ha boqua chea de riso; e d'esta maneira allcançaua dos homens quoamto queria pera hos fazer virtuosos e viuer bem.

Dise elle mais, dito testemunha, que ho P. Mtre. Francisco

tinha pasado muitos trabalhos por [amor de] Deos e da virtude, asy em Mallaqua como imdo pera Japão; e em Mallaqua recebera muitos desgostos e desconsollações d'allgumas pesoas por não poder asy fazer nenhum fruito; pella qual rezão, partimdo-se de Mallaqua, allympara o poo do çapato, dizendo que nunqua Deos quyzese que da terra, omde elle nunqua podera fazer nenhum fruito, nem quererem ouuir a pallavra de Deos, elle leuase o poo d'ella. E que prouuese a Deus que não viese áquela terra o que ella merecia. E lloguo ho anno seguinte foi saqueada dos jáos e destruida dos jáos.

E asi mais, dise elle, testemunha, que houuio dizer a pesoas de credito, que, estamdo o dito P. Mtre. Francisco hum dia préguando em Malluquo, no mesmo pullpeto dise ao pouo: «Irmãos, digamos hum Pater noster e Auemaria pella allma de João d'Araujo, que hestaua em Amboino, que hera muito lomge d'ahi; o qual João d'Araujo se achou que haquela mesma ora, que helle disera que lhe disesem o Pater noster e Auemaria, dera a allma a Deus.

E asy mais, ouuio elle, dito testemunha, dizer a muitas pesoas, que, falleçendo o dito Mtre. Francisco na China, ho metérão demtro em huma caixa chea de caall, com ha mesma lloba e barrete e botas, asy como hamdaua em vida, sem outro vestido nenhum; e esteue hemterrado por hallguns meses até vir a monção, que fôra para vir para Mallaqua; abryrão ha dita caixa e o achárão imteiro com hos mesmos vestidos, asi e da maneira de que o halli metérão, sem ser gasto cousa nenhuma. E asy em Mallaqua o tornárão ha enterrar na igreja de Nosa Senhora do Monte, omde esteue outros çertos mezes até vir a monçam de vir para a Imdia; e o trouuerão para Guoa, homde o tornaram ha abrir e ver [e], e acharam-no aimda imteiro, sómente a ponta do naris, que hestaua hum pouquo já gastado sem nenhum cheyro.

E all não dise.

E eu, o P. Francisco Fernandez, cleryguo de misa, que hesto escrevy.

Ho Vigario.—Manoel Mendez Raposo.

---

[e] vir *ms.*

2.us TESTIS

Galleote Pereira, fidallgo da casa d'Ell-rey noso senhor, testemunha, jurado aos samtos evangelhos, em que pos a mão, que lhe foram dados pello Padre vigario d'esta cidade [e] see de Cochim; e perguntado pela vida e custumes do P. Mtre. Francisco, que samta gllorya aja, dise elle, testemunha, que pello juramento que lhe fôra dado, que helle derya a verdade de tudo que lhe fose perguntado e elle sabia.

Primeiramente, perguntado elle, dito testemunha, se ho dito P. Mtre. Francisco teve [f] muitos trabalhos e persecuçõis por amor de Deus e da virtude n'esta vida, dise elle, dito testemunha, que fôra verdade que elle conhecera o P. Mtre. Francisco tão feruemte no amor e seruiço de Deus, que, se se pudya allcançar a espritualidade em hum homem, que helle a tinha verdadeiramente. E que elle, testemunha, sabia o dito P. Mtre. Francisco não ter nenhum repouzo nem descanço sobre a conversão [g] da gentillydade he augmentação da nosa santa fee; e que sobre a execução d'estes desejos se hoferecera sempre a muitos trabalhos, e aos padecer [h] com desejos de martyrio, o qual [i] acabara como hestá notorio a todo ho mundo.

Perguntado elle, dito testemunha, se o dito P. Mtre. Francisco era casto em seus custumes, e dillygente, vigillante e magnanimo nas cousas que hallcansaua serem seruiço de noso Senhor: dise elle, dito testemunha, que conheçera quá ho P. Mtre. Francisco muitos tempos n'estas partes, e que não tão sómente por em estremo casto, mas que todo seu estudo e desejos erão que todos fosem castos. E que na pouoação do apostollo sam Thomé, omde recedira hum pouquo de tempo, fazemdo tamto fruito como fazia em todallas partes haomde hya, ouuira ele, testemunha, ha hum Padre, que ho ouuia de comfisão todollos dias, que, allém de não ter pecado venyall, que lhe afirmaua sem nenhuma duuida ser elle virgem, e que asy o pareçia em tudo o que se podia ver [j] n'elle.

[f] se teue *ms.* [g] converçação *ms.* [h] parecer *ms.* [i] qual auto *ms.* [j] vir *ms.*

Mais dise elle, testemunha, que açerqua da humilldade, que sse afirmaua com ella ymcitar tamto á virtude, como com ha vida e custumes; e com isto aqueria a todos, e tiraua aos homens de viuir mall, e de estarem em pecado mortall.

Perguntado elle, dito testemunha, se sabe que ho dito Mtre. Francisco pasou trabalhos e persecuçõis por hamor de Deos n'esta vida, dyse elle, testemunha, que ouuira dizer que as pasara muito gramdes em Malluquo em tempo de Jordão [1] de Freytas, sem nunqua por nenhuma deixar de ir com ha hobra avante, e fazer o que era seruiço de Deus. E asi sabia de çerta serteza, que, queremdo o dito Mtre. Francisco poor em obra de ir á China, por lhe pareçer poder fazer allgum fruito, e excitando [m] mais estes desejos çertos catiuos portugeses que laa hestavão; he imdo despachado do viso-rey dom Afonso [2] em huma náo de Dioguo Pereira, que tamto pela amizade do P. Mtre. Francisco, como tambem por seruir all-rey noso senhor lh'a ofereçeo, com todo o mais guasto neceçario, e como comprya pera huma hembaixada de tão allto he grande senhor; e sendo chegado asi a Mallaqua com grandes prouisões do dito viso-rey pera ahi serem despachados como hera rezão, allem de lhe não sserem guardadas, como não forão ao dito Dioguo Pereira, fôra tomada a náo, dizemdo dom Aluaro de Taide, que hera n'este tempo capitão, não convenir ao seruiço de nosso senhor a tall embaixada; e asy não queria que helle, dito Diogo Pereira, fose, como não foi, temdo gastado em peças para a dita embaixada e ida do P. Mtre. Francisco quoatro ou cimquo mill +.[dos], o qual Diogo perdera todo sem lhe aproueitar de cousa alguma, sem a isto vallerem rogos nem pallauras do P. Mtre. Francesco, mas antes sobre isto pasou gramdes trabalhos e tentações [n], nam tão ssómente por ho dito dom Alluaro, mas por todos os de sua vallia.

E dise elle, dito testemunha, que lhe afirmárão he ouuira ha muitos homens de credito, que ho aguardauão pelas ruas, em

---

[1] Juradão *ms.* [m] ensitando *ms.* [n] temtatações *ms.*

---

[2] Alphonsus de Noronha.

allguns passos [o], cryados de dom Haluaro, e em pasamdo, que lhe chamauão beberrão [p] e outros nomes que helle nam tinha.

E saue elle, testemunha, por muitas pesoas de credito e autorydade, no mesmo tempo ho dito P. Mtre. Francisquo que dizia todollos dias myssas pelo dito dom Alluaro.

E sabe, pelo ouuir ao P. João Soarez, vigairo de Mallaqua, que fôra muitas vezes com recados do dito Mtre. Francisco a dom Alluaro sobre lhe não hempedir sua viagem, e asy notefiquando-lhe que hera por todolos decretos escumumguado se empedise quoallquer seruiço de Deus, e dizemdo-lhe mais da sua parte que não escumungaua, mas que lhe fazia a saber que hera escumungado; a que respondeo, que não hobedecia a taes escumunhões em quanto não vyse os poderes do papa, a que hobedicia se lh'os [q] amostrase; e finalmente ho dito Dioguo Pereira não foy; e Mtre. Francisco [foi] á Chinna sem elle, descontemte e triste por ver [r] que não pudya ffazer o que tamto desejaua, e que tamto tinha custado a Dioguo Pereira.

Perguntado elle, dito testemunha, mais, se o dito P. Mtre. Francisco em sua vida ffizera allguns millagres ou depois de sua morte; dise elle, dito testemunha, que ssabya, pello ouuir dizer a todo ho mundo jeralmente, he a homens que estauão prezentes, que, hestamdo em Malluquo o P. Mtre. Francisco dizendo misa hum dia, e acabamdo de a dizer, estamdo ao «Ite misa est», em se viramdo ao pouo disera: Irmãos, dizey hum Pater noster e Auemaria pella allma de João d'Araujo, que he falleçido em Amboino, que podera ser de Malluquo sesenta llegoas, do qual defunto se soube ser falleçido áquela ora; e erão hambos em estremo amiguos.

Mais dise elle, dito testemunha: que, ssemdo partydos de Mallaqua portugeses em huma armada aos dachens, e auemdo muitos dias sem saber nouas d'elles, mas [s] antes no dito tempo avia muitas nouas echadiças, que herão os nosos desbaratados e vemçidos, pela qual cousa avião gramdes plamtos, particullarmente

---

[o] paços *ms.* [p] beberros *ms.* [q] lhe *ms.* [r] vir *ms.* [s] maas *ms.*

em secreto; e n'este tempo elle, testemunha, achamdo-se em Mallaqua, e imdo ouuir as prégações do P. Mtre. Francisco, encomendaua sempre n'ellas que pedisemos a noso Senhor que hajudase aos nosos, de que hauia já tão maa sospeita, que cuydaua sem duuida serem desbaratados; e hum domimgo, acabada a préguação, dyse com ho rosto tão hallegre como hele tinha: «Irmãos, day graças a noso Senhor pela vitorya que deu aos nosos irmãos»; a qual cousa ouvida pelo pouo, como se tinha tanta fee n'elle, foy o contentamento tamanho, e tão jerall, que não houue nenhum que [t] duvidase ser asi. E d'ahy a dous ou tres dias chegou a noua da vitoria, e soube-se que fôra a batalha hum dia demtro n'aquela ssomana que foy a prégação; he affirma [u] elle, testemunha, que foy a batalha a quymta feira ou a seysta, he a batalha fôra d'ahy a cem llegoas.

In primis, interrogatus ipse testis an dictus P. Mter. Franciscus pro Deo et uirtute multas in hac uita calamitates et persecutiones passus sit; dixit dictus testis uerum esse quod cognouerit Patrem magistrum Franciscum adeo in Dei amore et obsequio feruentem, ut, si ab homine aliquo spiritualitas obtineri posset, uere eam ipse habuerit.

Item, se testem scire dictum P. Mtrum. Franciscum numquam in gentilium conuersione et in nostra sancta fide propaganda quieuisse; atque, ut harum rerum desideria exequi posset, pluribus se semper laboribus obiecisse, martyrii (prout uidebatur) appetitione; quem actum perfecisset, ut omnibus notum est.

Et rogatus dictus testis, num dictus P. Mter. Franciscus fuisset in suis moribus castus, diligens, uigilans, ac magnanimus in rebus, quas ad Dei seruitium spectare agnoscebat; dixit ipse testis se per multum tempus in his partibus cognouisse P. Mtrum.

Franciscum; neque solum castissimum fuisse, uerum etiam omne eius studium ac curam eo spectasse, ut omnes a turpibus libidinibus liberi et continentes essent.

Item, quod in colonia Sancti Thomae apostoli, ubi paruo tempore resederat, magnum admodum fructum fecerit, sicut faciebat in omnibus locis, quae adibat.

Audiuisse etiam se testem a Patre quodam, apud quem ille quotidie sua crimina deponebat, quod, praeterquam quod dictus magister Franciscus a peccato ueniali erat immunis, indubitanter affirmabatur illum esse uirginem, talemque apparuisse in omnibus, quae in illo conspici poterant.

Dixit etiam ipse testis quod, circa humilitatem, asseuerabatur Patrem magistrum non minus ea, quam uita ac reliquis moribus, homines ad uirtutem incitasse, eaque omnes acquieuisse, a mala uiuendi ratione auocasse, et a peccati mortalis statu separasse.

Interrogatus dictus testis utrum sciret quod dictus P. Mter. Franciscus multos in hac uita labores ac persecutiones pro Dei amore fuerit perpessus, dixit ipse testis se audiuisse illum in Maluco (quo tempore Jordanus de Freitas ibi erat) maximas persecutiones pertulisse, nec unquam ob illarum aliquam ab incoepto opere destitisse, neque Dei seruitium deseruisse.

Se item certa scientia scire quod, cum dictus magister Franciscus exequi uellet expeditionem ad Sinas, quod ibi se fructum aliquem facere posse existimaret, et huiusmodi desideria propter quosdam lusitanos, qui illic captiui detinebantur, magis accenderentur, expeditus a dom Alphonso prorege, conscendit nauim quandam Didaci Pereira, qui tum propter Patris Francisci amicitiam, tum quia regis domini nostri seruitium erat, eam illi nauem obtulit cum reliquis necessariis expensis, prout tanti tamque excelsi regis legatio postulabat. Cumque Malacam appellerent cum dicti proregis amplis diplomatibus ad hoc ut ibi prout aequum erat expedirentur, praeterquam quod ea diplomata obseruata illi non fuerunt, dicto Didaco Pereira capta est nauis a dom Aluaro de Taide, tum temporis praefecto, dicente talem legationem domini nostri seruitio non conuenire; proindeque nolle ut dictus Didacus Pereira ad Sinas abiret, ut de facto non abiit,

cum in rebus ad dictam legationem necessariis et Patris magistri uiatico quatuor aut quinque millia aureorum expendisset; quam pecuniae summam totam amisit; nec ad id P. Mtri. Francisci uerba aut preces aliquid profuerunt, quin potius super hoc magnos tolerauit labores et tentationes, non solum a dicto dom Aluaro, sed etiam ab omnibus eius sequacibus.

Dixit item dictus testis, sibi affirmatum fuisse, atque audiisse a quamplurimis fide dignis hominibus, quod famuli dom Aluari in plateis et certis aliis locis Patrem magistrum expectabant, et transeuntem ebrium appellabant, aliisque nominibus ab eo alienis obiurgabant.

Scit etiam dictus testis, ex multis personis fide dignis et authoritate prestantibus, eodem tempore dictum P. Mtrum. Franciscum pro dom Aluaro missae sacrificium quotidie obtulisse; quod etiam audiuit a Patre Joanne Soarez, Malacae vicario, qui, nomine dicti P. Mtri. Francisci, saepenumero dom Aluarum conuenerat, eundemque precatus erat ne illud iter Patri impediret, notum etiam illi faciens quod esset per omnia decreta excommunicatus, si Dei seruitium impediret; ei insuper eiusdem Patris nomine dicens, quod illum non excommunicabat, sed monebat excommunicatum esse. Cui responsum dedit, quod similibus excommunicationibus non obediebat, donec uideret papae potestates, quibus obtemperaturus erat, si ei ostenderentur. Denique praefatus Didacus Pereira ad Sinas non adiit, et Pater Franciscus sine illo moestus ac tristis remansit, uidens se facere non posse quod tantum optabat, quodque Didaco Pereira tanto steterat.

Rogatus insuper ipse testis, an dictus P. Mter. Franciscus aliquot, dum uiueret, uel post mortem, miracula fecerit, dixit ipse testis se scire (uniuersaliter enim ab omnibus, et ab hominibus qui adfuerant audierat) P. Mtrum. Franciscum, dum esset in Maluco, ibique die quadam missam celebraret, prope finem, dicto, «Ite missa est», conuersum ad populum dixisse: Fratres, recitate [a] orationem dominicam et angelicam salutationem pro anima

---

[a] recitare *ms.*

Joannis Arausii, qui e uiuis decessit in Amboino, quod a Maluco leucis sexaginta distare quidem debet; et eadem illa hora praedictum Arausium obiisse compertum fuit; inter ipsos uero maxima intercedebat familiaritas.

Dixit praeterea dictus testis quod, cum quaedam lusitanorum classis Malaca profecta esset contra dachenos et iamdiu nihil de ea sciretur, quin potius eodem tempore plurimi spargerentur rumores quod nostri uicti ac debellati fuissent, quapropter magni fierent planctus et lamentationes, praecipue in occulto; cumque dictus testis hoc tempore Malacae esset, concionesque P. Mtri. Francisci audiret, inter concionandum semper iubebat precari Deum ut nostros adiuuaret; uerum tam mala iam suspicio inerat, ut absque dubio nostros euersos esse putaretur. Quadam tamen die dominica, in fine concionis, consueta uultus sui hilaritate praedictus [Pater] dixit. Fratres, agite Deo gratias pro uictoria, quam nostris fratribus concessit. Quo a populo audito, cum tanta ei adhiberetur fides, adeo magna generalique laetitia uniuersim perfusus est, ut nemo fuerit, qui rem ita se habere non opinaretur. Et post duos aut tres dies nuncius victoriae peruenit, compertumque est pugnatum fuisse die quadam illius hebdomadae, qua concio habita fuit; affirmatque ipse testis pugnatum fuisse die jouis seu veneris, et locum pugnae a malacensi ciuitate centum leucis abesse.

Scit item ipse testis quod, cum dictus P. Mter. Franciscus naui quadam in Japoniam ueheretur, adeo foeda coorta fuit tempestas, vt, cum dicta nauis dolone ad medium malum demisso excurreret, ruptus est funis cymbae, qua duo mahumetani naucleri uehebantur, quae breui tempore disparuit; idque de die contigit: quod cum P. Mter. Franciscus uideret, enixe rogauit ut demitterentur uela; quod ob illius preces factum fuit. Cum uero ob ingentem tempestatis vim nihil profuisset, uela iterum, ipso inuito, dederunt, atque per duas horas excurrerunt absque eo quod cymba ne quidem e carchesio conspici potuerit. Denuo tamen P. Mter. Franciscus e cubiculo suo exiit, per Deum eiusque stygmata obsecrans, ut uela iterum demitterentur, quoniam ipse in Dei misericordia confidebat fore ut animae illae non per-

derentur, quae poterant Christo nomen dare; quo a nautis audito, uela iterum demiserunt; cumque a transuerso mari agitati per duas uel tres horas consisterent, in fine eius temporis uisa est cymba uersus nauem recta nauigare, et, ad neutram partem deflectendo, ad nauem peruenit, ac, puppi fortiter alligata, naucleri nauem conscenderunt, et conuersi baptizatique fuere.

Scit insuper ipse testis quod, cum Pater Mter. Franciscus in Japonia esset in societate aliquorum lusitanorum, illis dixerit ut irent opem ferre Malacae, quae obsidione premebatur; cumque prius illis saepe dixisset ut discederent, uidens eos nequaquam uelle, tunc eis dixit: Fratres, eamus opem ferre Malacae; cum de Malaca eo tempote aliquid sciri esset impossibile, nisi esset, ut fuit, per diuinam inspirationem.

Item, scit dictus testis Patrem magistrum sepultum fuisse in insulis de Cincheo, ubi uita functus est in maiore laborum suorum uigore ac feruore; et iam morti proximus identidem repetebat: Jesu, fili Dauid, miserere mei; quibus uerbis excessit e uita animamque Deo tradidit. Inclusus uero fuit in arca quadam, uestibus indutus, ac calce uiua coopertus, ubi per duos menses iacuit; quo tempore, cum nauis et reliqua nauigia reuertere uellent, et omnibus aequum uideretur ut Patris corpus secum ferrent, ipsomet teste praesente, integrum fuit inuentum absque ulla corruptione, ne quidem uestium quibus erat indutum, sicque Malacam peruenit, ubi a populo omni cum ueneratione, corpori sancto debita, receptum fuit, solo dom Aluaro illud non comitante; quin potius tempore, quo Patris corpus in templum Dominae nostrae de Monte processionaliter ducebatur, dictus dom Aluarus in loco, e quo efferri corpus aspiciebat, uisus est ab omnibus tabularum ludo uacare cum auditore, qui erat ne[o]phitus. Et similiter, in dicti corporis translatione ad Indiam, cum ad nauem usque illud omnes eodem comitarentur honore, solus praefatus dom Aluarus illi se comitem non exhibuit; et ipsius famuli prodidere eundem irrisisse, illusisseque omnes qui illud comitabantur.

Et scit ipse testis quod in illis insulis, ubi P. Mter. Franciscus obiit, singulis fere annis multa nauigia uehementissimo quodam

vento, qui apud Sinas fortissime perflat, naufragium faciebant: at post dicti P. Mtri. Francisci aduentum, qui primus in illis insulis missae sacrificium celebrauit, affirmari nullum deinceps nauigium ad hoc usque tempus in eis periisse, nec uehementem illum uentum amplius afflasse.

Dixit etiam testis quod, corpore P. Mtri. Francisci Goam appulso, cum per sex uel septem menses Malacae sub terra delituisset, praeter duos alios, quos Sinarum insulis humatum extitit, populo certiore facto quod dictum corpus integrum nihilominus eo fuisset aduectum, tanta illud solemnitate deuotioneque receperunt, ac si alicuius iam canonizati sancti corpus esset; et in diui Pauli templo super cenotaphio quodam collocarunt, ubi aliqui illud magna deuotione intuentur, carnem adhuc ita mollem habens, ac si hominis nuperrime demortui corpus esset, sola superiore nasi parte aliquantulum contrita ex malo modo, quo Malacae sepultum e tumuloque eductum fuit, atque optimum ex se emittens odorem; neque unquam male oluisse.....

### 3.us testis

Stephanus Ventura, coniugatus et hùius ciuitatis Stae. Crucis coccinensis accola.....

Interrogatus dictus testis an Pater Mter. Franciscus in his Indiae oris fuerit multis agitatus laboribus, eosque pro Deo ac uirtutis amore tolerauerit; dixit ipse testis uerum esse dictum magistrum Franciscum propter Deum sustinuisse quamplurimos labores ac molestias, nimirum Goae; et cum se ad nauigandum in Sinarum regionem praepararet, multas circa profectionem suam habuisse contradictiones, atque Malacae multo maioribus a dom Aluaro, malacensis arcis praefecto, fuisse uexatum una cum Didaco Pereira, qui dictum P. Mtrum. Franciscum suis ducebat expensis propter Deum.

Insuper audiuit quod P. Mter. Franciscus se transferebat ad Sinas, tum ut captiuos quosdam ibi existentes redimeret, tum etiam ut omnes illas gentes ad Christi fidem adduceret (cum nulli alii rei, nisi uirtuti bonisque operibus, totus intenderet); atque praedictum dom Aluarum praefato Didaco Pereira iter impediis-

se, eique praecipisse ne illud faceret, quia regis seruitium non erat, P. Mtrum. Franciscum ipsiusque nauigationem deridendo; nihilominus P. Mtrum. Franciscum alio duce ad Sinas nauigasse, seque testem eadem naui cum ipso vectum fuisse. Cumque in hoc itinere multi, tam christiani quam mahumetani, aegrotassent, Patris recreationem ac delicias nullas alias fuisse, nisi orare, et reliquo tempore cum infirmis esse; et, si aegroti gallinis egebant, ipsum Patrem illas emisse, pro unaquaque scuta duo soluendo, ad quas emendas se testem illi pecuniam erogasse. Et quando se reficiebat, semper maiorem appositi cibi partem aegrotis distribuebat; caeteraque uero necessaria, quibus infirmi indigebant, ab illo quaesita, petita ac propria manu aegrotis data fuisse; talesque extitisse ipsius labores toto tempore, quo in India vitam egit.

Rogatus ipsemet testis a Patre vicario num dictus magister Franciscus in his prouinciis castus ac morum honestate praeditus extiterit, et an in rebus, quas apprehendebat, magnanimus fuerit circa Dei seruitium, dixit ipse testis iurejurando, quo fuit adactus, uerum esse se scire, non solum dictum Patrem castum fuisse, uerum etiam enixe laborasse ut omnes homines tales essent; fuisseque ualde uigilantem in rebus, quas agnoscebat et apprehendebat esse Dei seruitium, sicut in Sancti Thomae colonia contigit, ubi unam egit hyemem, et effecit ut omnes homines, qui famulas et ancillas habebant, eas in uxores ducerent, uel se ita abstinerent, ut, quando inde secessit, omnes consolati manerent, et a peccatis separati, illius decessum plangentes; atque eodem modo quo faciebat, et fecit in colonia Sancti Thomae, fecisse etiam Malacae, et in omnibus aliis partibus et locis quae perlustrauerat.

Rogatus dictus testis fuissetne Pater Mter. Franciscus simplex ac humilis in sua conuersatione, dixit ipse testis se in conuersatione synceriorem Patre Francisco uidisse neminem, semperque hilari fuisse uultu; nec unquam, tam cum probis quam cum improbis, diuersari recusabat; quo ita omnium animos conciliabat, ut, quidquid ab eis peteret aut requireret, libenter facerent, sicque omnia quaecumque uoluit peregisse; neque opus aliquod incoepisse, quod propter suam magnam humilitatem ac familiaritatem, qua cum hominibus utebatur, non perfecerit.

Interrogatus ipse testis an dictus P. Mter. Franciscus aliquot dum uiueret, uel post mortem, miracula fecisset, dixit dictus testis uerum esse quod audiuerit a uiris quamplurimis, qui Malacae concioni cuidam Patris magistri intererant, classe quadam coniugatorum hominum contra dachenos e malacensi portu profecta, cum iam per unum mensem ultra praescriptum tempus morarentur, neque ad tam longum tempus com[m]eatum secum ferrent, cum nullus eorum nuntius haberetur, neque ulla iam de illorum reditu spes esset, immo interfectos esse putarent, et proinde per domos lamentationes et fletus fierent, dictum Patrem die quadam dominica in fine concionis dixisse omnibus publice in templo, ut Domino nostro gratias agerent pro uictoria, quam lusitani de dachenis reportarant; ex quo omnes, quo[t]quot in templo erant, eximiam laetitiam et consolationem perceperunt. Pater enim apud eos uir sanctus habebatur, idque diuina factum inspiratione putabant. Atque statim paucos post dies dominum loci nunciasse uictoriam a nostris fuisse partam; ac illa eadem hora fuisse reportatam, qua P. Mter. Franciscus illam populo praenunciauerat, ut a lusitanis postea reuelatum est.

Dixit etiam ipse testis se audiuisse a plurimis personis fide dignis, filium uiri cuiusdam, in malacensi ciuitate coniugati, a daemone iam dudum obsessum fuisse; et dum medici indigenae ei mederentur, in dies uim morbi auctam fuisse, atque oculos et os extra propria loca habuisse; cum uero P. Mter. Franciscus die quadam domum, ubi dictus energumenus erat, ingrederetur, finito euangelio, quod supra pueri caput recitauit, sanitatem subito recuperasse, sanumque, atque sine corporis distorsione mansisse, ac si nunquam aegrotasset.

Dixit deinde dictus testis se audiuisse dictum Patrem Franciscum, cum in Maluco missam celebraret, eamque absolueret, dicto, «Ite missa est», conuersum ad populum dixisse: recitate orationem dominicam et angelicam salutationem pro anima Joannis Arausii, qui in Amboino uita functus est; compertumque postea fuisse, illa eadem hora, qua Pater dictas orationes recitari iusserat, pr[a]efatum Joannem Arausium e vita decessisse in Amboino, quod a Maluco leucis septuaginta uel octoginta distat.

Dixit praeterea ipsemet testis, dum P. Mter. Franciscus esset in insulis de Sincheo, ante ipsius obitum et aegritudinem, virum quendam, eius vicinum, in morbum incidisse, cui ab aliquibus consilium datum est ut, siquidem in terra male ualeret, nauem adiret; fore enim ut ibi melius haberet; cumque, praesente ipso teste, illum in cymbam introducerent ut in nauim deueherent, aduenisse dictum P. Mtrum. Franciscum, qui officium recitabat, et omnibus dixisse ne hominem illum ad nauem deferrent, in terra melius habiturum; illis vero desistere nolentibus a uehendo aegroto, qui in nauim deferri petebat, respondisse P. Mtrum. Franciscum: deducite ergo, quando illum portare uultis; uobis tamen annuncio quod, qui illum uiuum uehitis, eundem mortuum reuehetis. Delatus igitur, simul atque nauim ingressus est, grauius habere coepit, ex quo deinde interiit; atque ad terram, ut sepeliretur, reuectus fuit; et ipse Pater pro eo missae sacrificium fecit.

Dixit item dictus testis quod eo ipso tempore, quo Pater magister fuit in hac insula de Cincheo, cum ibi quamplurima lusitanorum mancipia essent et aethiopissarum filii, ac alii mahumetani, qui ad sexaginta personas implebant, Pater die quadam in naui illos baptizauit coram dicto teste aliisque hominibus. Et cum ita in medio omnium baptismo incumberet inter mahumetanos, qui corporis proceritate erant ipso altiores, a se teste ac aliis e terra uisus fuit proceritate corporis reliquis omnibus eminere, ita ut Patrem scamno aliquo inniti putarent; quam rem ualde omnes sunt admirati, ipseque testis nauim adiit ut propriis oculis aspiceret an aliquid sub pedibus haberet, et illum nihil sub pedibus habentem conspexit, sed esse in eodem tabulato quo caeteri.

Dixit item dictus testis astitisse se morbo P. Mtri. Francisci, qui febre ac pleuritide oppressus interiit, semperque omnium suorum sensuum ministerio usus fuit; et haec tantum fere uerba identidem repetebat: Miserere mei, fili Dauid [2]; itidem: Mater Dei, memento mei. Et simul atque mortuus est, sacerdotali ueste indutus in arca quadam calce plena fuit inclusus ac sub terra

[2] MARC. X, 47; LUC. XVIII, 38, 39.

conditus, ut citius consumeretur et illius ossa Malacam inueherentur; cumque per tres menses plus minusue sub terra iacuisset, fuit ex tumulo a quibusdam uolentibus proficisci effossus, et ab omnibus, ipso etiam teste, qui aderat, uisus est; atque totus, tam corpore quam uestitu et ocreis, integer repertus fuit, tuncque illum, adactis per corpus manibus, contrectauerunt, ut agnoscerent an aliquem ex se malum odorem emitteret, et deprehenderunt corpus optime olere; neque poterant decernere cuiusnam rei odor ille esset; quidam enim dicebant esse odorem mirrhae, alii musci, alii zapetii, ita ut singuli uarios odores illi attribuerent. In eadem uero arca inclusum in nauim attulerunt ac Malacam adduxerunt, ubi a clero, a confraternitate sanctae misericordiae, atque etiam a populo, magna cum cereorum quantitate, honorificentissime receptus fuit (solus dux dom Aluarus illum non fuit comitatus, nec de eo curauit), et in templo Dominae nostrae de Monte, eductus ab arca, palam uisus est ac postea sepultus, ibique per menses octo sub terra delituit usque ad opportunum tempus nauigandi in Indiam. Iterumque e sepulchro extractus in arca alia positus fuit, nulla in eo, tam corporis quam uestium suarum, mutatione facta, solam superiorem nasi partem ueluti contusam seu laesam habens; idque ex eo prouenit, quod, quando Malacae fuit humatus et in fossam iniectus, fortiter fuit supercalcatus, ut inibi moris est fieri de mortuis corporibus; et, ob has compressiones, ab eius corpore sanguis erupit, ideoque illius uestes infectae sunt sanguine. Cumque Goam ueheretur, fuit a religiosis omnium ordinum illius ciuitatis, et a capitulo cathedralis, atque prorege dom Alphonso [5], cum reliquis cunctis optimatibus ac populo, receptus, et ad collegium delatus; positus est inhumatus in capella maiori, atque in feretro quodam ligneo collocatus, uelo ceruleo coopertus, ubi a multis inuisitur, et a Patribus tanquam corpus sanctum ostenditur.....

### 4.us testis

Didacus de Abreu, regiae domus patricius.....

Interrogatus dictus testis supra uitam ac mores P. Mtri.

[5] Alphonso de Noronha.

Francisci, et an multos passus fuerit labores eosque pro Deo et virtute tolerauerit, dixit ipse testis se scire dictum magistrum Franciscum Malacae quamplurimos pro Deo sustinuisse labores ac molestias exhibitas illi praecipue a dom Aluaro de Taide, malacensi praefecto, qui nauigationem ad Sinas Patri prohibuit, uetuitque Didaco Pereira ne ad Sinas illum sua naui ueheret, licet magnae superexpensae factae iam essent; quam nauigationem Pater faciebat ut captiuos, qui apud Sinas erant, redimeret, atque etiam ut gentes illas ad Christum conuerteret; eo tamen non obstante, Sinas adiit, apud quos diem suum obiit.

Item, se scire P. Mtrum. Franciscum Malacae maxime sollicitum fuisse in confessionibus audiendis, in reconciliandis hominibus, atque in concubinariis ab inuicem separandis, aliis vero cum ancillis suis matrimonio coniungendis, et a plurimis aliis malis ac peccatis segregandis; adeoque feruentem in laboribus fuisse, ut cibi uel potus minime recordaretur.

Atque se testem audisse a Patre Alphonso Martinez, Malacae vicario, dictum magistrum Franciscum saepenumero duos uel tres dies ieiunum transegisse, nihil penitus manducando aut bibendo; et hoc quia in audiendis confessionibus aliisque quamplurimis negotiis, ad Dei seruitium spectantibus, continuo occupabatur; ac tandem, sicut hos omnes labores Malacae pertulit, ita etiam eosdem sustinuisse ubiuis gentium ac terrarum extitit.

Rogatus etiam dictus testis num P. Mter. Franciscus fuisset uita ac moribus honestus, castus, diligens, magnanimus uigilansque in rebus, quas ad Dei obsequium pertinere apprehendebat; dixit ipse testis non solum fuisse castum, uerum etiam uehementer optasse ac laborasse ut omnes tales essent, atque in hac re insudasse. Fuisse item admodum diligentem, uigilantem et magnanimum in Dei seruitio.

Dixit etiam dictus testis P. Mtrum. Franciscum non solum fuisse castum, sed etiam uoluisse ac procurasse ut omnes essent honesti; hilarique semper uultu erga omnes fuisse, praecipue in eos, quos praue uiuere agnoscebat; et cum primum aliquos in mortali peccato esse sciebat, illico eos tractare ac cum illis conuiuere curabat, ut doctrina et bona conuersatione sua a peccato,

in quo uiuebant, eos educeret et segregaret: sicque a se, teste, Malacae uisum fuisse quamplurimos viros cum suis ancillis matrimonio coniungentem, et alios a peccato absque ullo scandalo separantem. Fuisse etiam syncerum in suo tractandi modo, adeoque ab hominibus dilectum, ut nihil ab illis peteret quod non concederent.

Interrogatus ipse testis an dictus magister Franciscus, dum uiueret, aut in sua morte, miracula aliquot patrauerit; dixit ipse testis se a multis audiuisse quod P. Mter. Franciscus in Comorino promontorio, habitatione scilicet christianorum in ora Piscaria, puerum quendam, christiani cuiusdam indigenae filium, e mortuis ad uitam reuocasset, Deum pro illo deprecatus; et hoc propter parentum afflictionem; ac cunctos qui intererant obsecrasse ne hoc ipsum cuiquam reuelarent.

Dixit insuper praefatus testis se a pluribus, qui a Maluco uenerant, audiuisse Patrem magistrum [Franciscum], cum die quadam missam celebraret (in Maluco ne esset an in Amboino dictus testis non recordatur), dixisse: hoc missae sacrificium facio pro anima amici mei Joannis Arausii, quem tamen paulo ante uiuum reliquerat; repertumque fuisse dictum Joannem Arausium illa eadem hora et tempore, quo P. Mter. Franciscus illud dixit, obiisse, cum octoginta et tot leucis unus ab altero distaret. Et statim a populo dictum fuit id illi reuelatum fuisse, quia alias illud scire non poterat.

Scit etiam idemmet testis, dicto magistro Francisco Malacae secum teste simul existente, Simonem a Mello, qui tunc praefectus erat, classem quandam contra dachenos misisse; cumque a lusitanorum decessu quadraginta et amplius dies transacti iam essent, nullo Malacae de illis habito nuntio, praefecto atque coetero populo ualde iam afflictis, eo quod nostros debellatos captosque fuisse putarent; et nuptis foeminis in domibus suis iam plangentibus, atque ipsarum uiros interfectos esse arbitrantibus, P. Mtrum. Franciscum die quadam suggestum ascendisse, ac concionem ad populum habentem dixisse: cur uero uos tam peruersi estis christiani, tamque modicam in Domino nostro fidem habetis? At enimuero scitote quam citissime de uictoria, contra

hostes parta, nuntium aduenturum; eademque die uespertinis horis aliam ad mulieres habuisse concionem in templo Dominae nostrae de Monte, quas monuit ne contristarentur, ac constanter Domino nostro fiderent, quia tali die de uictoria aduersus hostes reportata, deque uiris suis, nuntium erant habiturae; quod re ipsa ita contigit, cum nuntius ea ipsa die, qua Pater illum uenturum praenunciauerat, uenisset.

Dixit item dictus testis audisse se a personis magna fide dignis praefatum magistrum Franciscum, post ipsius obitum, per tres aut quatuor dies, dico menses, apud Sinas sub terra delituisse, et postea per quinque aut sex menses, sicut quoduis alterius hominis cadauer, sub terra conditum Malacae fuisse; et quando Malacae e sepulchro fuit extractus ut in Indiam deueheretur, inuentum fuisse integrum, nullam corporis sui partem corruptam habentem, solo nasi cacumine aliquantulum fracto, ac si contusum fuisset; et a multis conspectum atque manibus contrectatum fuisse, eiusque corpus optime oluisse; ac cum in Indiam naui quadam ueheretur, dictam nauem ad uada quaedam, seu arenae dorsum, incurrisse illique adhaesisse; a quo periculo per se, iterum retrogrediendo, euasit, nullo alio adhibito beneficio; quod ab iis, qui in naui erant, pro magno miraculo habitum fuit.

Cumque dicti Patris corpus Goam appulisset, a prorege dom Alphonso, toto cum populo et clero coeterisque religiosis, solemnissime fuisse receptum, atque ad Sancti Pauli collegium delatum, ubi nunc, in quodam feretro positum, magna cum ueneratione totius mundi, in dicti templi capella maiori, ad partem euangelii, integrum seruatur; ad quod tanquam ad corpus cuiusdam sancti quamplures confluunt, illius inuisendi atque tangendi causa, et pro tali a se teste fuisse habitum semper et hodie etiam haberi.....

### 5.us TESTIS

Franciscus Garçia, eques patricius regiae domus.....

Rogatus praedictus testis de uita et moribus P. Mtri. Francisci, et an multos fuerit perpessus labores, eosque propter Deum ac uirtutem tolerauerit; dixit ipe testis uerum esse quod quidam

Ferdinandus Mendez, suus consobrinus, diu comitatus fuerat P. Mtrum. Franciscum, et modo comitabatur P. Mtrum. Melchiorem, qui hucusque fuit Societatis generalis, et loco P. Mtri. Francisci in Japonia regens extiterat; et ab hoc suo consobrino saepius sibi narratum fuerat de laboribus maximis, quos P. Mter. Franciscus sustinuit in omnibus Indiae oris in quibus extitit, praecipue Malacae, quo ex India aduenit, cum proregis dom Alphonsi diplomatibus, ut inde ad Sinas penetraret; ibique dominus Aluarus de Taide praefectus multa illi prohibuit, et impediuit noluitque ut Didacus Pereira, qui sua secum naui Patrem magistrum uehebat, sinicam adiret regionem. Neque hoc satis fuit; sed ab ipsis etiam domini Aluari famulis in Malacae plateis uerbis iniuriosis fuit offensus; nec propterea, cum has omnes contumelias calamitatesque pertulisset, desiit sinicam regionem adire. Atque insuper a dicto domino Aluaro uir seductor et hypochrita fuit appellatus, aliisque uerbis ualde contumeliosis, tam ab ipso Aluaro quam ab eius famulis, oneratus; sicque alias Malacae passus fuit tot labores, eo quod non poterat facere ea quae ad Dei seruitium spectabant, prout ipse uolebat. Die uero quadam, in Indiam proficiscens, dixit uelle se a calceis excutere puluerem tam peruersae ciuitatis, qualis Malaca erat, nolleque illius puluerem secum ferre; neque fieri posse ut pessimae ciuitati non eueni re[n]t aliquot calamitates, sicut re ipsa postea euenerunt.

Interrogatus deinde dictus testis an sciret quod pr[a]efatus P. Mter. Franciscus caste semper in India uixerit, uigilansque ac magnanimus fuerit in iis, quae Dei seruitium esse apprehendebat; dixit ipse testis se optime scire, esseque mundo uniuerso notorium, praedictum P. Mtrum. Franciscum in India, non solum vitam duxisse honestam, sed etiam in suis virtutibus sanctum extitisse, nullumque aliud eius fuisse munus, nisi homines a vitiis separare; et in hoc magnam habuisse uigilantiam; magnanimumque erga omnes homines fuisse ad hoc, ut eos ad suam attraheret uoluntatem ac a peccatis auerteret; ad quem finem manducabat saepe et conuersabatur cum illis, atque ita quidquid uolebat perficiebat.

Sic etiam audiuit ipse testis a personis fide dignis, quod au-

ditione percepissent a Patre vicario Sancti Thomae P. Mtrum. Franciscum, cum quandam ibi ageret hyemem, confessum saepius fuisse apud dictum vicarium, qui iureiurando in rei ueritate affirmabat se in huiusmodi confessionibus nullum, ne quidem ueniale, inuenisse peccatum, quo Deus offendi posset; atque ab hominibus, praesertim a praedicto vicario, fuisse pro uirgine diuulgatum.

Interrogatus ipsemet testis an P. Mter. Franciscus syncerus in sua conuersatione ac humilis extitisset, dixit ipse testis quod Pater magister adeo tractabilis et syncerus apud homines fuerit, ut cum illis semper ore risu pleno colloqueretur; et tam erga optimates quam plebeios humillimus [b] extiterit; quo ita ad se trahebat omnes, ut, quidquid Pater uellet, illi facerent, et eiusmodi conuersatione, ac magna familiaritate, qua cum hominibus utebatur, multos concubinarios a suismet ancillis separauit, quas pro concubinis habebant, fecitque ut aliqui illas ducerent in uxores; et hoc in Sancto Thoma, Malacae, atque in aliis multis Indiae locis: huiusmodi namque diu noctuque eius erat officium, dum in India fuit, donec tandem e uita decessit.

Rogatus ipse testis an dictus P. Mter. Franciscus, dum uiueret, aut in morte, miracula aliquot edidisse[t] uel Deus per illum; dixit dictus testis audisse se a praedicto suo consobrino, Ferdinando Mendez, et ab aliis malacensibus, quod Malacae contra dachenos facta fuerat quaedam classis, qua uiri quamplurimi, et inter eos nonnulli coniugati, profecti sunt; cumque multi iam dies ab eorum secessu essent transacti, neque aliquod de illis nuntium ueniret, et, ob tantam moram ac nuntii carentiam, nostri iam ab hostibus superati existimarentur, aliquot etiam mulieres uiros suos in propriis aedibus plangerent, P. Mter. Franciscus, die quadam, inter concionandum illis dixit: estote bono fortique animo, et Deo agite gratias, qui[a] nostri victoriam ab hostibus reportarunt, et cras nuntius huc perueniet; quo omnes ualde fuerunt gauisi ac magna perfusi laetitia, credentes uerum illis a P. Mtro. Francisco annunciari, idque illi diuina gratia fuisse reuelatum,

---

[b] humilissimus *ms.*

eo quod apud ipsos uir sanctus habebatur: atque ita omnia re ipsa euenere; die namque sequenti nuntius accessit.

Dixit insuper praedictus testis se etiam a personis magna fide dignis audisse, quod, cum P. Mter. Franciscus in Maluco die quadam missam celebraret, eamque absolueret, ad populum conuersus, dixit; fratres, semel recitate orationem dominicam et angelicam salutationem pro anima amici mei Joannis Arausii, qui nunc e uiuis excessit in Amboino, quod a Maluco distat octoginta leucis: et compertum est postea haec omnia ita sese habuisse, dictum Joannem Arausium illa eadem hora, qua Pater hoc praenunciauerat, animam egisse.

Dixit praeterea ipsemet testis se item a multis audiisse, quod dictus magister Franciscus ad Comorinum promontorium, Piscariae littus, perlustrans, aliquot fecerit miracula, inter quae fuit, quod, cum christiana quaedam foemina illum accersiret, diceretque quendam filium suum obiisse, dictus magister Franciscus, matris precibus motus, illuc se contulit; et cum primum ad praefatae foeminae domum accessit, uideretque puerum demortuum, Deum genibus flexis orauit ac postea puerum benedixit, atque illico praedictus puer surrexit e mortuis, ad uitam suscitatus, statimque, sanissimus ut antea, deambulauit; et continuo christiani, qui aderant, clamarunt: miraculum, miraculum; quos dictus magister Franciscus rogauit ne hoc cuilibet reuelarent.

Dixit deinde ipse testis quod, postquam Deus ad se dictum magistrum Franciscum ex hac uita auocauit, cum illius corpus Malaca in Indiam deueheretur, nauis, qua uehebatur, sirtes ac uada in itinere incurrit illisque adhaesit, et absque alicuius adiutorio, iterum retrogressa, e periculo euasit incolumis; quam rem ualde omnes admirati sunt, dicentes nauem ob P. Mtri. Francisci merita a Deo fuisse liberatam. Dicta uero naui Goam appulsa, P. Mter. Melchior [4], qui tum temporis praeerat religiosis Societatis Jesu, pariterque alii, cymba quadam adierunt nauem, ut Patris Francisci corpus inde eueherent; quod cum detexissent, ab eo suauissimus quidem odor exibat, hominum spiritus suscitans

[4] Melchior Nunnius Barretus.

atque confortans; et totum integrum fuit inuentum, sola superiore nasi parte aliquantulum fracta; idque prouenisse dicebatur ex concussionibus quando fuit Malacae sepultum, ubi quinque uel sex menses sub terra delituit, et tres apud Sinas, ubi Pater ultimum emisit spiritum. Et ad hodiernum usque diem pr[a]efatum corpus, in feretro quodam collocatum, conseruatur in capella collegii diui Pauli goanae ciuitatis, ad partem euangelii, ubi a plurimis personis inuisitur tanquam uiri sancti corpus, taleque ab omnibus habetur. Tunica item alba, qua fuit apud Sinas indutum quando ibi sepultum est, atque ocreae cum toga, ac pileo in capite posito, adhuc omnia integra sunt, eodem prorsus modo quo erant eo tempore, quo humatum corpus fuit.....

6.us TESTIS

Franciscus Lopez d'Almeida, regiae domus eques, coniugatus et huius coccinensis ciuitatis accola.....

Interrogatus ipse testis de uita et moribus P. Mtri. Francisci, et an multos fuerit passus labores eosque pro Dei et virtute tolerauerit; dixit ipse testis uerum esse a se cognitum Malacae fuisse P. Mtrum. Franciscum, illumque uirtute ualde excelluisse, et honestissimis suauissimisque moribus imbutum, plurimos etiam tulisse labores, eosque pro Deo ac uirtute sustinuisse; necnon multas cum hominibus altercationes habuisse, praecipue cum domino Aluaro de Taide, qui illius arcis dux fuerat, Patri iter ad Sinas impediente, non obstantibus proregis dom Alphonsi [5] diplomatibus, eidem Patri datis, ut Didacus Pereira, qui cum legatione ibat, illum secum duceret, ut hac uia posset ad Sinas transire, ibique Dei uerbum disseminare, et lusitanos, qui ibi captiui existebant, liberare. Itemque fuisse dictum Patrem Malacae illusum, nec Didaco Pereira ad Sinas ire permissum: quibus omnibus aduersitatibus non obstantibus, ad Sinas transire non desiit, populo etiam malacensi ne iret illum obtestante, quandoquidem cum Didaco Pereira non ibat, ac proinde non poterat transire ad Sinas sicut optabat; ideoque illum omnes ne profici-

[5] Alphonsi de Noronha.

sceretur obsecrabant, quia Malacae uberem fructum erat facturus, multumque inibi Deo poterat inseruire, aegrotos quamplurimos, qui ibi erant, consolando. Ad quae Pater respondit, se non posse non proficisci, et ad Sinas esse aditurum [c]; Malacae enim fuerat a famulis domini Aluari uehementer tentatus, nec iam e domo exire audebat, quia, simul atque egrediebatur, eum inuadebant, et ebrium atque hypocritam appellabant, aliisque contumeliosis uerbis afficiebant; quin etiam dictum magistrum Franciscum sibi dixisse, cum sui discessus rationem redderet, scire se magnum alioqui Dei seruitium fore si Malacae commoraretur, propter copiosum fructum quem facere sperabat; non tamen audere ob praedicta dissidia, quibus ipsius conscientiam onerabant.

Rogatus dictus testis an Pater magister extiterit in suis moribus castus, diligens, uigilans ac magnanimus in rebus, quas Dei seruitium esse apprehendebat; dixit ipse testis, non solum dictum Patrem extitisse castissimum, uerum etiam totam eius sollicitudinem ac laborem nullum alium fuisse, quam curare ut homines uitia relinquerent et caste uiuerent; Malacae enim et in omnibus aliis locis, quae perlustrabat, enixe laborabat die nocteque ut homines a peccatis separaret, atque ab ancillis segregaret, cum quibus in peccato uiuebant, ac proinde fecisse ut eorum multi illas ducerent in uxores; in hisque negotiis admodum diligentem ac uigilantem, et magnanimum fuisse in rebus, quas ad Dei honorem spectare agnoscebat.

Dixit insuper ipse testis dictum magistrum Franciscum in conuersatione ualde syncerum et humilem fuisse; neque enim aliter quam [ore] risu pleno cum hominibus colloquebatur; atque huiusmodi suauitate bonisque uerbis, quidquid uolebat, ab illis obtinebat; et quo aliquis deterior ac proteruior erat, eo maiore cum illo familiaritate utebatur, ut ab eo scelus omne auferret. Cumque praefatus testis aliquando Malacae aegrotaret et fere sine sensu esset, accessisse dictum magistrum Franciscum, et, cum manus ei imponeret, dixit ipse testis se statim resumpsisse

---

[c] adiuturum *ms.*

spiritus, ac repente et ex improuiso sanitatem recuperasse; et eodem modo, quo sibi contigit, euenisse Malacae aliis quamplurimis qui grauiter aegrotabant, ad quos cum primum Pater accedebat et illis euangelium recitabat, illico bene habebant sanitatemque recuperabant; quo factum est ut iis diebus, quibus Pater Malacae egit, magnam omnes consolationem perceperint.

Interrogatus ipsemet testis an dictus magister Franciscus aliquot dum uiueret, uel in morte, patrasset miracula, dixit ipse testis uerum esse quod tempore Simonis a Mello, arcis malacensis praefecti, classis quaedam facta fuerat Malacae contra dachenos, qua ipse testis profectus fuit; et cum iam a multis diebus decessissent, dictum fuit Malacae quod nostri omnes capti ac deuastati fuissent, et hoc ab indigenis; quam ob causam malacensis populus maxime angebatur et moestus erat; iamque coniugatae aliquae in propriis domibus uiros suos ualde plangebant. Et cum P. Mter. Franciscus omnes consolaretur, monens ut moerorem deponerent, quoniam earum uiri reuersuri erant, diceretque se in Deo sperare fore, ut illi uictoriam consequerentur, decreuit dictus magister Franciscus die quadam concionem habere, in qua dixit omnibus: agite Deo multas gratias pro uictoria, quam nostri de hostibus reportarunt; et tali die huius hebdomadae istius rei nuntii uenient; et de facto ita contigit sicut praenunciauerat; quo omnes summopere gauisi sunt, dixeruntque illud nonnisi diuina gratia sciri potuisse; ac statim magnam ei fidem adhibuerunt, quia illum magnae sanctimoniae uirum reputabant.

Dixit insuper ipse testis se a P. Mtro. Francisco in concionibus saepissime audisse quod, siquidem malacenses ipsius doctrinam recipere nolebant, ciuitas illa magnas esset oppressiones ac labores habitura, et ab hostibus obsidenda, sicut postea contigit. Item, quod dictus Pater in concionibus, quibus ipse testis adfuit, dixerit Dominum nostrum apostolis suis praecepisse, cum eos in uniuersum mundum ad praedicandum mitteret, ut, si quando homines uerbum Dei noluissent audire, in aliam partem migrantes, abstergerent calceos a puluere; quapropter se idem esse facturum cum discederet; sicut de facto, quando Malaca in Malucum demigrauit, reliquit ocreas, quibus Malácae utebatur, dicens: absit ut

iniquissimae ciuitatis puluerem mecum feram, ne quamcumque [d] aliam, ad quam accessero, ueneno inficiam.

Dixit etiam ipse testis se Malacae audiisse a uiris quamplurimis fide dignis, qui e Maluco uenerant, quod die quadam magister Franciscus in Maluco, missam celebrans, peracta missa, populo dixisset: fratres, orationem dominicam et angelicam salutationem recitate pro anima Joannis Arausii, qui obiit in Amboino, quod a Maluco distat leucis octoginta; compertumque postea fuisse hoc ipsum ita euenisse ut dixerat: eadem namque die et hora, qua dictus magister Franciscus hoc praenunciauerat, ille alius animam egit.

Dixit deinde praefatus testis se Malacae a uiris, qui e Maluco uenerant, audiisse, magistrum Franciscum, cum die quadam in loco appellato Moro, qui est ultra Malucum, concionem haberet iuxta quoddam latissimum et altissimum flumen, ab indigenis lapidibus fuisse appetitum; et cum uehementer opprimeretur, quandam eximiae longitudinis et latitudinis trabem, quae in fluminis ripa fixa erat, manu apprehendisse, ac leuiter auulsisse, eaque ad aliam fluminis partem traduxisse; quod ab hominibus pro magno miraculo habitum fuit, eo quod trabs ualde magna erat, terraeque adeo infixa, ut ad illam euellendam multis hominibus opus esset.

Dixit praeterea dictus testis quod, quando P. Mtri. Francisci corpus e sinica regione Malacam fuit aduectum, clausum erat in arca quadam et calce contectum a tribus iam aut quatuor mensibus, illudque Didacus Pereira e naui auferri iussit, quo accessit Pater vicarius Malacae cum reliquis sacerdotibus ac caetero populo; et, extractis clauis, aperta fuit arca, qua occludebatur corpus; quod, ubi detectum fuit, inuentum est togatum et ocreis calceatum, absque ulla rei alicuius putredine; suauissimumque ex se emittebat odorem; atque ipsimet portatores, qui illud e naui efferebant, musci odore olere aiebant. Corpus igitur, a calce mundum, impositum inferiori tabulae feretri, in mantilibus asportarunt; et magna cum cereorum quantitate ac solemnitate, necnon

---

[d] quamcunque *ms.*

populi deuotione, fletu atque planctu, iuxta solis occasum, in templum Dominae nostrae de Monte illud intulerunt, ubi intra capellam fuit, sicut quodlibet alterius personae corpus, in subterranea quadam fossa sepultum, ibique per quinque aut sex menses sub terra delituit.

Et uero, quando praedictum Patris Mtri. Francisci corpus eo peruenit, multis Malaca aegritudinibus, crudelique peste ac fame magna laborabat, quam ob causam plurimi peribant; et cum primum dictum corpus ad terram fuit delatum, morbus protinus abscessit, nec aliquis deinceps interiit: atque ita ingens rerum omnium copia et uictus abundantia extitit, quae toto tempore, quo Patris corpus ibi fuit, perdurauit. Et cum tempus ad nauigandum in Indiam opportunum uenisset, effossa fuit sepultura ut illius ossa Goam deueherentur, et, ea aperta, inuentum fuit totum corpus integrum ac ualde recens, sicut in eam fuerat iniectum, absque ulla macula, solo nasi cacumine aliquantulum contuso ex aliqua percussione illi inflixa quando fuit sepultum; quod fuit a cuncto populo pro miraculo habitum, omnesque Deo gratias egerunt maximas, et illud, in cenothaphio quodam positum, ad nauem detulerunt, quae in medio mari in uada quaedam incurrit illisque omnino adhaesit, et absque aliquo adiumento a periculo euasit incolumis; quam ob rem dixerunt omnes miraculum illud P. Mtri. Francisci meritis fuisse a Deo patratum, eo quod dicta navi [e] corpus illius uehebatur. Atque hoc modo nauis ad portum goanum appulit, ubi e naui abductum corpus, magna solemnitate elatum, et a prorege dom Alphonso, cuncto clero, ac omnibus aliorum ordinum religiosis caeteroque populo, cum maxima omnium deuotione fuit prosecutum, atque ad Sancti Pauli collegium asportatum, ubi nunc, in cenotaphio quodam positum, intra capellam maiorem, ad partem euangelii, sic integrum extat, ibique a personis quamplurimis deuotissime inuisitur, eo quod praedictus magister Franciscus ab omnibus uir sanctus habetur, illumque pro tali ipsemet testis habet ac semper habuit.....

---

[e] nauis *ms.*

### 7.us testis

Benedictus Gomez, regiae domus eques.....

Rogatus dictus testis de vita et moribus P. Mtri. Francisci, et an multos passus fuerit labores, eosque pro Deo et uirtute tulerit; dixit ipse testis uerum esse quod, simul atque P. Mter. Franciscus uenit e Lusitaniae regno, illum, tum Goae, tum Malacae, cognouerit, semperque illius notitiam habuerit donec uita functus est. Et scit ipse testis quod dictus Pater magister Franciscus pie admodum uitam duxerit, ac tanquam uir sanctus, non mundanus.

Scit etiam quod pro Dei seruitio labores quamplurimos ac molestias sustulerit, pr[a]ecipue in Piscaria, littore Coromandeli, baptizando, et mahumetanos ac gentiles conuertendo ad fidem Christi, cuius amore huiusmodi labores sustinebat; atque ita magnum ibi fructum fecerit, multosque ad Christi fidem conuerterit.

Scit quoque dictum magistrum Franciscum plures Malacae pertulisse labores, uirosque multos separasse a uitiis et peccatis, quibus erant implicati, et quod fecerit ut quamplurimi contraherent matrimonium cum ancillis, quas pro concubinis habebant, plures uero alios a simili concubinatu extraxerit ac separaverit, propter quod aerumnas multas ac molestias passus est, semperque a se, teste, in omnibus patientissimum, et in dies magis ac magis ad Dei seruitium incensum auidumque fuisse uisum.

Audiuit denique ipse testis quod praedictus magister Franciscus in insula [f] Sancti Thomae eosdem passus fuerit labores, et multum fructum magnumque Deo seruitium fecerit.

Interrogatus ipse testis an dictus magister Franciscus fuerit in suis moribus honestus, diligens, uigilans ac magnanimus in rebus, quas Dei seruitium esse apprehendebat, dixit ipse testis se scire dictum P. Mtrum. Franciscum in omnibus suis moribus extitisse castissimum; neque tantummodo fuisse talem, sed uoluisse ac procurasse ut omnes essent similiter honesti: admodum

---

[f] *Sic; lege* urbe.

etiam diligentem, vigilantem magnanimumque fuisse in rebus, quae ad Dei seruitium pertinebant; et nulla alia in re suas diu noctuque delicias curasque posuisse, nisi in modo, quo Deo seruire ac placere posset. Malacae etiam a se, teste, fuisse uisum diligentissimum in multorum confessionibus audiendis, tum aegrotorum, tum aliorum, qui inde decedebant; et hoc magno semper cum feruore ac desiderio salutis eorum. Item, quod in eadem malacensi ciuitate, tam uiros coniugatos quam foeminas, seruasque ac seruos, christianam doctrinam bis in hebdomada docuerit; quocirca omnes illum audiebant, eiusque doctrinam amplexabantur, eo quod sancta et officiosa esset; atque ita magnum fecisse fructum, Deique seruitium auxisse.

Rogatus ipse testis sciret ne an dictus magister Franciscus in sua conuersatione purus ac humilis extiterit, dixit ipse testis se scire, nec se latere, quod praedictus magister Franciscus adeo in suo tractandi modo syncerus fuerit, ut admirationi esset, quoniam hilari semper erat facie oreque risu pleno, et hoc modo cum omnibus, tam probis quam improbis, familiariter agebat; et quo aliquem maiorem peccatorem esse agnoscebat, eo magis ad ipsum accedebat, offerens se ad eundum in illorum domos ac cum illis comedendum, ita ut maxima sua consuetudine ac familiaritate, qua cum iis utebatur, omnes eos a peccatis, quibus irretiti erant, abstraheret; nec unquam rem aliquam, quamuis magnam, ab aliquo postulauerit, quam pro sua magna authoritate sanctitateque ad optatum finem non perduxerit; et hoc sine iniuria uel scandalo alicuius, quod pro re maxima habebatur.

Interrogatus ipsemet testis num sciret quod dictus P. Mter. Franciscus, dum uiueret, aut in morte, miraculum aliquod patrasset, dixit ipse testis quod, cum ipse Malacae esset, tempore quo praefatus magister Franciscus illic commorabatur, quod fuit tempore ducis Simonis a Mello, eo uenerant quinquaginta uel sexaginta dachenorum nauigia, iamque nauem contractus, quae ex banda uenerat, pene subegerant; nostri uero illam bellicis tormentis, tam nauis quam arcis, tuiti sunt, hostesque fugarunt, hique, littus percurrentes, petierunt Tanasarim; et statim praedictus dux Simon a Mello aduersus illos classem quandam quatuor uel

quinque biremium fecit, qua plurimi homines coniugati profecti sunt, atque ita dicta classis hostes insecuta fuit usque ad flumen quoddam, quod a malacensi ciuitate distat ducentis uel pluribus leucis; qua in nauigatione lusitani diutius sunt immorati; quo tempore multas miserat praefectus celoces, ut nuntia de nostris afferrent, quae tamen nullum de illis nuntium uspiam receperunt; quam ob causam tum pr[a]efectus tum reliquus populus ualde affligebantur, et moram illam moleste ferebant; iamque mulieres nonnullae, quarum viri huiusmodi classe uehebantur, magnos planctus faciebant, arbitrantes viros suos ab hostibus fuisse interfectos. Interim uero P. Mter. Franciscus animabat omnes, consolabaturque illos, monens ut moerorem deponerent, ac magnam in Deo spem et fiduciam haberent, simulque Deo nostrorum classem commendarent, quoniam ipse in Deo sperabat fore, ut nostri incolumes euaderent uictoriamque de hostibus reportarent. Proinde decreuit die quadam ad populum concionem habere, nullo hucusque nostrorum nuntio habito; et cum pro suggesto esset, dixit: fratres et amici mei, gaudete et estote bono animo, quia fratres nostri pugnarunt et uictoriam de hostibus obtinuerunt, atque huc diuino auxilio quam cito peruenient; et paucis post diebus nostrorum classis confestim ad portum appulit, repertumque fuit verum esse quod Pater Mter. Franciscus inter concionandum dixerat, atque illa eadem die et hora contigisse [g], qua Pater praenunciauerat populo nostros de hostibus victoriam reportasse.

Audiuit item dictus testis a personis magna fide dignis quod, cum P. Mter. Franciscus uideret se tota sua cura ac diligentia, maximisque, quos patiebatur, laboribus, non posse tantum fructum facere quantum volebat, e suggesto multoties lamentatus est, et die quadam inter concionandum dixit, quod, quando Dominus noster apostolos suos misit in mundum vniuersum ad uerbum Dei praedicandum, illis iussit ut, cum recederent a ciuitate, in qua homines nollent audire diuinam doctrinam, a calceis suis puluerem excuterent, quia ira Dei super illam uentura erat; qua-

[g] contegisse *ms.*

propter ille idem erat facturus, seque ita facturum promittebat, siquidem illi a uitiis abstinere nolebant: quapropter praedicebat magnam Malacae oppressionem esse uenturam: et cum inde in Malucum [h] profectus fuit, ocreas, quibus erat calceatus, excalceauit, easque Malacae reliquit dicens: absit ut puluerem iniquissimae ciuitatis, qualis est Malaca, mecum feram. Et breui inde tempore Malaca fuit ad hostibus obsessa magnamque passa oppressionem.

Item, ipse testis a quamplurimis audiuit quod dictus magister Franciscus, cum in Maluco esset, ibique die quadam missam celebraret, dixerat: fratres, dominicam orationem semel recitate pro anima amici mei Joannis Arausii, qui e uita decessit; quam rem a Patre sciri admirati sunt omnes, quia Joannes Arausius hoc tempore in Amboino commorabatur, quod a Maluco leucis octoginta distat; inuentumque est eadem ipsa die et hora, qua Pater monuerat ut oratio dominica recitaretur, dictum Joannem Arausium ex hac uita migrasse; quod tanquam miraculosum et diuina reuelatum inspiratione habitum fuit, cum aliter sciri non posset.

Dixit deinde ipse testis audiisse se quod, post P. Mtri. Francisci obitum, eius corpus apud Sinas collocatum fuerat in quadam arca plena calce, ubi per tres aut quatuor menses inclusum delituit. Cumque tempus ad nauigandum Malacam opportunum ueniret, eo fuit dictum corpus deuectum; et cum ad malacensem portum fuisset appulsum, praedicta arca aperta fuit ut Patris ossa humarentur; illa uero aperta, corpus inuentum fuit integrum, nullam, tam in corpore quam etiam in uestimentis suis, maculam habens; quod quidem corpus uarios suauissimosque ex se emittebat odores; elatumque fuit magna cum solemnitate a toto clero ac populo, uno excepto arcis praefecto, cum magna cereorum quantitate, ad templum Dominae nostrae de Monte, et ueluti quodcumque aliud cadauer, sub terra coniectum, in capella fuit sepultum, ibique per sex uel septem menses delituit. Et cum tempus ad nauigandum in Indiam opportunum accessisset, effos-

---

[h] Malacam *ms*.

sa fuit sepultura, ut Patris ossa ad Goanam ciuitatem deueherentur; aperta vero arca, repertum fuit corpus integrum, sicut fuerat sepultum, quod ab omnibus pro magno miraculo fuit reputatum; sicque ad goanum portum fuit aduectum, ubi, de naui ablatum, ad diui Pauli collegium cum ueneratione deuotioneque fuit asportatum, et a prorege dom Alphonso cunctisque Patribus, atque omnibus aliorum ordinum religiosis ac populo, prosecutum, et, in feretrum quoddam iniectum, in capella fuit positum, ubi nunc est, et a multis tanquam uiri sancti corpus inuisitur; et ipse testis illum pro tali semper habuit et habet ....

8.us testis

Alphonsus de Menezes, uxoratus et huius coccinensis ciuitatis accola.....

Interrogatus dictus testis de vita et moribus P. Mtri. Francisci, et an multos passus fuerit labores, eosque pro Deo et uirtute sustinuerit, dixit ipse testis P. Mtri. Francisci vitam in India nullam aliam fuisse, praesertim uero Malacae, ubi a se teste uisus fuit, nisi pauperum hospitia et aegrotorum domos uisitare, ibique inueniri fuisse solitum. Sic etiam, tempore pestis Malacae, eo quod xenodochia seu hospitalia ualde referta erant infirmis, ad biremes quae terr[a]e inerant, aegros fuisse delatos, quos P. Mter. Franciscus perpetuo inuisebat, necnon illis diu noctuque assistebat; hocque illius erat officium.

Rogatus ipse testis an dictus P. Mter. Franciscus multos fuerit perpessus labores, eosque pro Deo et uirtute tolerauerit, tam in tota India, quam in malacensi ciuitate ubi degerat, dixit ipse testis quod, tempore quo ipse Malacae erat, P. Mter. Franciscus fuit ex India aduectus naui Didaci Pereira, ut ea ad Sinas ueheretur, cum proregis dom Alphonsi diplomatibus, ut ibi quamplurimos christianos, qui captiui erant, redimeret, Christique fidem praedicaret; eique Malacae eiusmodi nauigatio fuit impedita; et multos pertulit labores atque molestias, quas propter Dei seruitium patientissime tolerauit; non obstante autem quod praedictus Didacus Pereira, legatus, prohibitus est ire ad Sinas, Pater tamen sine ipso e portu soluit; et quoniam non potuit in Si-

narum urbes penetrare, mansit in deserta quadam insula, in qua lusitani tum temporis degebant, atque in ea extruxit quandam orationis domum, in qua quotidie missae sacrificium faciebat, ibique diem obiit suum.

Interrogatus ipsemet testis an dictus magister Franciscus extiterit in suis moribus castus et diligens, uigilans atque magnanimus in iis, quae Dei seruitium esse apprehendebat; dixit ipse testis P. Mtrum. Franciscum tam a se, teste, quam ab omnibus Indiae hominibus, fuisse semper pro uiro honestissimo reputatum; et non solum fuisse talem, sed ualde etiam procurasse ut omnes homines, quibuscum ipse uersabatur, casti essent. Necnon in locis, per quae transibat, quamplurimos uiros ab ipsorum ancillis separasse, cum aliis uero multis ut matrimonium contraherent effecisse. Fuisse item magnanimum et diligentem in iis, quae ad Dei seruitium spectare apprehendebat.

Dixit insuper ipse testis, quod praedictus magister Franciscus fuerat in sua conuersatione syncerissimus et humillimus [i]; namque ore risu pleno homines amplectebatur tractabatque atque complectebatur; et cum maioribus peccatoribus familiarius quam cum caeteris utebatur, ac cum illis comedebat, nec propterea aliquid illis irae moesticiaeue signum praebebat; et hoc modo illos flectebat ad omnia quae uolebat, atque a peccatis, quibus erant inuoluti, segregabat.

Rogatus ipse testis an praefatus P. Mter. Franciscus miracula aliquot, dum uiueret, aut post mortem, patrasset, dixit idem testis quod, tempore quo ipse apud sinas et japonios degebat, et cum alias Malacae fuit, dictus P. Mter. Franciscus aliquot edidit miracula; et omnia (quia ipse testis non adfuerat) a quamplurimis personis fide dignis audierat.

Similiter audiuit quod, post Patris obitum, Deus propter eum aliquot fecerat miracula; uerumque erat quod, quando corpus illius e sinica regione Malacam fuit aduectum, ipse testis illud ad sepulchrum portare adiuuit, atque ad templum Dominae nostrae de Monte a cuncto populo, tam christianis quam gentilibus, magna

---

[i] humilissimus *ms.*

fuit solemnitate elatum, ibique per nouem aut decem menses sub terra delituit. Cumque postea dictus testis e sinica regione in Indiam naue quadam ueheretur, ad Ceylanum [j] appulit, ubi in naui quadam Lupi Noronii inueuit P. Mtri. Francisci corpus, in lignea quadam arca aperta positum, illudque totum integrum reperit, sicut fuerat Malacae sepultum; atque tunc illud iterum uidit, et sensit maximam odoris suauitatem; quoniam, cum foramen quoddam in brachio manipuli haberet, illudque manibus fricaretur, suauissimum ex se emisit odorem; caro quoque ueluti recens. Indeque fuit dictum corpus Goam deuectum, ubi e naui ablatum, magna solemnitate fuit ad collegii diui Pauli elatum; et a prorege dom Alphonso ac reliquo populo, tanquam uiri iam canonizati, corpus ualde prosecutum, in capellam maiorem fuit introductum, ubi nunc est, et a plurimis, pro cuiusque deuotione, tanquam uir sanctus inuisitur; et ipse testis eum pro tali semper habuit et habet.....

### 9.[us] TESTIS

Chistophorus a Castro, regiae domus eques.....

Interrogatus dictus testis de uita et moribus P. Mtri. Francisci, et an multos passus fuerit labores, eosque pro Deo et uirtute pertulerit, dixit ipse testis uerum esse quod praefatus magister Franciscus adeo uirtute praeditus erat, tamque integrae uitae, ut hoc ipsum in his Indiae prouinciis notum omnibus sit, quod, etiam dum uixit, multos fuerit labores perpessus, eosque pro Deo et uirtute patientissime tolerauerit; et quo magis opprimebatur, eo maiorem laetitiam percipiebat. Malacae uero labores tulit maximos omnium quos in India sustinuit, quoniam, ut ipsi testi a personis fide dignis dictum fuit, cum dictus magister Franciscus Malacae esset accinctus ad iter in Sinas arripiendum, cum proregis dom Alphonsi diplomatibus, naui Didaci Pereira atque eius expensis uehendus, eiusmodi iter fuit dicto Patri impeditum, nec Didaco Pereira ire permissum. Insuper ab aliquibus uexabatur, eundem hypocritam et ebrium coram appellantibus, aliisque con-

---

j Ceulamum *ms.*

tumeliis afficientibus. Unde aliqui monebant P. Mtrum. Franciscum ne ad Sinas adiret; ipse uero respondebat quod ad conscientiae suae quietem non poterat non eo pergere propter tribulationes et molestias, quibus in ciuitate Malaca agitabatur. Et quamuis sciret ualde necessarium esse Malacae se manere, multaque ibi esse quae fieri oporteret, attamen non posse non proficisci, tum ut se subduceret iis, a quibus quotidie iniurii[s] petebatur, tum etiam ut aliquos captiuos, qui apud Sinas erant, redimeret, tum denique ut fructum aliquem Deoque seruitium praestaret.

Rogatus ipse testis num dictus magister Franciscus extiterit semper in suis moribus castus, diligens, uigilans atque magnanimus in iis, quae Dei seruitium esse apprehendebat; dixit ipse testis uerum esse; et ita sibi uideri quod, non solum dictus magister Franciscus fuit in suis moribus castissimus, uerum etiam enixe laborabat ut omnes tales essent. Magna item illi sollicitudo curaque inerat, ut illos a mortali peccato auocaret, sicut etiam dictum testem a famula quadam, quam secum ducebat, separauit prima uice, qua apud Patrem crimina sua deposuit, in insulis Amboini, cum e Maluco ueniret; et sicut fecit dicto testi fecit etiam multis, qui in iis insulis et in Maluco atque in omnibus illis prouinciis degebant; nullaque alia ipsi erat requies tranquillitasue, nisi se in his et similibus operibus exercere, inimicos [k] reconciliare, aegros curare atque eorum confessiones audire.

Interrogatus ipsemet testis an dictus P. Mter. Franciscus syncerus et humilis in sua conuersatione extitisset, dixit ipse testis quod dictus Pater adeo humilis et ab hominibus tractabilis erat, ut numquam nisi laetum ac risu plenum erga omnes se praebuerit, praesertim uero erga eos qui inique uiuebant; et cum iis familiarius usus fuerat, ut illos ad rectam uitae rationem reuocaret, atque tandiu cum iisdem conuersabatur ac simul comedebat, donec eos conuertebat: et perfecta finitaque quorundam conuersione, cum aliis amicitiam inibat. Et huiusmodi erant eius negotiationes, mercimonia ac labores, quos in India diu no-

---

[k] amicos *ms*. *Vide lusit. textum.*

ctuque habebat absque ulla requie, parcissime manducando et bibendo.

Rogatus ipse testis num dictus P. Mter. Franciscus, dum uiueret, aut in morte, miracula aliquot patrasset, dixit dictus testis se non aliud scire, nisi quod, cum ipse testis aliquando ad malacensem ciuitatem fuisset aduectus, in toto populo repererit sibique dictum fuerit quod anno pr[a]eterito P. Mter. Franciscus fuerat illic commoratus, quo tempore classis quaedam contra dachenos facta fuit, qua quamplurimi coniugati et coelibes profecti fuerunt; cumque iam quadraginta et tot dies essent transacti a classis decessu, nullo illius nuntio habito, nigri indigenae rumores Malacae sparserunt quod nostrorum classis fuerit dissipata; quapropter uxores lamentabantur suos uiros. Homines adeo obstupefacti erant, vniuersaque ciuitas tanto moerore affecta, vt res uisu admiranda esset: quapropter magister Franciscus quandam habuit concionem, illisque dixit: fratres, recitate dominicam orationem et angelicam salutationem in gratiarum actionem pro uictoria, quam Deus nostris dedit; et tali die huius rei nuntium habebitis; compertumque postea fuit ea omnia ita euenisse sicut Pater praenunciauerat; eadem enim hora ac die, qua Pater id praedixerat, nostri de hostibus uictoriam reportarunt.

Dixit deinde dictus testis se auditu percepisse quod, cum P. Mter. Franciscus in Maluco missam celebraret, ad populum conuersus, dixerat: recitemus dominicam orationem et angelicam salutationem pro anima amici nostri Joannis Arausii, qui nunc mortuus est in Amboino, quod a Maluco octoginta distat leucis; fuitque postea inuentum rem ita se habere, nil addito uel dempto; illa namque eadem hora, qua Pater illud praedixerat, Joannes Arausius e uita discessit; quod quidem illi fuisse diuina inspiratione reuelatum affirmarunt omnes.

Audiuit insuper ipse testis quod, cum dictus magister Franciscus Piscariae littus perlustraret, ad ipsum, christianos uisitantem, mulier quaedam christiana accesserat, seque ad illius pedes prostrauerat, dicens quendam filium sibi mortuum esse, ideoque Patrem deprecabatur ut illum inuiseret. Ubi uero P. Mter. Franciscus peruenit ad locum, ubi erat puer iam demortuus, in genua

prouolutus, Deum orauit, quo statim puer expergefactus surrexerat incolumis; quam ob rem qui aderant inceperunt dicere: miraculum, miraculum. At P. Mter. Franciscus illis dixit: tacete, ne loquamini, quia puer non erat mortuus, et Deus illi salutem dare uoluerat.

Praeterea, cum ipse testis e sinica regione uenisset, et ad mal[a]censem portum appulsus esset, audiuit P. Mtrum. Franciscum ibi per certos menses delituisse, sepultum in templo [l] Dominae nostrae de Monte, cum iam e sinica regione fuisset aduectus, ubi etiam per [m] certos alios menses humatus extiterat; et quando fuit a tumulo extractus ut in Indiam deueheretur, totum integrum fuisse inuentum, ab eiusque corpore optimum ac suauissimum exiisse odorem.

Audiuit item ipsemet testis apud Sinas, quod, postquam P. Mter. Franciscus in illis Sinarum montibus missae sacrificium fecit, numquam amplius nauigia ulla perierint; uehementesque uenti, qui illic perflabant, deinceps non tantam, sicut antea, uim habuerint. Patris uero corpus Goam deuectum fuit, ubi sic integrum iacet, in cenotaphio quodam positum, in collegio diui Pauli, ibique a plurimis magna deuotione, tanquam uir sanctus, inuisitur, et pro tali a se teste ac mundo vniuerso, tum a christianis, tum mauris et gentilibus, habitus semper fuit et habetur.....

### IO.[us] TESTIS

Chistophorus Caruallius, regiae domus patricius.....

Interrogatus dictus testis de uita et moribus P. Mtri. Francisci, et an multos in India passus fuerit labores, eosque pro Deo et uirtute tolerauerit; dixit ipse testis a se cognitum fuisse P. Mtrum. Franciscum in India, et etiam Malacae, et in omnibus aliis partibus, quas percurrit. Et quantum ad eius uitam attinet, piissime uixisse, adeoque sanctam duxisse uitam, ut res admiratione digna esset; nec unquam tempus otiose consumpsisse, quin potius semper Deo magnopere inseruiebat, tum confessiones audiendo, tum aegros, et in hospitalibus et extra illa, uisitan-

---

[l] templum *ms.* [m] puer per *ms.*

do et consolando; atque hoc tanta cura ac sollicitudine, quam maxima erant studia ac desideria salutis animarum quibus flagrabat.

Scit etiam ipse testis dictum magistrum Franciscum multos in India sustinuisse labores ac persecutiones, praesertim Malacae a dom Aluaro de Taide, qui tunc urbi praefectus erat, eo quod illi iter ad Sinas impedierit, cum P. Mter. Franciscus ex India, simul cum Didaco Pereira, fuisset profectus cum proregis dom Alphonsi [6] diplomatibus, et potestate ad sinicam regionem eundi cum dicto Didaco Pereira, atque in ipsius naui; quae nauis fuit capta, et Didaco Pereira ne iret prohibitum a praefecto, dicente ad regis seruitium non spectare ut ille ad Sinas cum legatione adiret, cum iam in huiusmodi nauigationis pr[a]eparatione quatuor millia nummorum scuta expendisset; nec P. Mtri. Francisci preces aliquid profuerunt, ut dux ille a proposito desisteret; immo potius a dicto praefecto eiusque familiaribus fuit laboribus multis ac molestiis exagitatus, necnon aliquibus inhonestis affectus uerbis, ne quidem mundano homini dicendis, multo uero minus P. Mtro. Francisco, qui tanquam [n] uir sanctus habebatur. Nihilominus, Didaco Pereira Malacae manente, Pater profectus fuit ad Sinas, animo redimendi certos quosdam captiuos lusitanos, qui illic detinebantur, ac Deo inseruiendi, pr[a]edicando et ad Jesu Xpi. fidem gentilitatem conuertendo; et cum huiusmodi curis studiis[que] apud praedictos Sinas animam egit.

Rogatus ipse testis sciret ne quod dictus P. Mter. Franciscus in India uixerit in omnibus suis moribus castissimus, et an fuerit diligens, vigilans et magnanimus in iis, quae Dei seruitium esse apprehendebat; dixit ipse testis quod in rei ueritate, quantum sibi conscius erat, dictus P. Mter. Franciscus in omnibus suis moribus et operibus honestissimus fuerat, et non solum talis, uerum etiam, quantum potuit, maxima diligentia ac studio laborauit ut omnes casti essent, auocando uiros quamplurimos optimates ac diuites a uitiis multis et mortalibus peccatis, qui-

[n] non *ms.*

[6] Alphonsi de Noronha.

bus erant immersi, ac etiam ab ancillis suis separando, quibuscum in concubinatu uiuebant, necnon faciendo ut ipsas ducerent in uxores, idque animo forti et corde magno, tamquam magnanimus, qualis ille in Dei seruitio erat, pro cuius amore omnia efficere procurabat.

Rogatus insuper ipsemet testis an dictus P. Mter. Franciscus in sua conuersatione syncerus et humilis fuisset, dixit ipse testis P. Mtrum. Franciscum tam purum fuisse in conuersatione, qua cum hominibus utebatur, quosque magna humilitate tractabat, ut nemini molestus esset, adeoque omnium conuersationi se aptasse; atque id tanta hilaritate, et ore semper risu ac diuina gratia pleno, ut quidquid uellet obtinuerit; et quo aliquem maiorem peccatorem agnoscebat, eo magis ad illum accedebat ac familiarius cum ipso agebat, manducando etiam cum huiusmodi hominibus; nec unquam propter illorum peccata aut deprauatos mores admirabatur; et eiusmodi consuetudine, quacum illis agebat, eosdem ad virtutem ac Dei seruitium incitabat, ab omni malo separabat, et ad virtutes absque ullo scandalo conuertebat; atque hoc, praeter plura alia, speciale Dei donum ei fuit, nemoque repertus est qui a Patre scandalum acciperet.

Magna etiam perfecit, et a familiis ac cordibus inueterata admodum ac radicata peccata auulsit, ita ut omnes ad eum propter bonam ipsius doctrinam confluerent; tantoque honore ac ueneratione ab omnibus, tam primatibus quam inferioribus, fuit habitus, quanto uir sanctus et ab ecclesia canonizatus haberetur. Fuit itaque adeo humilis in iis quae agebat, et in laboribus atque afflictionibus quibus infestabatur, ut nunquam uisus fuerit subirasci, aut conqueri de aliquo propter se, sed propter Dei seruitium, quamdo tam exacte, sicut ille uolebat ac desiderabat, perfici non poterat; quin potius Deum deprecabatur ut ignosceret illis a quibus impetebatur, ne tandem cum illis sua diuina iustitia uti uellet.

Interrogatus praeterea ipse testis sciret ne dictum P. Mtrum. Franciscum miracula aliquot, dum uiueret, aut post mortem, fecisse, dixit ipse testis Patrem multa inter gentiles patrasse miracula, quae ipse publicare nolebat, et ne publicarentur deprecaba-

tur; eodemque modo inter christianos multa edidisse miracula; seque, testem, scire quod, cum esset Malacae, ubi P. Mter. Franciscus etiam agebat, tempore ducis Simonis a Mello, quo tempore Malacae classis quaedam lusitanorum facta fuit contra dachenos, qui piratae erant, et littus illud, praedando et interficiendo, percurrebant; dictaque classe nonnulli Malacae uxorati profecti sunt, ita ut, cum iam a multis diebus discessissent, nullum illorum nuntium haberetur, quam ob rem dux et populus ualde affligebantur ac moesti erant, et mulieres, quarum uiri classe uehebantur, pro illis magnos planctus in propriis domibus faciebant, eos iam occisos esse existimantes sibique persuadentes; quo tempore P. Mter. Franciscus consolabatur omnes, monens eos ut moerorem deponerent atque ualde Deo fiderent, et sperarent, quia sibi uidebatur nostros uictoriam fuisse consequutos; cumque die quadam concionem haberet, se teste pr[a]esente, dictus P. Mter. Franciscus dixerat: fratres, recitemus dominicam orationem et angelicam salutationem in gratiarum actionem pro uictoria, quam nostri modo de hostibus reportarunt, et abhinc tot diebus (diem quendam signando) nuntii uenient. Ex quo omnes, propter aestimationem, qua ab ipsis pro sancto reputabatur, gaudium magnum et consolationem perceperunt, id uerum esse putantes, Patremque fuisse a Spiritu sancto inspiratum, cum aliter id scire non posset, eo quod classis plus centum leucis Malaca distaret: et paucis post diebus nostri lusitani eo ipso die, quo P. Mter. Franciscus praenunciauerat, uictores peruenerunt; repertumque fuit quod illa eadem die et hora, qua Pater concionem habuit, pugnatum fuerat et lusitani uictoriam obtinuerant.

Audiuit item ipse testis a plurimis personis magna fide dignis quod, cum P. Mter. Franciscus in Maluco commoraretur, atque die quadam missam celebraret, in fine illius, ad populum conuersus, dixerat: fratres mei, recitemus dominicam orationem et angelicam salutationem pro anima fratris nostri Joannis Arausii, qui nunc in Amboino expirauit; quod admirati sunt omnes eo quod loca ista inter se distant octoginta et amplius leucis, nec aliquis ea tempestate ab Amboino poterat uenire, qui tale nuntium afferret. Postea uero compertum fuit dictum Joannem Arau-

sium mortuum esse; eademque die et hora, qua P. Mter. Franciscus id populo praedixerat, diem obiisse suum; quod fuit pro magno miraculo habitum, sicut reuera est.

Dixit etiam ipse testis se auditione percepisse quod, postquam P. Mter. Franciscus ad Sinas peruenit, et in illis insulis, ubi animam egit, missae sacrificium fecit, numquam amplius ulla nauis passa est naufragium, nec amplius uisa fuit uehemens illa procella uenti, quae appellatur tufam, et qua multae naues perierant.

Audiuit item ipse testis quod, postquam P. Mter. Franciscus obiit, positus fuit in quadam arca calce uiua plena, ut ipsius corpus citius consumeretur illiusque ossa in Indiam deueherentur, ubi per tres uel quatuor menses inclusus delituit; et quando uenit opportunum tempus a Sinis Malacam nauigandi, fuit dicta arca in nauem quandam intromissa simul cum corpore, quod fuit Malacam aduectum; cumque ad malacensem portum esset appulsum, fuit ipsamet arca aperta; et corpus cum uestimentis, quibus erat indutum, adeo integrum repertum fuit, ut omnes in magnam rapti fuerint admirationem, cum iam corpus a calce consumptum esse existimarent; tamque [o] bonum atque suaue ex se emittebat odorem, ut spiritus recrearet ac reficeret. Magno igitur cum honore, ueneratione et cereorum quantitate, a sacerdotibus cunctoque populo (uno excepto duce dom Aluaro), simul etiam a confraternitate sanctae misericordiae, delatum fuit in templum Dominae nostrae de Monte, ubi extra arcam, qua fuerat a Sinis deuectum, sub terra fuit humatum, ibique per octo uel nouem menses iacuit sepultum, donec rediit opportunum tempus e malacensi portu in Indiam nauigandi; cumque Patres Societatis Jesu decernerent P. Mtri. Francisci ossa Goam mittere, ad sepulchrum uenerunt ut corpus extraherent; et, effosso loculo, illud iterum inuenerunt totum integrum, sicut illud iniecerant, sine ulla corruptione, sola superiore nasi parte ueluti contusa, cum iisdem uestimentis et calceamento, cum quibus e Sinis fuerat deuectum et quibus Pater in uita utebatur, totis in-

---

[o] tamquam *ms.*

tegris, nihil contritum putreue habentibus: atque ita dictum corpus in nauem quandam intromiserunt, eaque fuit Goam deuectum, ubi praedictus testis eo tempore commorabatur; et, deductum e naui, in quodam feretro desuper aperto fuit exportatum, magnoque honore ac deuotione ad diui Pauli collegium delatum, a prorege dom Alphonso, a patriciis et cuncto populo, omniumque ordinum religiosis ac reliquo populo, omnibus deuotissime flentibus, solemni processione prosecutum, et in dicto cenotaphio, intra capellam maiorem collegii, ad partem euangelii, fuit collocatum, ubi nunc iacet, et a plurimis personis uirtute praeditis et Patri deuotis pro sancto inuisitur; et in hac aestimatione fuisse semper a se teste habitum et haberi affirmauit.....

II.us testis

Joannes a Cruce, christianus Piscariae et unus ex primatibus illius prouinciae uiris.....

Interrogatus ipse testis de uita et moribus P. Mtri. Francisci, et an multos passus fuerit labores, eosque pro Deo et uirtute tolerauerit; dixit ipse testis uerum esse quod cognouerit P. Mtrum. Franciscum in oppido suo, quod est in Piscaria, ubi P. Mter. Franciscus fuit per triennium commoratus; et toto hoc tempore ipse testis P. Mtrum. Franciscum uidit uirtute adeo excellentem, ut uir Dei et sanctus, sicut ille erat, posset potius iudicari, quam mundanus, quia in omnibus suis rebus nil aliud nisi Dei seruitium intendebat.

Scit etiam ipse testis dictum magistrum Franciscum multis molestiis a Piscariae littoris praefectis fuisse uexatum, eo quod pro christianis indigenis procuraret ac loqueretur: eodemque modo in India fuisse persecutionibus a gubernatoribus exagitatum, etiam quia praedictorum christianorum causam ageret, et pro ipsorum rebus loqueretur, gubernatores obsecrans ut praeciperent ne tot fierent in prouincia tyrannides: et quia pro christianis hoc modo procurabat incredibili diligentia ac sollicitudine, et in eorum fauorem loquebatur cum praefectis, illosque reprehendebat de iis quae male agebant, quamplurimas molestias calamitatesque fuisse perpessum; iis tamen, quibus infestabatur,

non obstantibus, mira, qua excellebat, patientia omnia tolerasse, idque modo quodam tali, ut ipsimet christiani indigenae obstupescerent; qui quidem illum tanquam parentem diligebant, neque aliud bonum praeter dictum P. Mtrum. Franciscum habere fatebantur.

Rogatus deinde ipse testis num dictus magister Franciscus in suo uiuendi modo ac moribus castus, et in iis, quae Dei seruitium esse apprehendebat, diligens, uigilans magnanimusque extiterit; dixit ipse testis scire se dictum magistrum Franciscum in omnibus suis moribus ita fuisse honestum, adeoque castam duxisse uitam, ut circa haec non possit testis tanta dicere, quin plura dicenda manerent, qu[a]e re ipsa contigerunt. Nec solum fuisse castum, uerum etiam procurasse ac desiderasse ut omnes tales essent. Magnam praeterea diligentiam et uigilantiam adhibuisse, ut quamplurimos christianos indigenas, tam optimates quam plebeios, a multis mortalibus peccatis, et usuris [p], quarum usus inter ipsos in illa prouincia erat, aliisque grauissimis vitiis separaret, atque etiam, ut concubinarios multos, tum christianos indigenas, tum lusitanos, in dicta prouincia commorantes, ad inuicem segregaret; seque, testem, per Patrem Franciscum fuisse separatum a foemina quadam, cum qua in mortali peccato uiuebat, qui, ut eam testis in uxorem duceret, effecit, sicut etiam pluribus aliis persuasit ut matrimonium contraherent; idque fortissimo quodam animo, ut erat magnanimus in iis quae ad Dei seruitium spectabant, propter quem omnia haec efficere laborabat.

Interrogatus deinde ipsemet testis an dictus P. Mter. Franciscus in conuersatione syncerus et humilis esset, dixit ipse testis quod P. Mter. Franciscus in conuersatione, qua cum hominibus utebatur, adeo syncerus et humilis erat, ut a nemine sentiretur; tamque arcta erat amicitia, quae illi cum hominibus intercedebat, et tanto gaudio atque ore semper risu ac Dei gratia pleno incedebat, ut nemini molestus esset; nec aliquid uolebat aut ab aliquo petebat, quod sibi non concederetur propter authorita-

---

[p] irisuris *ms.*

tem magnam sanctitatemque eximiam qua praeditus erat: et quo aliquem maiorem peccatorem esse agnoscebat, eo magis ad illum accedebat, et cum eo uersabatur, initio statim cum [eo] amicitiam inibat, non admirando illius crimina aut moleste ferendo, sed familiaritate intrinseca sanctaque doctrina, qua huiuscemodi homines imbuebat, illos ab omni malo auocabat, idque absque ullo scandalo, nemine inuento, qui se a Patre offensum esse quereretur; tantamque christiani illi in Patre magistro fidem habebant, ut qui ab eo saepe requisitus esset ut aliquod relinqueret peccatum, nec tamen eum audire uellet, nonnisi magna cum afflictione ac labore cibum deinde sumeret, nec deinceps quiete uiueret donec ad P. Mtrum. Franciscum accederet eique suam fateretur culpam, atque id, quod sibi a Patre praecipiebatur, exequeretur. Qui uero ab ipso moniti, nihilominus in suis sceleribus omnino perseuerabant, non nisi inopinata aliqua morte moriebantur, quorum plurimos dictus testis uidit. Pater autem aegre molesteque ferebat quando non tam perfecte, sicut ipse optabat ac uolebat, Dei seruitium facere poterat.

Rogatus dictus testis num P. Mter. Franciscus suis concionibus ac doctrinis gentiles aliquot in Piscariae littore ad fidem conuerterit, in eoque curam posuerit suam, an item aliquot patrauerit miracula, quantoque tempore fuerit in Piscaria immoratus; dixit ipse testis quod dictus P. Mter. Franciscus enixe laborauit ut gentiles ad fidem conuerteret concionibus atque doctrinis, quibus illos instruebat; quapropter a gentilibus magni fiebat et pro sancto reputabatur, dicentibus iisdem uera esse quaecunque a Patre dicebantur. Quod uero prouinciam totam ad Christi fidem non conuerterit, non prouenisse ex eo quod sollicitudinem magnam diligentiamque non adhibuerit, sed solum quia non tanto, quanto opus erat, tempore in dicta prouincia permanserat; ibi enim breuissimo tempore fuit commoratus; quoniam tribus illis annis, quibus dictus testis P. Mtrum. Franciscum in Piscaria fuisse dixit, non immorandi animo, sed solum pertranseundi prouinciam, illuc se contulerat, quia maxime erat in India necessarius; proinde satis admodum fecit, magnaque patrauit miracula, illos, qui Christo nomen dedera[n]t, ab ipsorum peccatis ac uitiis separando,

ne [q], postquam Christo nomen dederant, in infernum detruderentur (multis namque improbis pauci boni praeualent): atque ad hodiernum usque diem christiani illi elaborant ut adimpleant et seruent quae a P. Mtro. Francisco, eos docente, audierunt, cuius causa illi ueritatem cognoscunt bonique christiani sunt, quales non essent, si P. Mtrum. Franciscum non audiuissent uel cognouissent.

Audiuit denique ipse testis a plurimis personis fide dignis, quod P. Mtri. Francisci corpus totum integrum Goae erat in collegio diui Pauli, tanquam uiri sancti corpus, in magna habitum ueneratione, in qua aestimatione a se teste ac omnibus Piscariae christianis habetur.....

### 12.[us] TESTIS

Laurentius Soarez de Figueiro.....

Interrogatus dictus testis de uita et moribus P. Mtri. Francisci, et an multos fuerit perpessus labores, eosque pro Deo et uirtute tolerauerit; dixit ipse testis uerum esse quod paruo tempore comitatus fuit P. Mtrum. Franciscum dum Malacae totoque eius littore fuit immoratus, ubi illum dictus testis cognouit; et huiusmodi notitia, quam de illo habuit, uidit Patrem Franciscum adeo pie sancteque uiuere, ut iureiurando, quo fuit adactus, affirmaret illius uitam angelicam magis quam humanam fuisse. Nec se testem aliquid amplius circa hoc dicendum loquendumque habere, quia non tot de Patre dicere poterat, quin plura in eo reperirentur.

Scit etiam ipse testis P. Mtrum. Franciscum maximis fuisse laboribus et molestiis exagitatum ut Dei seruitium exequeretur, quoniam diu noctuque nullae aliae eius sollicitudines curaeue erant, nisi de operibus piis faciendis, aegrisque, tam in hospitalibus quam in eorum domibus, uisitandis; et hoc ipse testis scit, quia saepe diu noctuque Patrem ad eiusmodi opera peragenda euntem comitabatur: multis etiam consolationem attulisse, eorum confessiones audiendo; et quo magis laboribus hisce immergeba-

---

q nec *ms*.

tur, eo plus in dicto P. Mtro. Francisco Dei seruitii zelum feruoremque creuisse, ita ut tota ipsius uita, quantum ad exteriora, huiusmodi esset.

Scit etiam eo paruo tempore, quod illi supererat, orationi contemplationique se maxime dedisse; multasque etiam eleemosynas fuisse elargitum, ita ut omnes in illo parentem quendam ac totum suum refugium protectionemque haberent. Insuper omnes labores et molestias, quibus afficiebatur, quando Dei seruitium, sicut ipse uolebat, facere non poterat, patientissime tolerasse, tanquam illum, qui absque dubio totus Dei gratia plenus erat.

Rogatus deinde ipse testis an sciret quod dictus P. Mter. Franciscus, dum in India fuit, in omnibus suis moribus honeste uixerit, et an fuerit diligens, uigilans atque magnanimus in seruitio, inquam, in iis, quae Dei seruitium esse apprehendebat; dixit ipse testis P. Mtrum. Franciscum adeo caste in India uixisse, ut res admiratione digna esset, idque in omnibus suis moribus; et non solum illum talem fuisse, uerum etiam diligentia magna uigilantiaque procurasse ut omnes honesti essent, atque in iis, quae Dei sunt, peragendis magnanimum ac magnificentissimum fuisse, idque ostendisse separando quamplurimos concubinarios, qui cum ancillis suis in concubinatu uiuebant, necnon inducendo alios ut eas in uxores ducerent, qui quidem uiri primates erant; et id animo ac feruore maximo, uelut magnanimum, qualis ipse erat in iis, quae ad Dei seruitium spectabant, propter quem ad eiusmodi res faciendas se disponebat.

Interrogatus ipsemet testis num dictus P. Mter. Franciscus syncerus et humilis in sua conuersatione esset, dixit ipse testis quod familiaritas, qua P. Mter. Franciscus in suo tractandi modo utebatur, adeo simplex et humilitate plena erat, ut nullam cuique molestiam afferret; nemoque, quamuis plebeius et pauper, illum ad ea, quae Dei seruitium erant, uocare aut requirere formidabat. Amicitia, item, quae illi cum hominibus intercedebat, tam stricta ac talis erat, ut eadem amicitia uberrimus ab eo fieret fructus, quia dictus P. Mter. Franciscus, quo aliquem maiorem peccatorem esse cognoscebat, eo magis ad eum accedebat illumque

familiarius tractabat; et cum huiuscemodi hominibus manducabat, ita ut initio statim suae cum illis amicitiae nullum eorum miraretur aut execraretur peccatum, donec familiaritate magna, quam cum hisce peccatoribus inibat, necnon profunda sanctaque, qua pollebat, doctrina, illos, non ab uno solo, sed a plurimis grauissimis et ueteribus peccatis, quibus erant impliciti, abduceret atque auocaret, ac tandem ad poenitentiae sacramentum et reliquum Dei seruitium perduceret, ita ut deinceps non illi iidem, qui esse solebant, uiderentur. Quae omnia absque ullo scandalo suauissime peragebat, cum nemo fuerit repertus reperiaturue, qui de P. Mtro. Francisco conqueratur. Tanta denique erat eius authoritas et magnificentia, atque adeo humilis erat, ut nihil, quamuis magnum, a quoquam peteret aut requireret, quod sibi non fuerit concessum. Itaque quicumque cum dicto Patre amicitiam habebat, uel ipsum confessionis causa adibat, praeceptis et consiliis euangelicis deditus erat, dedebatque se moribus et exemplo P. Mtri. Francisci, qui ad hoc illos hortabatur, sicut is, cuius omnia Spiritus sancti gratia plena erant, atque ab eadem profecta; proinde uniuersa loca, quae pertransibat, Dei seruitio implebat.

Scit insuper ipse testis quod, propter sanctam P. Mtri. Francisci uitam, ac profundam, qua excellebat, doctrinam ipsiusque conciones, gentiles quamplurimi ad Jesu Xpi. fidem se conuerterint, et ipsemet testis uidit illorum plurimos a dicto P. Mtro. Francisco baptizari. Quod si totum Sinarum regnum et Iaponiae regnaque alia non omnino conuertit, id non alia ex causa prouenit, nisi quia Domino nostro placuit tam cito ad se Patrem rapere; quoniam propter maximam sollicitudinem diligentiamque, quam dictus Pater adhibebat, et reputationem, in qua a gentilibus habebatur, secum omnibus uerum esse decernentibus quidquid a Patre praedicabatur, non poterant non ad Christi fidem conuerti.

Rogatus idem testis an dictus P. Mter. Franciscus, dum uiueret, aut in morte, miracula aliquot patrasset, dixit ipse testis quod, secundum Patris uitam eiusque sanctitatem, non poterat non illa patrare, quia Deus erat cum eo. Dictus uero testis, ut

uictum sibi quaereret, mox a P. Mtro. Francisco discesssit, ideoque nulli miraculo interfuit, sed solum audiuit quod, cum P. Mter. Franciscus in Maluco die quadam missae sacrificium faceret, conuersus ad populum dixerat: fratres, orationem dominicam et angelicam salutationem recitemus pro anima Joannis Arausii, quem Deus nunc ex hac uita ad se aduocauit; quam rem totus populus ualde fuit admiratus, quonam scilicet pacto magister Franciscus illud diceret, quia prouincia, in qua Joannes iste Arausius habitabat, quae Amboino appellatur, a Maluco distat octoginta et amplius leucis; nec tempus erat opportunum illinc ueniendi, ut ea uia talis nuntius haberi posset. At cum primum nuntius accessit, fuit pro certo compertum praedictum Joannem Arausium eadem die et hora, qua Pater in missa praedixerat, e uiuis excessisse; pro qua re omnes Deo gratias egerunt, dicentes ac credentes P. Mtrum. Franciscum Spiritus sancti gratia illuminatum esse, illudque diuina inspiratione sciuisse.

Audiuit etiam dictus testis a quamplurimis magna fide dignis quod, postquam P. Mter. Franciscus apud Sinas animam Deo reddidit, sepultus fuit, in arca quadam calce plena clausus, ut corpus eius citius consumeretur et, tempore ad nauigandum opportuno, ossa Malacam, indeque in Indiam, deueherentur: et hoc modo dictum [r] corpus inclusum delituit; quando uero uectum fuit Malacam, transactis scilicet quatuor mensibus, aperta fuit arca, fuitque dictus Pater totus integer inuentus, simul cum uestimentis et calceamentis, sicut eadem illa hora qua animam egerat. Necnon sibi testi dictum fuit quod suauissimus ex Patris corpore odor exibat. Itaque omnes illius funus magna solemnitate prosecuti sunt, et in templum Dominae nostrae de Monte fuit elatus, ubi sub terra humatus fuit, ibique per nouem menses iacuit. Cumque inde eius ossa ad Indiam transuehere uellent, illum e sepulchro extraxerunt, ac integrum iterum repererunt, solo nasi acumine contusionem quandam habente, quod quidem mirati sunt omnes; atque ita fuit in nauem quandam intromissus et ad goanam ciuitatem deuectus, ubi nunc in collegio diui Pau-

---

[r] dictus *ms*.

li iacet, in cenotaphio quodam positus; et a plurimis deuotis personis magna ueneratione inuisitur ac si sanctus quidam ab ecclesia canonizatus esset, quo in honore et aestimatione fuit semper a se teste habitus et habetur.....

13.us TESTIS

Franciscus Mancillius, presbyter.....

Interrogatus dictus testis de vita et moribus Patris magistri Francisci, an multos passus fuerit labores, eosque pro Deo et uirtute tolerauerit; dixit ipse testis uerum esse quod cognouerat P. Mtrum. Franciscum in Lusitania et postea hic in India, illumque fuerat comitatus in Piscaria, Coromandeli littore, per aliquod tempus, sex nimirum uel septem annorum spatium, et quod ad illius vitam attinet, talem reuera fuisse, ut nemo illam ageret, nisi ille uel alius qui Spiritus sancti gratia plenus esset, sicut erat dictus magister Franciscus.

Scit etiam ipse testis dictum P. Mtrum. Franciscum multos magnosque in India pertulisse labores, praesertim in Piscaria, ubi illum comitatus fuit. Procurasse item, et in christianorum fauorem alloquutum fuisse regis duces, ac etiam reges gentiles indigenas, propter tyrannides multas atque offensas, quibus christianos onerabant; quamobrem innumeris infestatum fuisse laboribus et molestiis, tum a christianis, tum a gentilibus, propter Deum ipsiusque sanctam fidem, martyrio se saepius offerendo; atque in hisce rebus faciendis, quae erant tanti seruitii Dei et animarum salutis, fuisse sui ipsius mundique oblitum. Quod si aliquod ei noctis spatium supererat, cum illud in die non haberet, secum retractum se maxime orationi contemplationique tradidisse. Sic etiam consolatum fuisse homines, eorum confessiones diu noctuque audiendo, infirmos uisitando, ac multas pauperibus eleemosynas largiendo, ad quem effectum pecunias ab aliis petebat; neque unquam aliquid proprium habuisse.

In Mozambicho etiam, cum ex Lusitania ueniret, maximos fuisse perpessum labores, aegrotis seruiendo, et faciendo ut de suis quisque peccatis cogitaret, illorum confessiones audiendo, necnon illis diu noctuque assistendo. Et quo magis eiusmodi la-

boribus immersus implicatusque fuerat, eo maiorem fuisse feruorem ac zelum magnum, quem erga Dei seruitium habebat.

Dixit insuper dictus testis tot sibi de moribus et uita P. Mtri. Francisci, deque laboribus maximis, quibus fuit pro Deo exagitatus, dicenda suppetere, ut finem eis numquam imponere posset; proinde plura, quam ut possint imaginari ab ipso fieri possibilia, pro Deo effecisse passumque fuisse.

Rogatus dictus testis, an dictus P. Mter. Franciscus hic in India caste in omnibus suis moribus uixerit, dixit ipse testis dictum magistrum Franciscum adeo castam duxisse uitam, ut nihil aliud dici possit, nisi quod, in hoc praecipue et in reliquo, illius conscientia munda ualde puraque fuerit; nec solum fuisse talem, uerum etiam enixe laborasse ut omnes essent honesti. Fuisse item admodum diligentem, uigilantem ac magnanimum in iis quae ad Dei seruitium spectabant, adeoque magnificum in Deo seruitio, ut ne ullum quidem metum formidinemue habuerit loquendi ac procurandi pro rebus, quas ipsemet magister Franciscus Dei seruitium esse apprehendebat; ita etiam diligentissimum fuisse in concionibus habendis doctrinaque, qua gentiles imbuebat; quam ob causam illorum plurimos conuertit et baptizauit in Piscaria et in regno Trauancoris, ita ut totum fere regnum ad domini nostri Jesu Christi fidem conuerterit; necnon eadem doctrina et concionibus ipsos christianos incitabat ut, quidquid ipsorum conscientiis conueniret, facerent. Magnam item sibi curam fuisse faciendi ut multi a uitiis multis et peccatis grauissimis separarentur, praesertim concubinarii, qui cum suis ancillis indigenis et aliis foeminis in concubinatu uiuebant; necnon uiri optimates in omnibus Indiae oris, quorum alios a concubinis segregabat, alios inducebat ut illas in uxores ducerent.

Dixit etiam ipse testis quod propter zelum magnum, quo dictus P. Mter. Franciscus flagrabat, uolens ut gentilitas tota salua fieret et ad Deum se conuerteret, saepenumero ipsummet testem sollicitauit ut [s] simul cum eo regnum Preteianis eiusmodique prouincias adiret, ut pro Deo, si ipsi placuisset, martyrium sub-

---

[s] et *ms.*

iret; hosque omnes labores dictus P. Mter. Franciscus mira, qua excellebat, patientia tolerabat.

Dixit [t] deinde ipse testis quod ad regnum Trauancoris olim uenerant certi [u] quidam badagae gentiles regni Bisnagari, qui erant latrones, ut depredarentur ac tyrannidem exercerent in christianos ipsosque occiderent; et ubi primum dictus P. Mter. Franciscus hoc resciuit, statim e loco, in quo erat, in dictum Trauancoris regnum profectus fuit, ubi hi badagae praedones erant, et absque formidine ulla mortisue metu, quin potius fortissimo animo feruoreque maximo, ad illos accessit eosque increpauit; necnon christianos a tyrannide defendit, ac pro illis intercessit ne interficerentur; et multi ex his christianis una [cum] vxoribus ac filiis suis, propter horum praedonum metum, ad mare aufugerant, et super rupibus quibusdam scopulisque, qui illic iuxta littus sunt, se collocarant, quo non nisi nauigiis accedi poterat. Dictus uero magister Franciscus per oppida petebat et colligebat eleemosinas, quibus praefatos christianos alebat, et ipsemet eis cibum ac potum nauigiis uehebat; atque huiusmodi erant labores curaeque illius. Similiter ad alias insulas Tutocorini, quae in mari sunt et leuca plus minusue a terra distantes, confugerunt etiam iter[um] christiani propter alteram pugnam aliorum praedonum, et ipse testis de mandato P. Mtri. Francisci, cuius tunc socius erat, illis ministrabat, uictumque omnem et aquam necessariam suppeditabat, quia nihil in dictis insulis habebant; et singulis diebus eos inuisebat; atque huiusmodi erant eius continui labores.

Interrogatus ipsemet testis num dictus P. Mter. Franciscus in conuersatione, qua cum hominibus utebatur, syncerus et humilis extiterit; dixit ipse testis quod P. Mter. Franciscus adeo syncerus atque humilis fuit in consuetudine qua homines tractabat, ut a nemine sentiretur, semperque hilaris et magno gaudio oreque risu pleno incesserit; nec unquam a peccatoribus uisus fuit initio statim eorum uitia admiratus, quoniam, quo aliquem maiorem peccatorem esse agnoscebat, eo magis ad eum accede-

---

[t] deixit *ms.* [u] certae *ms.*

bat et familiarius tractabat, atque ad manducandum cum huiusmodi hominibus se offerebat; hacque arctissima amicitia et uirtute magna, qua praeditus erat, eos a uitiis et peccatis, quibus a plurimis annis implexi erant, auocabat, nemini scandalum praebens; quin potius eiusmodi homines maxime Patri obligati manebant; postea uero illorum confessiones audiebat, suaque doctrina consolabatur eos, et bonos deinceps christianos esse faciebat; nec unquam inuentus fuit ullus, qui a Patre scandalum acciperet; tantaque praedicti magistri Francisci authoritas erat et [v] uenerabilitas, ut omnes ad illum uenerandum obligarentur; nec quidquam, etsi magnum, a quoquam petebat aut requirebat, quod ei libenti animo non concederetur.

Rogatus idemmet testis an praedictus P. Mter. Franciscus, dum hic in India uixit, aut post ipsius mortem, aliquod patrauerit miraculum, dixit ipse testis se in Comorino promontorio a pluribus personis fidedignis (quia dictus testis nondum illic erat) audiisse, quod puer quidam, christianae cuiusdam mulieris filius, e uiuis excesserat; cumque praedicta foemina maxime P. Mtro. Francisco fideret, illum accersiuit, et praefatus Pater mulieris domum adiit, puerum uidit, genua flexit ac Deum pro puero rogauit. Dominus autem, P. Mtri. Francisci precibus, misertus est pueri illumque ad uitam reuocauit. Pater magister Franciscus humillime [x] dixit puerum non fuisse mortuum.

Dixit item ipse testis audiise se hic in India a multis personis fidedignis, quod praefectus Simon a Mello quandam Malacae contra dachenos classem fecerat, quae iam dudum profecta erat, nullo illius nuntio habito; qua de causa dux et cunctus populus uehementer angebantur ac moesti erant; iamque uxores nonnullae uiros suos plangebant, existimantes illos omnes occisos fuisse. Interim uero dictus P. Mter. Franciscus consolabatur omnes, dicens quod maxime Deo fiderent, ac sperarent quoniam nostri quam citissime erant uenturi; et die quadam inter concionandum magister Franciscus e suggesto ad populum dixerat: fratres, gratias Deo referamus pro uictoria magna, quam nostri lusitani de

---

[v] ut *ms.* [x] humilissime *ms.*

dachenis modo reportarunt; ex quo incredibilem omnes laetitiam et consolationem perceperunt propter fidem magnam, quam omnes in P. Mtro. Francisco habebant. Paucis autem post diebus classis peruenit; et fuit pro certo compertum, eadem die et hora, qua Pater inter concionandum e suggesto praenunciauerat, victoriam magnam fuisse a nostris partam, omnesque Deum laudarunt.

Dixit insuper ipse testis audiisse etiam a quamplurimis personis fide dignis, quod, cum praedictus magister Franciscus in Maluco die quadam missam celebraret, conuersus ad populum dixerat: fratres, orationem dominicam et angelicam salutationem recitemus pro anima fratris nostri Joannis Arausii, qui Joannes Arausius commorabatur in Amboino, quod illinc leucis octoginta distat; repertumque postea fuit ita se rem habere, et illum alium obiisse eadem illa die et hora, qua Pater illud praedixerat; quod diuina factum inspiratione fuisse affirmarunt omnes.

Audiuit item ipse testis quod, postquam P. Mter. Franciscus apud Sinas animam egit, nunquam amplius ibi uisa fuit foeda quaedam tempestas ac procella uehemens, quae in illo littore Sinarum aestuabat, qua de causa nauigia naufragium faciebant.

Scitque ipse testis corpus praefati magistri Francisci post ipsius mortem per multos dies sepultum delituisse, tum in sinica regione tum Malacae, nuncque in goana ciuitate collocatum esse in collegio diui Pauli, intra capellam, in cenotaphio quodam conditum, totum integrum, cum carne et uestimentis quibus in vita utebatur; necnon a personis quamplurimis uisitatum deuotione magna, qua illud reuerentur tamquam corpus alicuius sancti viri ab ecclesia canonizati; et pro tali a se teste ac omnibus habitum semperque fuisse et haberi affirmauit.....

[Post haec sequuntur:

1). Testimonium Petri Gonsalvi, cocinensis urbis vicarii, quo asseritur superius transumptum ab auditore regio, Antonio Leitam, bene ac fideliter ex originali descriptum esse. Cocini, 27 Januarii 1557.

2). Item, testimonium ipsius auditoris regii. Cocini, 27 Januarii 1557.

3). Item, testimonium interpretis, Nunii d'Ares, ex commissione cardinalis Lancellotti, quo latina versio, ex lusitanico originali facta, approbatur. Romae, 24 Septembris 1612.]

## 28

## PROCESSUS BAZAINENSIS PRIMUS [1]

†

### BAÇAIM

INCRISÃO DA VYDA E ONESTIDADE DO P. MTRE. FRANCISQUO, TIRADA PER MAMDADO D'EL-REY NOSO SENHOR PER SIMÃO TRAUASOS VIGUAIRO D'ESTA ÇIDADE DE BAÇAYM

Aos dez dias do mes [de] Dezembro, anno de mil e quynhemtos e cimqoenta e seis, forão apresemtados ao Padre vigario Simão Travasos huns apontamentos [a] para por eles se pergumtarem sertas testemunhas sobre a vyda e onestidade do P. Mtre. Francisco, o qual se fazia per mandado de S. A. [2]; he o Padre vyguairo mandou a mim, ho P. Francisco de Carvalho, escriuão de seu careguo e benefysiado na sé d'esta cydade, fizese e tirase esta enquerisão, e d'ella dese os trellados que me fosem pedidos.

FRANCISCO DE CARUALHO o escreuy.

I.[us] TESTIS

Item, Duarte de Myranda, fidalguo da casa d'El-rey noso senhor, testemunha, jurado nos samtos avamgelhos, que pelo Padre vigairo lhe forão dados [b], e pergumtado pelo custume e cousas que lhe pertemçem, dise que era verdade que o P. Mtre. Francisco hera seu Padre espiritual, mas que com tudo diria a verdade do que [c] lhe pergumtasem; e do costume all não dise.

Item, perguntado pelo primeiro artiguo, dise ele, testemunha, que era verdade que elle fôra a Maluquo, omde achara o dito

---

[a] apomtamentes *ms.* [b] foy dado *ms.* [c] quue *vel* quur *ms.*

---

[1] Ex originali, quod 6 foliis continetur. Aliud exstat archetypum, 7 foliis constans. Utriusque descriptionem vide infra, ante indices generales.

[2] Joannes III, Portugalliae rex.

Mtre. Framcisco, e sempre o vira [d] préguar e minystrar sacramemtos, e comverter á nosa samta fee os emfyeis; e d'ahi se viera envernar a Amboyno, aomde o dito Mtre. Framcisco fizera o mesmo, e cazara hum seu criado d'ele, testemunha, com huma moura, que ele, Mtre. Framcisco, fizera xpãa., [e] edeficara huma igreja no mesmo Amboino, omde selebraua e fazia os ofiçios diuinos. E do artiguo all não dise.

Item, perguntado pelo segundo artiguo, dise elle, testemunha, que ouuira dizer que o dito Mtre. Framcisco morrera virgem, como naçera do vemtre de sua mãy, e ho soubera sempre feruente no seruiço de noso Senhor.

Dixit praeterea, in Manapare, quod christianorum oppidum est, dum Franciscus christianae doctrinae praecepta populo traderet, quosdam ad eum homines accesisse, qui assererent alium quempiam diuitem et pecuniosum, a daemone arreptum, crudeliter uexari; proindeque ab ipso obnixe petere aliquod sibi remedium dignaretur applicare. Tum Patrem ad eum misisse unum ex suis discipulis, qui crucem et pueros doctrinae destinatos secum deferret, superque arreptitium recitaret euangelium. Id uero ubi praestitit, confestim ab hominis corpore daemonem exiisse.

Dixit praeterea, quotquot in Punicali, non exiguo christianorum oppido, in morbum incidebant, solitos ad se dictum Franciscum uocare ut sibi recitaret euangelium; quod cum faciebat, mox sanitatem recuperabant; atque hoc modo omnes eius oppidi aegros consueuisse sanare.

Dixit praeterea, dictum Franciscum habuisse beatae Virginis rosarium, quod appensum collo gestabat, cuius tactu multis sanitas restituebatur; quae erat causa cur illud uix unquam apud se haberet, quoniam plurimi, cum in morbum incidebant, ad ipsum mittebant, qui praedictum rosarium peterent ut ipso tangerentur.

Dixit praeterea se in eodem oppido Punicali uidisse quemdam Francisci discipulum, qui Dei misericordia et eiusdem Patris meritis ad vitam reuocauit puerum quendam, et quandam etiam foeminam, iam uita functos. Haec autem omnia, quae hucusque testis praedictus deposuit, aiebat se propriis oculis uidisse.

Dixit praeterea in Bembari audiisse dictum Franciscum resuscitasse quendam mortuum. Cum uero ea de re ipsum rogasset, nullum ab eo accepisse responsum, quoniam Deo solum, non autem sibi, tribuere solebat gloriam operum diuinorum.

---

[a] Tramancorem *ms.*

Dixit praeterea se audiuisse a Simone Mello, qui malacensi arci praefuerat, cum simul cum eo in eodem nauigio nauigaret, dictum Franciscum Xauerium, cum Malacae esset et concionem haberet ad populum, e pulpito dixisse christianorum classem ex malacensi portu profectam reportasse de hostibus uictoriam, iamque redire uictricem; agerent proinde immensas Deo gratias. Quo audito, omnes, qui concioni intererant, obstupefacti sunt, quoniam non poterat naturali modo eius rei cognitionem Franciscus habere.

Dixit praeterea se habuisse intimam familiaritatem cum Joanne de Lizano, sacerdote, quo ad confessiones utebatur, et Franciscus ipse aliquoties usus fuerat: ab eo autem audiisse dictum Franciscum perpetuam virginitatem integre seruasse, quod videbatur ex eiusdem Francisci confessionibus agnouisse.

Dixit praeterea hanc fuisse Francisco communem uiuendi rationem, ut in Comorino promontorio fuerat obseruatum: a uino prorsus abstinebat et a triticeo pane cum apud neminem hospitabatur; cum uero ad alicuius lusitani domum inuitatus diuertebat, tum uero absque ullo discrimine utebatur cibo et potu sibi in mensa apposito. Cum solus erat, uel apud suos, oriza uictitabat male condita, pisce incõmmode parato, lacte amaro, aliquando orizae permixto; adhibebat nonnunquam, solemnitatis causa, placentam ex oriza, subditosque monebat ut non sibi, sed in Dei obsequium ederent, tantumque proinde caperent cibi, quantum esset opus ad diuina opera et uoluntatem exequendam. Uestitus illi erat uilis et humilis, tunica nempe perantiqua et resarcita, toga uetus, pileus detritus; lectus sine culcitra et lodicibus, cum praeduro tantum ceruicali. Quae dono accipiebat, in usus pauperum erogabat, sicut erogauit stragulam uestem, duos uini cados, et togam ex lusitana lana apprime probata, quae ipsi ad proprium usum miserat Martinus Alphonsus Sosa, Indiae praetor. Has autem eleemosinas secretissime faciebat. In sepeliendis autem mortuis, ministrando baptismi sacramento, inuisendis aegrotis, hunc seruasse modum. Post horas canonicas matutino tempore recitatas, cum aliquo puero socio, qui crucem manu gestaret, oppidum percurrebat, quaerens an ulli essent, uel uita functi

nondum sepulturae mandati, uel aegritudine pressi, uel qui baptizari uellent. Ubi hoc de genere aliquid reperiebat, manibus et oculis in coelum sublatis, contenta uoce et magna cum deuotione, concionantis instar, fidei symbolum et decalogi praecepta recitabat. Ingens ad haec solebat populi concursus fieri. Tunc ille, siue aliquem baptizaret, siue aegrum inuiseret, euangelium recitabat; si quem uero defunctum tumulo conderet, post orationes aliquas consuetum officium defunctorum illi dicebat. In hac occupatione perseuerabat diebus singulis usque ad decimam aut undecimam horam antemeridianam. Interim quidam ex eius discipulis coactos in unum locum pueros christianam doctrinam docebat. Tunc uero accedens Franciscus, quantumcumque esset defatigatus, traditae doctrinae ab iisdem pueris rationem exigebat. Dum aliquid ad prandium parabatur recitabat officium et quiescebat paululum; statim uero a prandio dissidentes inter se christianos et litibus implicatos, iudicis in morem, audiebat et ad pacem concordiamque reuocabat. Sub uesperum, et saepe etiam nocte appetente, ad ea se loca conferebat, in quibus maior erat populi concursus, et extemporales habebat conciones auditoribus utiles. Si quando uel ethnici principes uel lusitani nouos christianos uexabant, summopere nitebatur ab utrorumque iniuriis illos defendere et, quoad fieri posset, in libertatem asserere. Dominicis diebus popularem turbam congregabat in aliquod templum, uel casam ex ramis contextam: conciones ibi ad congregatos habebat eisque christianam [doctrinam] explicabat. In hoc uero concionandi et docendi munere malabarica utebatur lingua, quam ob eam causam didicerat. Inuisebat item omnes christianos a Travancore [b] usque ad Brinjanem; nec in uno et eodem loco mensem unum aut dies viginti morabatur, sed ex uno pago discurrebat ad alium, pedibus, iisque aliquando nudis, iter conficiens; nec uero domi contra morbum, si quem forte incurreret, aliud habebat, quo aegrum corpus curare posset, praeter libros. In omnibus iis christianorum locis aliquot instituit catechistas, quibus curae esset orationes populo tradere, quique profestis diebus pueros, reliquam turbam diebus dominicis, generaliter docerent.

[b] Tramancore *ms*.

Dixit tandem se existimare plurimas insuper alias uirtutes maioris momenti in Francisco fuisse, quas ipsemet testis prae sua ruditate neque agnoscere neque explicare posset.....

### 4.^us^ TESTIS

Frater Joannes d'Eiró.....

Rogatus deinde de praedictis articulis, in primis dixit se comitem fuisse dicti Francisci Xauerii, semperque in eo notasse insignem ac feruentem erga Deum et proximum charitatem eximiam, in aduersis rebus patientiam, et spiritum quendam, quo multa faciebat et dicebat, quae non aliter quam diuino instinctu nosse uidebatur.

Deinde dixit, cum in Ceylamo esset, ab eodem Francisco petiisse ut uellet sibi confessionis sacramentum ministrare; illum uero respondisse, in urbe Sancti Thomae, ad quam erat profecturus, id se facturum; quod ipse testis credidit Franciscum distulisse ut eius constantiam probaret: uenisse itaque dictum testem in urbem Sancti Thomae, et Francisci domum adiisse, ipsumque reperisse libri cuiusdam lectione occupatum, atque apud eum sedens dixisse: Pater, ego in Ceylamo a te petii ut me audires mea crimina confitentem; tu ad hanc urbem hoc negotium distulisti. Post haec totam uitae suae rationem eidem Francisco exposuisse: quis nimirum esset, quo tempore in Indiam uenisset, quid in ea ageret, iamdiu optare diuinae seruituti se addicere; fuisse tandiu ab eo uoto retardatum, quod neminem inuenisset, quem uitae ducem sequi posset; quandoquidem uero diuina bonitas ipsum sibi obtulisset, a quo discere posset quam assequendae salutis uiam tenere deberet, petere uehementer, uellet se in suo contubernio, et quamcunque in partem proficisceretur, comitem habere; id tamen dictum Franciscum multis modis recusasse. Cum uero testis ipse omnia illi bona sua offerret ut ea pauperibus distribueret, multaque alia cum dicto Francisco hac de re egisset, tunc Franciscum statuisse ut ad confessionem faciendam tridui spatium acciperet; multis denique sermonibus ultro citroque habitis, ad extremum, diuina operante gratia, ita se dicti

Francisci rationibus conuictum fuisse, ut ei deinceps in omnibus quae praeciperet obtemperantem praebuerit.

Dixit praeterea non solum se, uerum etiam multos alios, a diaboli faucibus dicti Francisci opera fuisse ereptos; inter hos uero honestum virum, nomine Joannem Barbutum, qui a quindecim annis, ut multi asserebant, ad sacrosanctum eucharistiae sacramentum non accesserat. Hunc igitur Barbutum quatuordecim aut quindecim dies cum Francisco in templo per modum confessionis egisse, tandemque illius opera et suasu fuisse motum, ut sanctissimum Christi corpus sumeret, quod magnam in omnibus admirationem excitauit.

Plurimis item aliis non exiguum animi adiumentum attulisse, dum quosdam, a nefario pellicatu auulsos, ad legitimas nuptias traduxit, alios modis aliis iuuit et ad bonam frugem reuocauit.

Dixit praeterea se audiuisse dictum Franciscum dicentem nullum se in India oppidum adiisse, cuius incolae tantae essent probitatis, quantae esse uidebat incolas vrbis Sancti Thomae. Sicut uero de Malaca praedixit fore ut grauiter a Deo punienda esset, quod euenit, ita de urbe Sancti Thomae fuisse uaticinatum magnum eam incrementum habituram, quod iam habere incoeperat. Ex quo primo dictus testis colligebat dictum Franciscum habuisse spiritum prophetiae.

Dixit praeterea, dum haec inter ipsum et Franciscum agerentur, diabolum, inuidia commotum, iterum ei insidias tetendisse, et, a Francisci obedientia abductum, ad turpissimum scelus pertraxisse; castitatem igitur grauiter uiolasse, et mahumetanum mancipium emisse, cuius opera, quae erant ad nauigandum necessaria, iam parauerat, et deferri ad nauem iusserat, ut ipse statim, Francisco inscio, nauim conscenderet. Tum Patrem, diuino instinctu afflatum, uocasse ad se puerum, nomine Antonium, eumque iussisse summa cum celeritate dictum testem Joannem, iam iam e portu soluturum, accire: qui puer ad ipsummet Joannem accessit, dixitque: Pater Franciscus uocat te. Ad haec ipsum uehementer perturbatum respondisse: fili, non sum ego, quem Franciscus uocari iubet. Cui contra puer: non est tibi, inquit, Joannes d'Eyró, nomen? Te igitur Xauerius uocat. Tum

ego, ait Joannes, uehementer miratus, constiti dubius quid agerem; cumque uariis hinc inde agitarer cogitationibus, decreui tandem ad Franciscum uocantem ire. Cum uero ostium domus, in qua erat dictus Franciscus, attigissem, audiui eundem Franciscum bis aut ter his me uerbis increpantem: peccasti, peccasti. Quibus ego auditis, submisso capite, respondi: uerum est, peccaui. Dixit Franciscus: accede ad confessionem, accede ad confessionem. His uerbis adeo fui commotus, ut, domum profectus, eo ipso die nauigium uendiderim, et quaecunque habebam bona pauperibus distribuerim, et ipsi Francisco me comitem adiunxerim. Inde Malacam cum eo ueni, ubi ille Joannis cuiusdam Fernandii filium, omnino a medicis desperatum ac triduo iam loquendi et comedendi usu priuatum, potiusque mortuum quam uiuum, sanitati restituit.

Venit enim ad aegroti domum quaedam foemina ex indigenis, a Deo ueluti impulsa, et parentibus dixit: Quid agitis? Mittite aliquem, qui sanctum illum Patrem huc perducat, statimque, eo pr[a]esente, filius uester sanitatem recuperabit. His dictis, protinus missus est qui Franciscum quaereret et ad aegrum duceret; ad quem cum uenit, deprecari pro salute iuuenis coepit, et Christi crucifixi imaginem petiit, a qua aeger oculos auertebat, in ipsam expuens, magnumque attollens clamorem et alia huiusmodi efficiens, quibus in maximam rapiebantur admirationem quotquot aderant; solum inter omnes Franciscus constanti ac sereno uultu iussit illos bono animo esse; rem totam, Deo iuuante, prospere cessuram. Cum deinde super infirmum Christi passionem recitaret, quoties nomen Jesu pronunciabat, ita aeger commouebatur inque uarias partes agitabatur, ut teneri a circumstantibus non posset, cum insuper in crucem spueret et alia uisu foeda efficeret; passione uero finita, infirmus mortuo similis relictus est. Tum Pater iussit omnes abire, donec aeger quiesceret, et certum pulmentum praeparari, ut ad mediam noctem, quo tempore somno soluendus erat, edere posset; indixit praeterea nouem dierum precationem in templo beatae Virginis, addiditque in eo se quoque templo die sequente sacrum facturum, atque ita aegrum sanitatem recuperaturum. Haec omnia, sicut Franciscus praedixe-

rat, contigere. Cum enim die sequenti missae introitum diceret, aeger cum uoce sanitatem integre recuperauit.

Dixit praeterea, dicto Francisco, in insulis Malucis existenti et sacrum facienti, reuelatam fuisse mortem Joannis Arausii, qui in Amboino, in loco Tibiquisanis, a dictis insulis triginta leucarum interuallo distante, eo temporis puncto diem obierat. Et die quodam, cum missam diceret, et offertorii tempore ad populum se uolueret, dixisse palam: Joannes Arausius, qui in Amboino erat, mortuus est; heri sacrum pro anima eius feci; hoc etiam, quod modo facio, pro eiusdem anima offero. Obsecro uos ut Deo ipsum commendetis. Quo audito, qui aderant ualde mirati sunt; tandiuque fuere de re dubii, donec post decem aut duodecim dies Raphaël Caruallius, ex Amboino profectus, illuc appulit et Arausii mortem suo testimonio confirmauit; quod ipse testis ait se copiose ad Patrem scripsisse. Cum uero populus litteras uidisset, et notasset horam in qua Arausius decessit, tunc multo magis fuisse miratum, et Francisci dictis fidem habuisse. Hoc autem tempore Molucis insulis praefectum esse Jordanum de Freitas.

Dixit praeterea se cum dicto Xauerio ex dictis insulis Malacam profectum fuisse, ibique dictum Xauerium ipsi praedixisse ut sancti Francisci institutum esset amplexurus; quod re ipsa amplexus est.

Dixit praeterea se nocte quadam, dormientem ne an uigilantem dubium, uidisse tamen Dei Genitricem; visam autem fuisse solio insidentem, et illi imagini similem, quae erat in ara maxima cuiusdam templi, quod aditum habebat austro aduersum: uisum etiam prope Virginem puerum, qui, apprehensa sibi manu, ipsummet ad Deiparam deducebat; cum tamen beata Virgo puerum accessu prohiberet, deinde eandem Virginem, ubi quaedam ipsi Joanni verba dixit, e solio surrexisse, et ex ara ad templi medium secessisse. His uero peractis, cum tempus confessionis aduenisset, ad Francisci pedes accessisse, et ab illo rogatum quid ei in templo contigisset, nullum dedisse responsum; rogatum postea ab eodem iterum et saepius, semper rem abscondisse. Cum autem Franciscus uidisset Joannem ipsum ex composito uisa celare, tunc coepisse ordinatim omnia, ut ipsi uisa erant, enarrare. Vnde idem

Joannes, in magnam raptus admirationem, cognouit tandem Deum in Francisco habitare.

Denique dixit dictum Franciscum die quodam dominico, cum ad populum concionaretur, dixisse; laetamini, fratres, et exultate animis, quoniam nostri cum hostibus decertarunt; iam nunc ingenti parta uictoria reuertuntur; idque ita omnino, ut Pater praedixit, compertum fuisse.....

### 5.us TESTIS

Antonius Sala Pererius, aulae regiae patricius.....

Rogatus deinde de uita et moribus Francisci Xaverii, dixit et fama et re ipsa sibi exploratum esse dictum Xauerium sancte et pie uixisse; audisseque aliquando a P. Mtro. Jacobo iam defuncto, cum de Francisci moribus cum illo loqueretur, dictum Franciscum adeo sanctum esse, ut etiam miracula ederet; quoniam legerat in quibusdam scriptis, quae fuerant Malaca missa, dictum Franciscum ad uitam reuocasse puellam, filiam cuiusdam mulieris, quae in eadem urbe fuerat ad fidem conuersa. Dicta uero scripta eo ipso anno ad serenissimam Lusitaniae reginam [2] fuisse missa, dignaque esse quibus fides haberetur.

Dixit praeterea se audisse, cum nauis, qua Francisci cadauer uehebatur, uado haesisset, uectores Francisci nomen in ipso periculo inuocasse, et statim nauim periculum euasisse, saluamque et incolumem ad portum appulisse; atque hoc ab iis ipsis percepisse, qui eadem naui uehebantur.

Dixit praeterea, uno circiter ante anno habuisse se domi ancillam partui uicinam foetumque exanimatum et transuersum in utero habentem, tantoque in periculo constitutam adeoque spasmo correptam, ut desperata plane haberetur; tunc iuisse se ad collegium Sancti Pauli, petiisseque a quodam Societatis religioso reliquiarium, in quo erant aliqui capilli Francisci Xauerii, illudque spasticae et morienti ancillae imposuisse; et statim non sine miraculo eiectum fuisse exanimatum foetum, et ancillam e periculo uitae emersisse.

---

[2] Catharinam Austriacam, Joannis III conjugem.

Dixit praeterea fuisse postea idem reliquiarium, in quo erant dicti Xauerii capilli, iterum quaesitum, et delatum ad quandam foeminam pauperem, quam domi habebat, quaeque ob ingentem tumorem, toto corpore diffusum, atque spasmum quem patiebatur, non solum desperata, sed etiam deplorata erat; ubi tamen dicto reliquiario tacta est, confestim uiuum foetum ex utero emisisse et sanitatem recuperasse. Atque huius miraculi affirmauit se oculatum testem fuisse. Addidit quoque, in hisce pariendi difficultatibus, dicti Francisci nomen et auxilium palam et aperte inuocari solitum.

Dixit denique se dicti Francisci corpus longo post obitum tempore uidisse integrum et nulla deminutum sui parte, haberique dictum Franciscum apud uniuersum populum pro sancto, talemque se illum esse credere.....

6.us TESTIS

Martinus Alphonsus Mellus, aulae regiae patricius.....

Rogatus deinde de uita et moribus dicti Francisci, respondit se, et per se ipsum expertum fuisse, et ab aliis audisse, praedictum Franciscum vitae sanctimonia et morum honestate excelluisse, semperque insignia praebuisse tolerantiae et aliarum uirtutum exempla.

Dixit praeterea dictum Franciscum, cum Malacae esset, in fine concionis, quam ad populum habebat, dixisse: ingentes Deo gratias agamus pro uictoria, quam nostri, ipso iuuante, de hostibus dachenis reportarunt; quod non poterat ordinario modo cognosci, quia locus, in quo reportata est uictoria, longe Malaca distabat, nec erat nauigandi opportunitas, nec nisi post decem aut duodecim dies peruenire uictoriae nuntius Malacam poterat, ut re ipsa peruenit. Atque haec omnia praedictus testis testificatus est suis se oculis uidisse et propriis auribus audiisse.....

7.us TESTIS

Rotericus Diazius Pereria, aulae regiae patricius.....

Rogatus deinde de uita et moribus Francisci Xauerii, dixit nunquam se in dicto Xauerio quidquam notasse aut alio modo

nouisse, unde iure posset hominis sancti nomen et existimationem apud illum amittere.

Dixit praeterea semper se in dicto Xauerio fuisse expertum summam morum honestatem, animi quietem, honorum displicentiam, in aduersis rebus tolerantiam, et singularia uitae exempla.

Dixit praeterea audisse se dictum Xauerium in fine cuiusdam concionis, quam apud populum habuerat, dixisse: fratres, ingentes Deo agamus gratias pro uictoria, quam nostris contra hostes dachenos dedit; quod eo tempore, et propter nauigandi importunitatem, et propter loci distantiam, sciri humano more non poterat; aliquot uero post dies aduenisse nuntium, qui, quae de praedicta uictoria dictus Franciscus fuerat uaticinatus, confirmauit.

Dixit praeterea dictum Franciscum, [dum] Malacae esset, uocatum fuisse ad excipiendam confessionem cuiusdam fratris ipsiusmet Roterici, qui post longum aegritudinis tempus eo deuenerat, ut, ueluti mortuus, esset a matre deploratus: finita uero confessione, dictum Franciscum aegroti matrem his uerbis solatum esse: ne timeas; ne de animo angaris; sanitatem recuperabit filius tuus. Ac tunc quidem, ubi dictus Franciscus discessit, illico dictum aegrotum surrexisse e lecto, et cibum ad manducandum petiisse, cum integro triduo nihil prorsus degustasset; deinceps uero paulatim conualuisse, et tandem integram sanitatem recuperasse.

Dixit praeterea se cum dicto Francisco in eadem naui in Bandam nauigasse, et uidisse multos gentiles eiusdem Francisci opera et praedicatione ad fidem fuisse conuersos, quibus ille ipsorum lingua eandem fidem pr[a]edicabat. Cum uero dictus Franciscus uellet ad Amboinum appellere, id autem nauclerus coram omnibus fieri posse negaret, putans nauigium uentorum ui ultra Amboinum esse progressum, ipsum Franciscum nauclero dixisse nondum nauem Amboinum excurrisse, sed sequenti die perueniendum ad ipsius Amboini fauces; quod factum est, sedato uenti impetu, qui ad id usque tempus uehemens fuit; itaque tranquillo mari dictum Franciscum ad Amboinum appulisse, et ex scensione facta ibi mansisse, multosque incolas ad christianam religionem aggregasse.

Dixit denique quaecunque dictus Franciscus faciebat, uisa sibi esse a diuina potius gratia, quam ab humana industria aut ingenio, profecta.....

[*Sequuntur haec tria, quae sic indicantur in margine:*

1). «Attestatio vicarii goani, quod istud transumptum est extractum ex suis veris originalibus, cum interpositione sui decreti et auctoritate.»

2). «Attestatio, quod dictus vicarius sit talis vicarius.»

3). «Legalitas notariorum.»]

## 31

## PROCESSUS BAZAINENSIS ALTER

### VERSIO LATINA [1]

[*Incipit duobus documentis, quae sic indicantur in margine:*

1). «Prooemium regis, per quod attestatur hos testes de suo mandato fuisse examinatos per suum auditorem in Indiis.»

2). «Litterae regis ad proregem Indiarum, cui rex mandat ut sumat informationem supra vita P. Francisci Xaverii.»]

---

Et statim, eadem die suprascripta [sexta Januarii 1557], per auditorem generalem Indiae mecum, notario, sub iuramento testes sequentes interrogati fuerunt.

Lupus de Aguiar, notarius, subscripsi.

#### 8.us TESTIS

Odoardus a Soueral Fonseca, regius oeconomus in hac ciuitate Bazaini.....

Cum igitur ipse interrogaretur quae sciret de iis, quae continebantur in litteris suae celsitudinis, dixit ipse testis se uenisse aliquando cum Ferdinando Sossa a Tauora ex Maluco, et appulsos fuisse ad insulas Amboini, ubi repererunt magistrum Franciscum; cumque tum lusitani, tum etiam castellani, qui

---

[1] Ex codice romano, infra, ante indices generales, descripto.

eadem classe uehebantur, assueti omnes et procliues essent ad uitia propria illius regionis, praedictum magistrum Franciscum ipso suo uitae genere et exemplo, authoritate et concionibus, correxisse omnes, ita ut altera iam esse earum castra uiderentur, nimirum diuersa admodum a priori forma, et ex uitiis in uirtutes transmutata; ac certe, cum minimum non ausos tunc fuisse homines in vitia ruere, ob reuerentiam et obseruantiam praedicti magistri Francisci.

Dixit item se animaduertisse tam innocue et sancte illum uiuere, ut nemo unquam hominum uirtute excellentium, quos ipse uidisset aut de quibus audiuisset, siue in Portugallia, siue in Castella, siue etiam in his Indiae partibus, par esset dicto magistro Francisco, sed longe ab eo distaret.

Praeterea, nihil in illo fuisse notatum, quod uenialis culpa esse uideretur, nec de ipso quemquam ex militibus uel leuiter murmurantem audiisse, sed omnibus summopere Patrem sua consuetudine placuisse, tam in rebus spiritualibus, quam etiam in temporalibus. Neque etiam a se, teste, uisa fuisse indicia ulla, quibus Pater affectare uideretur uirtutis opinionem seu existimationem, idque propter egregiam uiri humilitatem.

Ad haec fuisse adeo feruentem diuino amore, ut cum aliquando apud Amboinum in eius comitatu esset lusitanus quidam mercator [2], nimis auidus qu[a]estuum mercimoniae, eumque Pater noctu persaepe reprehendisset de immoderata illa cupiditate, nec tamen ille ab ingenio et ab incepto destitisset, sed inanes potius reddidisset omnes Patris preces, ipse testis, et simul alii nonnulli, Patrem diligenter obseruauerint, deprehenderintque ab eius oculis prorumpentes lachrymas, quod mercator ille finem suae auaritiae ponere noluisset.....

### 9.us testis

Ego ipse, Lupus de Aguiar, scriba..... promitto me ueritatem prolaturum; declaroque circa id, quod in litteris suae celsitudinis [3]

---

[2] Joannes Arausius.

[3] Joannis III, regis Portugalliae.

continetur [a], uerum esse quod, cum P. Mter. Franciscus in vrbe Goa degeret in collegio diui Pauli, uitam ualde sanctam ducebat; et adeo erat uirtutis amans, ut ad quamcunque rem, in qua eius opera necessaria foret, siue ad confessiones, siue ad quaeuis alia pietatis opera, accersiretur, pr[a]esto esse cum magno charitatis affectu. Tantaque uulgo habebatur fides uitae et uirtutibus ipsius, ut, quoties per ciuitatem uulgaretur concionari P. Mtrum. Franciscum, conarentur prorsus omnes, qui Jesu Christi amici habebantur, illum audire. Cumque ita sancte uiueret, et opinione publica uirgo esset talisque ab omni populo haberetur, reliquit tamen collegium diui Pauli, in quo rectorem agebat, nauimque conscendit in vrbem Malacam, ut inde ad sinarum regionem contenderet, facturus spiritualem fructum. Ac in eadem ipsa naui, qua uectus ille est, ego ipse socius extiti, nimirum in regio galeone.

Nobis autem praeternauigantibus fretum illud, quod inter insulas Nuncubares prope insulam Samatram est, foeda tespestas oborta fuit; et quoniam grauissima erat, nec galeonis machina, nisi cum magno labore, tenere cursum posset, dux illius, Jacobus Sossa, uoluit in mare sarcinas oneraque proiicere. Atque hoc ipso tempore vidi ego dictum magistrum Franciscum, quasi adiurantem in nomine Domini nostri ne dux quidquam iactari in mare permitteret, nec uectores torquerentur praesenti periculo, eo quod eo ipso die ante solis occasum terram essent conspecturi, et procella sedanda. Re autem uera, cum nihil e galeone fuisset eiectum, eo plane tempore, quo dictus magister Franciscus dixerat uisuros fore terram, eam uiderunt, et eadem etiam die, prius quam sol occideret, sedata tempestas est, et galeon euasit incolumis, cum alioqui duo minora nauigia, quae fustas nominant, et galeonem comitabantur, fluctibus periissent. Quod quidem diuino afflatu siue instinctu dictum omnes rati sunt, uerbisque magistri Francisci mirum solatium experiebantur.

Cum primum uero Malacam tenuimus, quoniam grauis aegritudo in terra saeuiebat, multique absumebantur malo, inuisebat

---

[a] continentur *ms.*

Pater aegros, quaeritabat illis necessaria ad salutem remedia, nec cessabat unquam die ac nocte a confessionibus et uisitationibus; solusque ipse, cum alii omnes, nullo excepto, in morbum incidissent, intactus morbi ui mansit; et uoce publica dicebat uulgus Deum propter illius merita salutem corporalem ipsi concessisse, ut is spiritualem dare posset animabus eorum hominum, quorum confessiones audiebat et qui uita decedebant. Quapropter, eius orationibus confissi, quicunque apud illum sua crimina fatebantur beneficiumque absolutionis ab eodem obtinebant, sibi persuadebant impetrare sese remissionem suorum peccatorum a Deo. Nam dictus magister Franciscus uiuebat pie et sancte, uersabaturque cum hominibus, et colloquia cum iisdem miscebat syncere, et absque ulla fictione, simulatione aut hypochresis specie, reprehendendo illos et instituendo uerbis sanctissimis, multosque a suis erroribus abducebat.

Et quidem Malacae uidi ego concubinarios, precibus dicti magistri Francisci a peccatorum coeno auocatos, propter eximiam obedientiam, quam erga illum habebant, et pudorem, quo suffundebantur, propter uiri authoritatem et sanctam munditiam.

In eadem etiam ciuitate Malaca publice narrantem populum audiui, quod dictus magister Franciscus, cum pro suggesto esset et concionem iam absoluisset, dixerit ut omnes semel recitarent dominicam orationem et angelicam pro uictoria, quam Dominus noster dederat christianis contra mahumetanos dachenos, ad quorum pr[a]elium profecti fuerant. Item quod dixerit: tali hora christiani uictoriam reportarunt, cum procul distasset ab urbe Malaca praelii locus, nec tam breui potuerit uenisse nuntius; unde omnes crediderunt fuisse diuinam inspirationen seu praedictionem a Domino nostro. Quocirca in posterum uir sanctus habitus est, sicut et eius vita pia et sancta reputata.

Scio quoque eum in his partibus Malacae multos ad Christi fidem attulisse, similiterque ad Comorini promontorium plures alios in uariis locis christianos fecisse; quin etiam deinceps copiosum fructum successisse.

Praeterea a multis magnaeque authoritatis et ueritatis hominibus audiui, contigisse in locis apud illud promontorium, ut

mulier quaedam mortua, item puella quoque demortua, ad uitam redierint, suscitatae orationibus dicti magistri Francisci.

Item scio illum Malaca ad Sinas profectum fuisse; sed quia ex eadem vrbe Malaca discessi et Goam ueni, sciui postea ex aliis dictum Patrem apud Sinas obiisse diem, fuisseque ipsius corpus terrae mandatum, ac sub ea per aliquot menses delituisse, donec naues inde reuersae sunt. Quando autem itum est ad locum sepulturae ut corpus exhumaretur ossaque deportarentur, inuentum est corpus integrum absque ulla corruptione; et ita illud in nauim lusitani intulerunt, ac portarunt cum intestinis, iecore et reliquis omnibus integris, Malacam. Vestitus autem, quo uiuens Pater utebatur, et cum quo fuerat sepultus, repertus etiam est integer et illaesus, neque a terra consumptus aut detritus. Per litteras autem Malacae datas certo noui sepultum iterum ibi fuisse in templo Dominae nostrae, quod a Monte nominatur, post aliquot menses. Sed cum tempus appeteret nauigandi in Indiam, exhumatum rursus fuit eius corpus, et inuentum adhuc, ut ante, integrum, absque ulla putredine aut foetore, et cum uestitu etiam illaeso.

Scio etiam uenisse idem corpus uectum naui Joannis a Mendoça, et in ipso nauigationis cursu incurrisse nauim uada, ut a duce nauis accepi, implorasseque omnes uehementer opem magistri Francisci, et hoc modo diuinam illis misericordiam affulsisse, nauimque ex uadis emersisse et enatare coepisse; uenisse tandem corpus Goam integrum et incorruptum, nec graue olens, sed potius cum uestitu ita integro et intacto, ut fuerat in ipso primo sepulturae die apud Sinas. Fuisse denique delatum cum solemni pompa in collegium diui Pauli, ubi hactenus perstat, eo modo quo fuit adductum. Eius autem corporis apud multos deuotio est, omnesque consentiunt Patrem fuisse sanctum et beatum, nempe iuxta eius uitam, quam sanctissime traduxit. Ego autem illum eodem loco habeo; nec aliud dico.....

---

[*Sequntur duo, quae sic indicantur in margine:*

1). «Attestatio quod transumptum est fideliter extractum.»

2). «Subscriptio interpretis.»]

# 32

# PROCESSUS MALACENSIS [1].

## MALACA

† Jhus.

Dom Johão Pereira, capitão d'esta cidade de Mallaca por El-rey nosso senhor etc. Faço saber a quamtos esta minha carta testemunhauel e certidão virem, que a mym me foy apresemtada huma prouição do senhor governador Francisco Barreto, com o theor de hum capitolo de huma carta d'El-rey noso senhor [2], para se por ela tirar ymquirição sobre a uida do P. Mtre. Francisco, da Companhia de Jhus., que estaa em gloria, a qual he os autos que se por uertude d'ella fizerão são os seguintes de verbo ad uerbum.

AUTO. Anno do nacimento de nosso senhor Jhu. Xpo. de mil e quinhemtos e cimcoemta e seis annos, aos XXIIII dias do mes de Nouembro do dito anno, n'esta çidade de Malaqua, demtro na fortaleza d'ella, estamdo presemte o senhor dom Johão Pereira, capitão da dita fortaleza, e assi o doctor Diogo d'Amdrade, ouuidor com alçada por El-rey nosso senhor na dita cidade, pelo Padre Balthazar Diaz, da Companhia de Jhus., lhe foy apresemtada huma prouisão do señor governador Francisquo Barreto, com o trelado de hum capitolo de huma carta d'El-rey nosso senhor, pera por ella se preguntarem testemunhas n'esta cidade, e se tirar imquirição sobre a vida, e costumes, e trabalhos, e edificação do P. Mtre. Francisco, da Companhia de Jhus., que estaa em gloria, a qual prouisão he a que se no diamte segue, per uertude da qual se pregumtárão as testemunhas seguimtes.

E eu DIOGO FERNANDEZ, escriuão, que ho escreuy.

PROUISÃO. O governador da Ymdia faço saber a uós, dom João Pereira, capitão da cidade de Malaqua, ouvidor e justiças

[1] Ex originali, quod 10 foliis constat. Aliud habetur originale, quod 18 folia numerat. Utriusque descriptionem vide infra, ante indices generales.

[2] Joannes III rex Portugalliae.

d'ella, e ao veador da fazenda e oficiais a quem pertemçer, que El-rey nosso senhor mandou este anno huma carta sobre as cousas que quer que se façam, pera que lhe vaa huma emformação ao reino da uida, e costumes, e obras, em que o P. Mtre. Francisquo, da Companhia de Jesus, que Deos teraa em sua gloria, gastou n'estas partes seu tempo e se exercitou por seruiço de Deos, da qual o terlado he o seguimte:

Viso-rrei amigo [a].

Pelo qual uos mando que cumprais e guardeis em todo muy ymteiramente o que S. A. per ella manda, e que em todallas partes per omde o dito Padre amdou, e pesoas que d'elle souberem, façais recolher em escrito as emformaçõis que achardes, para se emuiarem ao reyno pela maneira sobredita.

Feita em Goa a X dias de Setembro de mil e quinhemtos y cymcoemta e seis annos.

RODRIGO ANES LUCAS o escreuy.

FRANCISCO BARRETO.

Sobre a diligentia que S. A. manda fazer, e V. Sria. manda comprir, em Malaqua, sobre as ymquyriçõis que se am-de tirar da uida, costumes e obras do P. Mtre. Francisco.

Aos vimte e quatro dias do mes de Nouembro do anno de myl e quinhemtos e cymcoemta e seis annos, n'esta cidade e fortaleza de Malaqua, demtro na fortaleza d'ella, estamdo presemte o senhor dom Yoão Pereira, capitão da dita fortaleza, e o doutor Diogo d'Amdrade, ouuidor com alçada por El-rey nosso senhor na dita cidade, forão pregumtadas as testemunhas abaixo nomeadas a requerimento do P. Baltezar Diaz, da Companhia de Jesus, aas quais o dito ouuidor deu juramento dos samtos euamjelhos, em que puserão a mão; e seus ditos são os seguimtes.

E eu, DIOGO FERNANDEZ, escrirão, que escrevy.

---

[a] *Vide supra*, «Processum Goanum», pag. 174, *nam est eadem epistola*.

## TESTEMUNHAS

### 1.us TESTIS

Duarte da Gama, fidalgo da casa d'El-rey nosso senhor, testemunha, jurado aos samctos euamjelhos, em que pos a mão, e pregumtado pelas cousas que tocauão á vida e costumes do P. Mtre. Francisco, comforme a huma prouisão d'El-rey nosso senhor, e seus costumes, dise e decrarou o seguimte.

Pregumtado se sabia que o dito P. Mtre. Framcisquo seguia a ley apostolica e euangelica, dise que elle sabia uiuer o dito P. Mtre. Francisco muito virtuosamente e como homem de muito boa vida, uiuendo pobremente e sostentando-se de esmollas, e que isto uyo per muitas uezes, como no tempo que estaua no cabo do Comorym, omde tinha feitos muitos cristãos, e depois en Coulão, omde elle, testemunha, esteue por capitão, e depois d'isso em Goa e em outras partes. E que sabe que em todas estas partes omde amdou gastaua a mayor parte do tempo em comuerter ymfieis á nossa sancta fee; e que em sua comuersasão e tratamento e onestidade era muy açeito a todos os que o conuersauão; e que trabalhaua muito, por omde amdaua, com suas prégaçõis e doutrina, de euitar os pecados do pouo.

Pregumtado elle, testemunha, se sabia que o dito P. Mtre. Francisco profetizara algumas cousas futuras que estauão por vir, e se ao dyamte soçederam da maneira que as elle dizia; dise que ouuyra dizer que, no tempo que Simão de Mello estaua por capitão n'esta fortaleza, mandara sete ou oito fustas em busca dos dachens; e que o propio dia, que os portugueses que n'ellas vão pelejárão com os dachens, disera n'esta cidade o P. Mtre. Francisco na ygreja d'ela, estamdo prégando, que desem graças a Deos, porque os nosos tinhão auydo a vitorya contra os inimigos; e que o recomtro e peleja acomtecera oytemta legoas d'esta cidade.

E que assy ouuio dizer que, vimdo de Maluquo o dito Padre, estamdo em Amboino disera aos de sua companhia que disesem hum Pater noster e huma Avemaria por hum Irmão seu da Companhia, que hera falecido em Maluquo depois d'elle pasado: e que depois ouuio dizer que fôra assy.

Pergumtado elle, testemunha, se sabia que o dito Padre punha sua vida em perigo de morte pello zelo das almas, como em fazer viagens per maar fóra de tempo e monção, e outras cousas semelhantes; dise que elle vira o dito P. Mtre. Francisco partir, huma bespora de são Johão, d'esta cidade, fóra de monção, pera Japão em hum jumquo de chins, o qual chim, por já ser tarde, se quisera meter em Camtão, porto da China; e por ter nouas que estauão ladrõis no porto, corrérão adiamte a hum porto do Chimcheo; e temdo ahy as mesmas nouas dos ladrõis, tomárão a rota de Japão, omde forão ter comtra toda a rezão e tempo. E que ouuio dizer ao propio Mtre. Francisco, que forão lá ter comtra a vomtade do propio chim.

Declarou ele, testemunha, que, vimdo de Japão o anno do cerquo d'esta cidade na sua propia nao, e vimdo com elle o dito P. Mtre. Francisco, lhe deu hum temporal de fromte do Chimcheo, com o qual perdérão o batel com dous homens, e com o temporal lhe não podião valler; e perdendo-o já de vista da gauea, o dito Mtre. Francisco diseraa que prometia de dizer huma missa pollo batel e duas pollos dous homens que n'elle vinhão; e estamdo rezamdo ao bordo com as mãos alleuantadas, disse aa gemte e a elle, testemunha, que se não agastasem, que elle comfiaua em Deos que o batel viria a saluamento a elles; e que logo no mesmo ynstante simtirão vir-se chegando o batel até chegar ao bordo da nao, semdo o temporal muyto grande; e estamdo pera lhe dar hum cabo, disera o dito Padre que não era necesario, que o batel chegaria muito mansamente, como de feito chegou até os dous homens se meterem na nao e os outros de demtro amarrarem ho batel, de que todos ficárão muito espantados.

E que sabia que em Japão fez muito numero de gemte xpãos., e que foy o primeiro que laa foy.

E do mais que lhe foy pregumtado dise nada.

E asinou aqui com o dito ouuidor.

E heu, DIOGO FERNAMDEZ, escriuão, que o escrevy.

DUARTE DA GAMA.—Dom JOÃO PIREIRA.—DIOGO D'AMDRADE, doutor.

2.us TESTIS

Amtonio Pireira, fidalgo da casa d'El-rey nosso senhor, testemunha, jurado aos sanctos euangelhos, em que poos a mão, e pregumtado pelas cousas que tocauão á vida e costumes do P. Mtre. Francisco, comforme a huma provisam d'El-rey nosso senhor, e declarou o seguymte.

Pregumtado se sabia como viuia o P. Mtre. Francisco, e se fazia vida conforme á ley euamgelica e apostolica, e se viuia em pobreza, mantemdo-se de esmollas e dormindo em lugares de pobres; disse que elle, testemunha, conheçeo o dito Padre do tempo que veo com Martym Afonso de Sousa atee que faleçeo, e o vio sempre viuer muito uirtuosa e sanctamente, e fazer vida de homem muito virtuoso e amigo de Deos, mantendo-se de esmollas, dormindo em lugares de pobres e em espritais, e prégamdo nos tromcos aos presos, e damdo de esmollas o que lhe sobeiaua de seu mantimento. E que em quamto amdou n'estas partes trabalhou muyto por trazer os ymfieis á nosa sancta fee, começamdo em Tutocorym, e depois em Maluquo, em Amboyno, o Moro, em Japão, nas quais partes fez sempre muito fructo; e que em sua comuersasão, tratamento, e castidade e onestidade, era muyto acepto a todas as pesoas que o conhecião e comuersauão. E que elle, testemunha, o vyo per algumas vezes ser acatado, uenerado dos propios mouros e ynfieis, como que elles mesmos o tinhão por homem sancto. E que em huma nao d'El-rey nosso senhor, em que elle, testemunha, viera por capitão da uiagem de Choromandel, leuara na dita nao muitos mouros, os quais comtinuadamente folgauam de estar a praticar com o dito P. Mtre. Francisco. E que em todas as partes omde amdaua trabalhaua muito por euitar os pecados do pouo, assi com doutrina, como com comversação piadosa, bramda e de caridade. E que em todas estas partes era avido e tido por virgem, e fóra de todolos estimulos e corrupção da carne.

Pregumtado se o dito Mtre. Francisco tinha algum ispirito de profecia e de prenosticar cousas futuras, que socedesem ao depois como as elle tinha ditas; disse que, vindo o dito Mtre. Fran-

cisco de Japão na nao de Duarte da Gama, e chegamdo ao porto de Samchoão, na China, achara ahy Diogo Pireira, que auya muitos dias que estaua prestes pera partir pera esta cidade, o que não podera fazer por ter o vemto comtrairo, semdo o tempo da monção, o qual vemto contrairo era o que seruya ao dito Duarte da Gama pera poder chegar de Japão á China; o qual tanto que chegou se pasou Mtre. Francisco há nao do dito Diogo Pireira, e logo no propio instante elle vio o vemto da monção á popa, e se partio quebrando o vemto que d'amtes vemtaua; e que, por ser grande parte da monção da China pera Malaca gastada, vinha o dito Diogo Pireira muito reçeoso de não achar já nenhuma nao da Imdia, pello qual lhe disera o dito Mtre. Francisco que se não agastase, porque aymda acharia em Malaqua Amtonio Pireira, testemunha, de verga d'alto; e que por amor d'elle esperaria tres dias; e que asy foy; que, estamdo elle, testemunha, sobre huma amarra e com as uergas em cima, chegara huma manchua com huma carta do mesmo Padre para elle, testemunha, na qual lhe dizia, que bem sabia que estaua aymda n'esta cydade; que esperase por elle pera o leuar pera a Ymdia; e que n'isto vira logo vir a nao, em que elle vinha, pello qual esperara, e o leuara a Goa com quatorze ou quimze homens de Japão. E dise mais: que omde quer que o dito Mtre. Francisco chegaua, em muito poucos dyas tomaua e falaua a limgoa da terra, como foy no Malauar, e em Maluquo, e em Japão; porque as sabe elle, testemunha, falar, e as praticou com ele; e tambem a Malaya.

Pregumtado se o dito Padre se punha em perigo de morte pello zelo e charidade das almas, assy como em perigos de mar comtra monçõis ordinarias, com comfiança que em Deos tiuese, ou em outras cousas semelhantes; disse que ouuio dizer a muitas pesoas que esteuerão presemtes, que hum dia no porto de Samchoão, na China, daua trezemtos pardaos, que lhe deram d'esmolla, a hum siame pera que tão sómente o posese huma noite soo no caes de Camtão, na China, sem mais nada, afirmando-lhe muitas pesoas que não pretendesse iso, porque o avião de matar; e que não hya a outra cousa á China, sómente a denunciar e prégar a fee de Xpo.; e que n'este tempo faleçeo pobremente.

Pregumtado de como achárão o dito Padre ao tempo que o desemterrárão na China e depois n'esta cidade, e dos perigos que a nao em que d'aquy foy pera Goa correra, disse que mais não sabia; sómente ouuio dizer que a dita nao estiuera emuazada na pomta de huma restinga, e se saluara sobrenaturalmente; e que depois d'este perigo e trabalho correra outro amtre as ilhas de Pullo Pinão [3] e a costa de Quedaa [4]; e que depois em Goa vyo o corpo do dito Mtre. Francisco ymteiro, sem nenhuma corrupção, temdo as tripas em sy, e avemdo anno e meyo que hera morto.

E do mais, que lhe foy pregumtado, disse nada.

E asinou aquy com o senhor capitão e com o dito ouuidor.

E eu, DIOGO FERNAMDEZ, escriuão, que escreuy.

AMTONIO PIREIRA.—Dom JOÃO PIREIRA.—DIOGO DE AMDRADE doutor.

E depois d'isto, aos dezoito dias do mes de Mayo do anno de mil e quynhentos e cymcoemta e sete annos, n'esta cidade de Mallaca, demtro na fortaleza d'ella, estamdo de presemte o senhor capitão dom João Pereira e o doutor Diogo d'Amdrade, ouvidor d'esta cidade, comigo escriuão, pregumtámos as testemunhas, que forão apresemtadas pello P. Baltezar Diaz, sobre os apomtamentos e vida do P. Mtre. Francisco, que estaa em gloria. E seus ditos sam os seguimtes.

E eu, DIOGO FERNANDEZ, escriuão, o escreuy.

### 3.[us] TESTIS

Amtonio Memdez, casado e morador n'esta cydade de Mallaqua, testemunha, jurado aos sanctos euangelhos em que poos a mão; e pregumtado pello costume, disse [não] s[ab]er nada.

Pregumtado ele, testemunha, pello primeiro apomtamento, disse que sabia que o P. Mtre. Francisco seguia a uida euamgel-

---

[3] Lege «Pulo Pinang».

[4] «*Queda*, Queda, urbs Indiae extra Gangem, in regno Siami, cum portu et emporio in ora sinus Gangetici, ex adverso Sumatrae insulae, a qua distat 150 mill. pass. in ortum... estque caput regni cognominis.» FERRARIUS, *Lexicon*, II, 98.

lica e apostolica, viuendo muy virtuosamente e mantendo-se de esmollas, e viuemdo em pobreza; e que quando chegou a esta cidade, que veo de Paleacate, pousou no esprital d'esta cidade, e ahy esteue alguns dias.

Pregumtado se o tempo que o dito Mtre. Francisco amdou em todas estas partes da Ymdia se gastaua seu tempo em comuerter os ymfieis e gentios á fee de Xpo.; dise elle, testemunha, que por todas as partes omde amdaua trabalhaua muito por trazer todos os ynfieis que podia á nosa fee, e que n'isto se mostraua muito curioso; e que ysto sabe elle, testemunha, pello ver n'esta cidade, e ouuir de outras partes a outras pessoas de credito. E que era homem muy acepto a todos os [b] que o comuersauão, assy xpãos. como ynfieis, nas palauras e nas obras, e em seu tratamento he onestidade, e em tudo o mais da comonicação; e que em todas suas obras pretemdya primcipalmente tirar os pecados do pouo; e trabalhaua muito por comservar a todos em amoor e charidade; e que n'isso e em cousas semelhantes se ocupaua por muitas vezes.

Pregumtado se per palauras, que elle disese a alguma pesoa em particular, se colegio e se soube d'elle que não caira na corrupção da carne, ou se ouuira dizer d'elle que era virgem; disse ele, testemunha, que elle ouuio dizer comummente a todas as pesoas que o conhecyão e a companheiros de sua companhia, que o dito Mtre. Francisco era virgem e liure da corrupção da carne.

Pregumtado se o dito P. Mtre. Francisco tinha algumas das graças, que Deus comunicou com seus dicipollos quamdo os mandou pello mumdo prégar e euangelizar, scilicet, se lançaua demonyos fóra, e que com ymposisão de suas mãos daua saude a emfermos, e outras cousas semelhantes; disse que ao tempo que o dito P. Mtre. Francisco chegou a esta cidade, hum filho de João Fernandez d'Ilher, de ydade de quimze annos até dezoito, adoecera de huma doença, da qual esteue doemte per espaço de algum tempo; e que por parte de sua mãy o vieram ver as mais das molheres da terra, pella dita sua mãy ser de casta jaoa, que sa-

---

[b] aos *ms.*

bião curar ao modo de gentio; e que d'estas curas lhe fizerão tantas sem lhe aproueitarem, que por derradeiro fôra chamada huma molher natural de Malluquo, per nome Nhiay Malluquo que tinha fama de boa feiticeira, a qual foy posta pelo mesmo officio d'ahy a poucos dias á porta da see d'esta cidade, a qual, amtre outras cousas e cirimonias que lhe fizera, lhe atara hum sedenho no colo do braço ysquerdo; e que n'este tempo perdera o dito moço o semtido e a falla, e istiuera tres dias sem ella, fazemdo muitos esgares [c] e sinais de demoninhado, cospimdo pera rretabolos ou outras ymagens, se lh'as mostrauão, e cousas semelhantes; e que estamdo n'estes termos fôra chamado o dito P. Mtre. Francisco; e que elle, testemunha, o fôra chamar; e que, emtrando polla porta, pregumtara que quanto tempo auia que o dito moço estaua doemte, e espamtando-se de o mandarem chamar tão tarde; e que, amtes que o dito P. Mtre. Francisco chegase, o dito moço estaua quieto; e, emtrando elle pola porta, começou a se aluoroçar e desemquietar, fazemdo muitos momos e esgares [d], pello qual, não podemdo repousar na cama em que jazia, fôra necesario tomal-o ele, testemunha, nos braços e têll-o comsigo apertado; e que o dito Mtre. Francisco se pusera logo em giolhos diamte do dito moço, rezamdo per hum lyuro, e mandara vir huma estolla, e hum misal, e hum crucifixo, e agoa bemta, e com iso lhe fizera certas cyrimonias, e lhe lamçara hum rilicairo que tinha ao pescoço, e que com ysto asosegara o dito moço e ficara quieto; e que ysto pasara em hum domyngo de noyte. E que o dito Padre disera emtão que, ao outro dya que vinha, diria por elle huma missa, e que esperaua em Deus que com iso falaria logo; e que d'effeito, ao outro dia, estamdo o dito Padre dizemdo a missa em nossa Senhora, e em dizemdo o euanjelho, falara o dito moço; e que elle, testemunha, o uyra por estar presemte. E que isto sabem outras muitas pesoas. E que d'ahy por diamte ficou o dito moço são.

Pregumtado se ouuira dizer álguma pesoa de credito, ou se sabya que pellas partes omde amdou fizera Deus por elle alguns

---

[c] esgaores *ms.* [d] esgaores *ms.*

synais, ou se se virão cousas sobrenaturais; disse elle, testemunha, que ouuira dizer a hum companheiro do dito Mtre. Francisco, per nome João d'Eiroo, que ora he frade de sam Francisco, que o dito P. Mtre. Francisco na ylha das Vacas, jumto dos baixos de Chilão, reçusitara hum morto mouro ou gentio; e que ysto lhe ouuira dizer.

Pregumtado se tinha o dito Padre algum ispirito de proficia, e se declaraua ou dizia cousas que estauão por vir, e que naturalmente se não podião saber; disse elle, testemunha, que no tempo de Simão de Mello, capitão d'esta fortaleza que foy, vierão os dachens a esta cidade; e que na volta que fizerão fôra d'aquy huma nossa armada apoos elles, a qual amdou laa hum mees, pouco mais ou menos, sem saberem nem terem recado d'ella, de que esta cidade estaua muito triste; e que hum dya, prégamdo o dito P. Mtre. Francisco, mandara dizer do pulpeto hum Pater noster pola vitoria, que a nossa armada tyuera dos dachens, de que a gemte ficou muito aluoroçada e espantada; e que de feito fôra assy; que na propia ora he dia, que o dito Padre disera o sobredito, ouueram vitoria dos dachens. E pellejárão em partes que são setemta legoas d'esta cidade com elles, e os uemcérão, e trouxerão as suas fustas e muniçõis dos ditos dachens que lhe tomárão.

Pregumtado se era tido ou auido por sancto: dise que era tido por homem de muito boa vida e muito virtuoso; e que os propios ynimigos e ymfieis o chamauão comunmente e nomeauão amtre sy ho Padre sancto. E que sabe que pollos zellos das almas punha muitas vezes sua vida en perigo, asy per maar como per terra. E quamto ao corpo do dito P. Mtre. Francisco, que elle, testemunha, o vyo em Goa ynteiro, sem ser gastado de nenhuma calidade.

E d'outros apomtamentos, por que foy pregumtado, dise nada.

E asynou aquy com o senhor capitão e ouuidor.

E eu, DIOGO FERNANDEZ, escryuão, que o escreuy.

AMTONIO MENDEZ.—Dom JOÃO PEREIRA.—D. DIOGO D'AMDRADE.

### 4.us TESTIS

Afomso Teixeira, vereador d'esta cidade, casado e morador n'ella, testemunha, jurado aos sanctos euamgelhos, em que poos a mão, e pregumtado pella vida e costumes do Padre Mtre. Francisco, que estaa em gloria; prymeiramente dise, que o P. Mtre. Francisco viuia virtuosamente comforme a homem de muito boa vida, mantemdo-se d'esmolas; e que o que lhe sobejaua daua a pobres; e que viuia pobremente; porque, estamdo elle, testemunha, em Maluquo, o via dormir em hum catre de gamuto com huma almofada de camdequy [e] preto á cabiceira; e que nas partes da Ymdia, omde andaua, gastaua o tempo em boas obras e virtuosas; porque, estamdo elle em Maluquo, vira que se ocupaua sempre em doutrina de mininos e de molheres, e em comfisõis, e em conuerter aa fee de Xpo. todos os ymfieis que podia; e que a todos era muyto acepto assy em pallauras como em obras, e no tratamento e onestidade de sua pesoa; e que n'isto tinha especial graça com todos; e que pretemdia sempre tirar e apartar os pecados do pouo, e reformar o amoor e charidade amtre todos; e que n'isto gastaua seu tempo; e que era avido e tido por sancto; e que até os gentios lhe chamauão o Padre sancto.

Pregumtado se ouuira dizer d'elle que hera virgem e não semtira a corrupção da carne; disse elle, testemunha, que assy o ouuira dizer a muitas pesoas, que se com elle criárão; e que a sua vida o parecia claramente.

Pergumtado se tinha o dito P. Mtre. Francisco ispirito de profecya, e se adeuinhaua e prenosticaua cousas futuras e que se não podião saber, e sobrenaturais; disse elle, testemunha, que, estamdo em Malluquo, partira o dito P. Mtre. Francisco de huma ilha d'Amboino, que estaa d'elle sesemta legoas, em huma coracora, e hum Johão Galuão, fidalgo, em outra pera Malluquo, que são humas embarcaçõis pequenas a modo de fustas; e que ymdo no maar se apartárão huma da outra com tempo; e chegando o dito Padre Mtre. Francisco a Malluquo, esperauão outras muitas pessoas tambem pello dito Johão Galuão; e que o Padre o pri-

[e] *Sic;* canequin?

meiro dia que prégara disera no pulpeto que disesem hum Pater noster pela alma do dito João Galuão, porque era fallecido; e de feyto foy asy, porque o dito João Galuam se perdeo; e d'ahy a tres dias viera ter o fato do dito João Galuão há costa.

E que o mesmo prenosticara da nossa armada, que foy sobre os dachens no tempo de Simão de Mello, e depois d'elle, testemunha, vir a esta cidade; porque disera aquy no pulpeto que disesem hum Pater noster e huma Avemaria pella vitoria que Deus nos dera dos dachens, que os nosos vemcérão; e que depois se soube que o propio dya e ora fôra a peleja em partes que são sesemta legoas d'esta cidade; e que isto he muy notorio n'esta terra. E que assy elle ouuio dizer per huma certa pesoa, que nosso Senhor lhe avya de daar trabalhos e fadigas e perseguiçõis na fazemda, e na pesoa, e na homrra; e que de feyto elle, testemunha, vio depois a dita pesoa perseguida na propya maneira.

Pregumtado se punha sua vida em perigo pello zelo das almas; dise elle, testemunha, que o dito Padre se punha em perigos do maar e da terra, e se metia no maar sem nenhum reçeo, fóra de monçõis, pella confiança que tinha e pello zelo e amoor das almas; e que a derradeira vez que foy aa China, hya pera laa denunciar a fee de Xpo.; e desejou muito emtrar na terra, pomdo-se a todos os perigos que lhe podesem soçeder, omde morreo pobremente. E que, quamdo o aquy trouxerão da China, o achárão ymteiro; e que elle, testemunha, o vyo e o ajudou a tirar da tumba em que vinha, o qual não tinha nenhum cheiro maao, mas que amtes lhe pareçeo a ele, testemunha, que cheiraua bem. E que quamdo o seu corpo foy pera a Ymdia, na naao de Lopo de Noronha, fôra a dita naao dar nos baixos d'allem do cabo Rachado, omde esteuera emuasada, e se tornara a saluar sem nenhum perigo; e que elle, testemunha, o uira por yr em huma carauela em companhia da dita naao.

E dos mais apomtamentos disse nada.

E asinou aquy com ho senhor capitão e ouuidor.

E heu, DIOGO FERNANDEZ, escriuão, que o escreuy.

AFOMSO TEIXEIRA.—Dom JOÃO PEREIRA.—DIOGO D'AMDRADE doutor.

E depois d'esto aos dezanoue dias do mees de Mayo do dito anno, n'esta cidade de Mallaqua, demtro na fortaleza, estamdo ahy presemte o senhor capitão dom João Pereira e o doutor Diogo d'Amdrade, ouuidor d'esta cidade, comigo escriuão, pregumtámos ás testemunhas, que nos forão apresemtadas; e seus ditos são os seguimtes.

F. heu, DIOGO FERNANDEZ, escriuão, que o escreuy.

## 5.us TESTIS

Gomez Freire, caualleiro da casa d'El-rey nosso senhor, e casado e morador n'esta cidade, e vereador d'ella, testemunha, jurado aos sanctos euamielhos, em que poos a mão; e pregumtado pella vida e costumes de P. Mtre. Franscisco, que estaa em gloria, disse que o dito Padre viuia muito virtuosamente, e que fazia vida de muito bom religioso, e viuia pobremente d'esmollas; e que ouuio dizer que tudo o que lhe sobejaua daua aos pobres.

E que ouuio dizer que em Choromandel, e em Sam Thomé, e no cabo de Comorym, d'omde veyo para esta cidade, fizera muitos xpãos.

E que depois fôra d'aquy para Maluquo e Amboino, e ao Moro, que he allem de Malluquo sesemta legoas, e depois a Japão, omde tambem fizera muitos xpãos. E sabe que era muito acepto em suas palauras e obras, e em sua comuersação e tratamento e onestidade, a todas as pesoas que o vyão e conhecyão; e que pretemdia com estas cousas sobretudo apartar e tirar os pecados do pouo con muita charidade e amoor; e que comunmente e na voz do pouo era avido por virgem; e que n'esta terra, omde elle, testesmunha, estiuera presemte, era avido amtre xpãos. e gemtios por homem sancto.

Pregumtado se o dito P. Mtre. Francisco tinha ispirito de profecia, e se dizia cousas por vir ou sobrenaturais; dise elle, testemunha, que no tempo de Simão de Mello, quamdo d'esta cidade foy huma nossa armada sobre os dachens que aquy vierão, o dito P. Mtre. Francisco mandara hum dia no pulpeto, acabamdo de prégar, dizer hum Pater noster e huma Avemaria pella vitoria

que os nossos tinhão avida, não avemdo até emtão nenhuma noua d'ella; e que de feito no propio dia e ora se achou que fôra em Parlees, sesemta legoas d'esta cidade, a vitoria dos dachens.

E que asy lhe ouuio dizer algumas vezes que huma certa pesoa avia de correr muitos trabalhos, e ser abatido na omrra e na fazemda, e que de feito vyo soçeder depois tudo isto á mesma pessoa; e que ysto disera o dito Padre, dizemdo que lhe pesaua d'isso.

E que tambem ouuio dizer que, vimdo de Japão na nao de Duarte da Gama, se perdera o batel d'ella; e que o dito Padre afirmara que o auyão de tornar a uer; e que assy soçedera.

Pregumtado se se punha em perigo de morte por maar e por terra pello zello das almas; disse que era verdade que o dito Padre se punha em muitos perigos pello dito respeito; e que d'esta cidade partira huma vez para Japão fóra de monção, afirmando-lhe pilotos e mestres que não podia passar, sem embargo do qual partio, e foy a Yapão.

E que quamdo foy á China, omde falleçeo, hya para laa denunciar a fee de Xpo., e a fim de se poer por iso a todos os perigos que lhe podesem soçeder; e que laa morreo pobremente; o qual elle, testemunha, vyo ymteiro quamdo aquy veyo e o trouxerão da China. E que ouuyo dizer que, ymdo d'aquy para a Ymdia seu corpo na naao de Lopo de Noronha, fôra daar em huns baixos, e esteuera em sequo, e se salvara sem nenhum perygo; e fôra primeiro aa Ymdia que as outras naos.

E dos mais apomtamentos, per que foy pregumtado, disse nada.

E asynou aquy com o senhor capitão e ouuidor.

E heu, DIOGO FERNAMDEZ, escriuão, que o escreuy.

GOMEZ FREIRE.—Dom YOÃO PEREIRA.—DIOGO D'AMDRADE doutor.

### 6.us TESTIS

Johão Fernamdez d'Ilher, caualeiro da casa d'El-rey nosso senhor, casado e morador n'esta cidade, testemunha, jurado aos sanctos euamjelhos, em que pos a mão; e preguntado pella vida

e costumes do P. Mtre. Francisco que estaa em gloria, disse que sabe que o dito Mtre. Francisco viuia muito bem e virtuosamente; e que dormia pobremente, e se mantinha de esmollas, e as repartia tambem com os pobres; e que n'esta terra fez muito fruc to e muitos christãos; e que o mesmo ouuio dizer que fizera em todas as outras partes omde amdara; e que era muito acepto em suas palavras, conuersasão e obras, tratamento e onestidade com todos aqueles, com que comuersaua e trataua; e que sempre pretemdeo com suas doutrinas tirar e apartar os pecados do pouo, e que todos tiuesem amoor e charidade huns com os outros; e que dizião comunmente que era virgem, e que numca soubera que cousa era corrupção da carne; e que cristãos e gemtios o tinhão por sancto, e os propios gemtios o chamauão o Padre sancto.

Pregumtado se o dito Padre tinha algumas das graças, que Deus comunicou com seus diçipolos, e se lamçaua demonios ou com ymposisam de suas mãos daua saude a emfermos; dise elle, testemunha, que, estamdo o dito P. Mtre. Francisco n'esta cidade, adoeçera hum seu filho d'elle, testemunha, per nome Amtonio Fernamdez; e que, estamdo muito doemte e dous ou tres dias sem falla, elle, testemunha, mandara chamar o dito P. Mtre. Framcisco pera o uer pela deuação que n'elle tinha; o qual em emtrando pella porta, o dito seu filho, que d'amtes não bolia comsigo, se começou aluoroçar na cama omde jazia, e começara a fazer de sy momos e esgares, cuspimdo a hum crucifixo; e que fôra necesario tomall-o hum Amtonio Mendez, casado e morador n'esta cidade, nos braços pera o ter; e que o dito P. Mtre. Framcisco se posera em giolhos, rrezamdo em hum liuro per espaço de duas oras, pouco mais ou menos; e que depois d'iso mandara vir huma estolla, e hum liuro misal, e agua bemta, e hum crucifixo; e fezera certas cirimonias, com as quais o dito seu filho rrepousara e asosegara; de que elle, testemunha, ficou logo tão comtemte, que o deu por são. E que o dito Padre lhe disera emtão que se não agastase, porque não era nada; e que ao outro dia diria por elle huma misa a nossa Senhora, e que comfiaua que com ysso fallase o dito moço e ouuese saude. E que ao outro dia, temdo elle, testemunha, esperança n'isso, estando o dito Padre dizemdo

missa, no meyo d'ella, a seu ver, emtrara o mestre que curaua d'antes o dito moço, e lhe tomara huma mão e lh'a apertara, e que com isto o dito moço falara, dizemdo: ay! ay! E que elle, testemunha, rrespomdera ao dito fisico: não sois vós o que lhe fazeis daar eses ays. E que logo d'ahy a poucos dias sarou de todo. E acabamdo-se a misa falara logo muito bem; e que isto he sabido por esta cidade.

Pregumtado se tinha ispirito de profecia, disse que, estamdo elle, testemunha, n'esta cidade no tempo de Simão de Mello, quamdo a nossa armada foy sobre os dachens, que aquy vierão, estamdo o dito Padre hum dya no pulpeto, e não sabemdo mais noua da dita armada, disse que disesem hum Pater noster e huma Avemaria pella vitoria, que os nosos tinhão auyda dos dachens, de que logo ouue em todos gramde espanto e aluoroço, asemtando ser assy pella deuação que todos n'elle tinhão. E que de feito se soube depois que o propio dia e ora, que o Padre disera o sobredito, tinha a nosa armada a vitoria dos ymigos em Parles, setemta legoas d'esta cidade.

E que ouuio dizer que, estamdo o dito Padre prégando em Malluquo, fizera outro tamto acerqua de hum João Galuão, que se perdera d'Amboino pera Maluquo, dizemdo que disesem hum Pater noster e huma Avemaria por sua alma, que era fallecido, amtes de se saber d'elle.

E que era verdade que lhe ouuira dizer muitas vezes per huma serta pesoa, que nosso Senhor o auya de castigar na facenda e no corpo e na omrra, e que por este respeito o emcomendaua muitas vezes a Deus, e rezaua por elle; e que foy assy, que elle, testemunha, vyo depois a dita pesoa muito atribulada e abatida.

E que ouuio dizer que, vimdo de Japão na nao de Duarte da Gama, se lhe perdera com tempo o batel; e que elle afirmara que o auyão de tornar a auer; e que assy foy; que o batel com gemte que leuaua tornou a vir ther com elles.

Pregumtado se punha sua vida em perigo de morte pello zello das almas: dise elle, testemunha, que he verdade que o dito Padre se punha em perigo de maar e de terra pella saluação e zelo

das almas; e que partira d'esta cidade pera Japão fóra de monção contra parecer de mestres e pilotos; e que pasara e fizera sua viagem muito bem.

E que quamdo morreo na China hya laa a fim de denunciar e prégar a ley euamielica e a fee de Xpo., e poemdo-se a todo risco e perigo que lhe podese soçeder; omde morreo pobremente. E que quamdo aquy veo ter da China morto, o vyo elle, testemunha, ymteiro da propia maneira que amdaua viuo.

E dos mais artigos, por que foy pregumtado, disse nada.

E assinou aquy com o senhor capitão e ouuidor.

E heu, Diogo Fernamdez, escriuão, o escreuy.

Yoão Fernandez.—Dom João Pereira.—Diogo d'Andrade doutor.

Ha quall carta testemunhauell de inquyrição vay treladada bem e fielmente da propia originall, que fiqua em poder do escrivão [f], sem deminuyr nem acreçemtar cousa allguma; e sem borradura, nem antrelynha, nem resquado, nem cousa que duuida faça; e vai escrita em oito meas folhas de papell; á qual podram dar mui inteira fé e credito, por quanto vai trelladada na verdade, e vai comcertada com outro oficiall aqui asynado, que haqui pos seu comcerto; e vai asinada por mym, e asellada com ho sello das armas reaes, que n'esta cidade serue; e sobescrita por Diogo Fernandez, escrivam do judiciall na dita cidade, por minha licença, aos dezoito dias do mes d'Outubro.

Eu, Diogo Fernandez, escrivam, ho sobescrevy, ano do nacymento de noso senhor Jhu. X.° de mil e quinhentos e L.ta he sete.

Pagou nada.

Dom Joam Pereira.

Concertado por mim, escrivam, e com houtro oficiall aquy hasinado,

Roque d'Oliveira.—Diogo Fernamdez.

---

[f] espvam. *ms.*

*In primo folio, non numerato, quod videtur esse debere fol. 9, haec leguntur*. Pagou 4 calãins.

[*Loco magni* ✠ *sigilli regii*.]

Diogo d'Andrade d.—Imquirição que se tirou n'esta cidade de Malaqua do Padre mestre Francisco da Companhia de Jesus que Deos tenha na sua gloria.—Segunda via.

*In fol. 10, non signato, et valde attrito.* Product. die 11 7.mbris 1612.

*In principio alterius archetypi adduntur ea quae sequuntur.* O licenciado Amtonio Lleytão, ouuydor com allçada por Ell-rey noso senhor em esta cidade, Santa Cruz de Cochim, etc.: ffaço saber aos que este meu estromento de carta testemunhavell, dado com ho te[o]r de huma pytysão e de huum estromento, vyrem, e o conhecimento d'ell com direito pertencer, que pelos Padres da Companhia de Ihuu. me foy apresentada huma petiçam por escripto, dizemdo en ella que lhes fôra necesario ho trellado do dyto estromento e carta testemunhavel para mandar ao reino por tres vyas. Ho que, vysto por mim, mandey que fose pasado; ho que tudo de verbo a verbo he o seguymte.

Excmo. senhor. Hos Padres da Companhya de Ihuu. d'esta cidade de Cochim fazem saber a V. E. que de Mallaqua veyo hora ter á sua mão huum estromento em carta testemunhavel, tyrado pelo capytão e ouuydor da dita Mallaqua, ho qual elles, soprycamtes, querem mandar ao reino; e por se temerem que se pode perder, pedem a V. E. lh'o mande trelladar por tres vyas para o mandarem, e lhes fiquar ho propio em sua mão. E o dito estromento he tirado sobre ha vida e bons custumes do Padre mestre Francisco, que noso Senhor tem em sua glorya, para se saberem como viveu [g] samtamemte; e istoo pelo hasi mandar Ell-rey noso senhor que tirase, no que receberá justiça.

E trellada-se pelas vyas que pedem, em modo que faça fee.

O licemciado AMTONYO LLEYTÃO.

*In altero archetypo, ante postremum testimonium Joannis Pereriae, haec adduntur.* E com ho teor da dita pityçam e estro-

---

[g] viveyo *ms.*

mento aos soprycantes mandey pasar este meu estromento de carta testemunhavell na maneira sobredita, por la qual requeyro ás justyças do dito senhor, que a elle e a todo n'elle encorporado lhe dem toda a fee e credyto quoanto com dereito se pode e deve dar ao propyo estromento que se tornou aos ditos Padres.

E este vay scripto bem e fyellmente, sem acresentar nem demenoir cousa allguma do que he scripto propyo; e vay scripto em dezaseys meas folhas de papell com esta em que acaba; e vay concertado com hum hofycyall que habayso asynou ho concerto.

Dada em esta cydade, Santa Cruz de Couchym, aos oyto dias do mes de Janeyro, sol meu synall e sello das armas reais que ante mim serue [h].....

Anno do nacymento do noso senhor Jesu Christo de mill e quinhentos e çincoenta e oyto annos.

O licemciado ANTONIO LLEITÃO.

Comcertado comygo p.° e com ho ofycial aqui asynado.

MANOEL D'ARAUYO.

## 33

# PROCESSUS MALACENSIS

### VERSIO LATINA [1]

## MALACA

[*Incipit tribus monumentis quae sic indicantur in margine:*]

1). «Attestatio super commissione regis ad sumendam informationem.»

2). «24 Novembris 1556. P. Balthasar Diaz Societatis Jesu praesentat auditori regio et praefecto Malacae commissionem ad examinandos testes.»

3). «Provisio. 10 Septembris 1556. Litterae gubernatoris In-

[h] *Sequuntur duo versus, qui minime legi possunt.*

[1] Ex codice romano, cujus descriptionem vide infra, ante indices generales.

diarum cum insertione litterarum regis Portugalliae, per quas mandat examinari testes super vita Patris Xaverii.»

---

## 24 NOVEMBRIS 1556. INITIUM EXAMINIS

. . . . . .

### I.us TESTIS

Odoardus a Gama, regiae domus patricius.....

Rogatus num sciret P. Mtrum. Franciscum sequi apostolicam et euangelicam vitam, dixit scire se illum uixisse ualde pie et tanquam hominem vitae optimae, quam ex eleemosynis et in ègestate traducebat, seque harum rerum oculatum testem saepenumero fuisse, praesertim eo tempore quo fuerat commoratus in Comorino promontorio, ubi Pater multos infideles chistianis sacris imbuerat et ad catholicam fidem adduxerat; et postea etiam uidisse apud Cantanum, vbi ipse testis dux fuerat, tum uero Goae et alibi. Item saepe se uidisse in omnibus iis locis, in quibus idem Pater fuit uersatus, illum maiorem temporis partem insumere solitum in conuertendis infidelibus ad nostram sanctam fidem.

Praeterea, in sua conuersatione et modo tractandi proximos fuisse omnibus magnopere acceptum, qui cum eo agebant, et uehementer laborare consueuisse suis concionibus et doctrina ut populi peccata extirparentur, idque per loca omnia quae adibat.

Rogatus idem testis an sciret dictum P. Mtrum. Franciscum prophetico spiritu praedixisse aliqua futura, quae postea euentus comprobauerit eodem modo quo ab ipso fuerant praenunciata; respondit, audiisse se quod eo tempore, quo Simon a Mello huius arcis dux expediuerat septem aut octo nauigia armata, quae fustas uocant, ut dachenos hostes inuaderent, P. Mter. Franciscus ea ipsa die, qua lusitani cum iisdem hostibus conflixerant, dixerit in hac vrbe, dum ad populum concionem haberet in eius templo, ut gratiae Deo agerentur, quia nostri victoriam de hostibus obtinuerant: congressus autem, ac praelium contigerat milliaribus ducentis quadraginta ab hac vrbe.

Item, audiisse se quod, cum ex Maluco [a] idem Pater uenisset et commoraretur in Amboino, dixerit suis comitibus ut recitarent Pater noster et Aue Maria pro quodam ex Societate Jesu fratre suo uita defuncto in Maluco, et quod postea constiterit rem ita accidisse.

Item, rogatus an sciret dictum Patrem propriam uitam in mortis discrimen adduxisse pro zelo animarum, videlicet aggrediendo nauigationes extra tempora; respondit se uidisse in peruigilio quodam diui Joannis discedentem P. Mtrum. Franciscum in Japoniam omnino extra tempus, et conscenso nauigio quodam sinarum gentilium, quod iuncum nominant; rectorem autem nauigii, qui sina etiam erat, appellere nauigium uoluisse ad portum Cantani, quae est sinicae regionis vrbs, quia sero iam erat continuandae nauigationi; sed, quoniam nuntium ille acceperat piratas in illo portu esse, processisse ulterius ad alium portum Cinciei; at, quia similiter fama erat piratas etiam ibi consistere, contendisse recta in Japoniam; quo tandem fuerunt appulsi contra omnem humanam rationem ac tempus. Denique ab ipsomet magistro Francisco audiisse uentum esse tandem in Japoniam contra ipsius sinae gentilis uoluntatem.

Declarauit etiam idem testis quod, cum ipse in propria naui sua ueniret ex Japonia anno illo, quo haec vrbs obsidione tenebatur, et secum in eadem naue dictus P. Mter. Franciscus ueheretur, coorta illis fuerat e regione portus Cinciei atrox tempestas, quae nauis scapham abripuerat cum duobus simul hominibus qui in ea forte erant, nec propter procellae uim subueniri scaphae ullatenus potuerat; et cum iam ne e summitate quidem mali conspici abrepta cymba posset, dixit P. Mter. Franciscus se promittere facturum pro scapha unum missae sacrificium, et duo alia pro hominibus illis duobus qui in ea erant. Cum ergo vacaret orationi, precesque ad Deum, eleuatis manibus, prope extremam nauis oram funderet, dixit uectoribus, sibique testi tunc praesenti, ne angerentur, quoniam spem in Deo habebat scapham incolumem ad ipsos fore reuersuram; confestim autem

---

[a] Malaco *ms.*

et eodem momento uiderunt aduenientem cymbam usque ad nauis oram, saeuiente adhuc tempestate. Cumque e naui funem uectores iam emitterent ut scapham attraherent, dixit idem Pater nihil eo remedio opus esse, quoniam illa per se et quiete appropinquatura erat, sicuti re ipsa contigit; potueruntque duo illi homines nauem conscendere, et cymba ad ipsam ualide firmari atque alligari; quod sane omnibus magnam attulit admirationem.

Dixit etiam idem testis, praedictum Patrem in Japonia ingentem infidelium numerum ad Christi fidem et gregem adduxisse, primumque annunciatorem euangelii fuisse qui eo se contulerat.....

### 2.us TESTIS

Antonius Pereira, regiae quoque familiae patricius.....

Interrogatus utrum sciret quonam modo uiueret Pater Mter. Franciscus, et an uitam ageret iuxta euangelicam et apostolicam legem, degeretque in paupertate uictitando ex eleemosinis, et cubando in pauperum hospitiis; dixit se cognouisse eiusmodi Patrem ex quo primum tempore in Indiam uenerat cum Martino Alphonso Sossa usque ad illud, quo tandem uita cessit, uidisseque semper eum uiuere nimium pie et sancte, instituereque ipsam vitam ut hominem magna uirtute praeditum et Dei amicum, eam substinendo ex eleemosynis, cubando in communibus pauperum hospitiis, habendo conciones in carceribus ad uinctos, et erogando pauperibus, eleemosynae nomine, quidquid sibi ex alimento proprio supererat.

Item, quandiu in his oris uersatus est, toto conatu laborasse ut infideles adduceret ad nostram sanctam fidem, facto initio a Socotora et Comorino promontorio, deinde in Maluco, Amboino, Omoro et Japonia, quibus in locis fructificauit animabus mirifice.

Praeterea, in sua consuetudine, tractandi modo, castitate et honestate uitae, fuisse ualde gratum omnibus qui ipsum norant uel tractabant.

Item, dixit se uidisse aliquoties honorari et coli praedictum

Patrem etiam ab ipsismet mahumetanis et infidelibus, quasi eum ut sanctum hominem haberent.

Insuper, se aliquando in quadam regia naue (cuius in reditu ex Coromandelo dux fuerat) multos mahumetanos detulisse, qui perpetuo esse sermonesque miscere cum dicto Patre gaudebant. Denique ubicumque Pater uersaretur, summopere semper conari solitum tol[l]ere peccatum populi, tum doctrina, tum etiam conuersatione pia, miti et charitatis plena; vbique etiam per Indiam fuisse habitum tanquam virginitate insignem, et absque stimulis et corruptione carnis.

Rogatus num dictus magister Franciscus aliquem haberet prophetiae spiritum ad futura praenuncianda, quae postea euentum sortirentur eo modo quo ab eo praedicta fuissent; respondit, cum dictus magister Franciscus ex Japonia uenisset in naui Odoardi a Gama, et appulsus fuisset ad portum Sanciani apud Sinas, inuenisse forte Jacobum Pereiram, qui a multis iam diebus maturabat profectionem in hanc urbem Malacam, quod tamen perficere non potuerat propter aduersum uentum qui reflabat, cum alias tempus esset tunc propriùm ad nauigationem uersus Malacam, qui tamen contrarius uentus [favebat dicto Odoardo a Gama] ut ex Japonia ad Sinarum regionem cursum dirigeret. Spirante igitur hoc uento contrario, Patrem Mtrum. Franciscum, cum primum ad Jacobi nauem accessit, [eam conscendisse,] ac protinus, eodem momento, uidisse Jacobum Pereiram afflare puppi uentum opportunum ad nauigandum Malacam, ac vela proinde dedisse, sedato iam prorsus vento, qui eousque spirauerat. Nihilominus, quia elapsa iam erat magna pars temporis ad nauigationem opportuni, nauigabat Jacobus cum formidine ne fortasse iam non inueniret nauim ullam indicam. Caeterum, P. Mtrum. Franciscum illi dixisse ne molestiae quidquam caperet, quoniam adhuc reperturus erat Malacae Antonium Pereiram (hoc est, se ipsum testem), paratum quidem omnino ad nauigandum, sed nondum soluentem, qui tamen eius causa expectaturus erat triduum: id quod ita prorsus accidit; quia cum ipse testis Antonius Pereira una iam sola anchora teneretur et antenas subleuasset, ecce appropinquat una quaedam cymba, quam man-

chuam dicunt, cum epistola P. Mtri. Francisci ad ipsum testem, in qua ei significabat se recte scire ipsum adhuc in hoc ciuitatis portu commorari, proinde se ab ipso petere ut expectare suum aduentum uellet, ut ipsum in Indiam deduceret. Hoc autem ipso tempore uidit continuo Antonius Pereira appropinquantem nauem, qua Pater uehebatur, quem libenter expectauit, deduxitque Goam simul cum quatuordecim aut quindecim aliis hominibus qui ex Japoniam uenerant.

Dixit insuper, quamcumque [b] in regionem dictus Pater uenisset, paucissimis eum diebus proprium gentis idioma et callere et loqui solitum, idque accidisse tum in ora malabarica et in Maluco, tum in Japonia, quoniam ipse testis omnium harum linguarum fuerat peritus, et iisdem saepe loquutus fuerat cum Patre, sicut etiam cum eodem sermones contulerat in lingua malayca.

Interrogatus utrum dictus Pater se mortis periculo obiiceret pro zelo et charitate animarum, utpote maris discriminibus extra tempora, cum fiducia quam in Deo collocatam haberet, aut similibus aliis periculis; dixit audiuisse a multis, qui pr[a]esentes affuerant, Patrem die quadam, in portu Sanciani apud Sinas, obtulisse gentili cuidam ex regno Siami scuta numorum trecenta, quae in eleemosinam acceperat, ut ipsum noctu uel solum exponeret in litus urbis Cantani, quae prima Sinarum est, nec aliud faceret, cum tamen multi Patrem ab [c] hoc proposito abducere conarentur, affirmantes ipsum occidendum haud dubie fore. Nec uero alia de causa eundem Patrem in Sinarum regionem penetrare uoluisse asseruit testis, nisi ut apud eas gentes Christi fidem annunciaret; atque hoc ipso tempore in paupertate vitam finiisse.

Rogatus quonam pacto corpus eiusdem Patris inuentum fuerit quando apud Sinas fuit exhumatum, et quonam etiam modo rursus in hac ciuitate sit repertum; item, de periculis quae subiit nauis, in qua Goam delatum fuit; dixit nihil se aliud scire, quam quod audierit nauim illam interclusam haesisse ad quorundam scopulorum caput, et inde supernaturali ope saluam euasisse: posteaque, perfuncto iam hoc periculo et labore, alterum denuo

---

[b] quamcunque *ms.* [c] ad *ms.*

incurrisse inter insulas Pullopinani et littus Zedeae; sed tandem se uidisse Goae corpus praedicti magistri Francisci, quod eo fuerat delatum, absque ulla corruptione, cum tamen inclusa haberet uiscera et caetera omnia intestina, et cum iam annus cum dimidio esset elapsus post eius obitum.....

### 18 MAII 1556. CONTINUATIO EXAMINIS

### 3.us TESTIS

Antonius Mendez, coniugatus et huius Malacae vrbis incola.....

Dixit scire se P. Mtrum. Franciscum fuisse sequutum uitam euangelicam et apostolicam, uiuendo admodum pie, et ex eleemosynis in paupertate; et, quo tempore ad hanc vrbem aduentauit ex Paleacate, habitasse in pauperum hospitio, ibique aliquandiu fuisse commoratum.....

Rogatus num, quandiu dictus magister Franciscus lustrauit has omnes Indiae oras, tempus insumeret in conuertendis infidelibus atque ethnicis ad christianam fidem; dixit ipse testis Patrem ubique terrarum, quas peragrasset, uehementer laborasse ut quos posset infideles ad fidei lumen afferret, et hanc unam in rem demonstrasse magnum affectum, id quod se scire dicebat ex iis, quae ipse oculatus testis uidisset in hac ciuitate, et alioquin audiuisset a fidei dignis; fuisseque virum ualde acceptum omnibus qui cum eo uersabantur, non modo christianis, sed etiam infidelibus, in uerbis et operibus, in tractandi modo, honestate et omni communicatione; enixeque curare solitum in suis omnibus actionibus ut peccata populi tolleret, et omnes conseruaret in amore et charitate; atque in hac similibusque rebus persaepe tempus impendere consueuisse.

Rogatusque an ex uerbis, quae ille alicui speciatim dixisset, collectum aut cognitum fuerit ipsum nunquam fuisse passum spurcitiam carnis, aut utrum de illo aliquando audisset quod virgo esset; respondit se communiter ab omnibus, qui eum nouerant et fuerant eius comites ac socii, audiuisse praedictum P. Mtrum. Franciscum virginem esse ac liberum a carnis labe.

Item, rogatus an idem Pater habuerit aliquod ex donis gratiae, quae Deus communicauit suis discipulis cum eos per mundum ad praedicandum et euangelizandum misit, exempli gratia, num daemonia eiiceret, et impositione manum suarum sanaret aegros, et alia id genus faceret; dixit quod eo tempore, quo dictus Pater in hanc vrbem peruenit, filius cuiusdam Joannis Fernandez de Igler, aetate annorum quindecim usque ad octodecim, in morbum inciderat, quo aliquandiu detentus fuerat, quem, matris suae causa, pleraeque ex foeminis indigenis, eo quod ipsa eius mater esset genere jaua, inuisebant, quia curare nouerant ad morem gentilium; ex his autem superstitiosis curationibus tot illi frustra adhibitae sunt, ut tandem aduocata etiam fuerit mulier ex Maluco oriunda, nomine Nhay, quam esse insignem sagam fama uulgabat, et quam etiam, propter hanc ueneficam artem, paucis post diebus ad fores templi maximi in dedecus et poenam tanti flagitii exposita de more fuit. Haec, praeter res alias ac caeremonias quibus usa fuerat, alligauit sinistro pueri brachio funiculum ex setis compositum, quo misellus puer sensum et omnem linguae usum per triduum amiserat, mirasque oris conuulsiones edebat, aliaque signa energumeni, expuendo in sacras imagines, si ei fortassis ob oculos exhibebantur, et agendo alia, quae obsessi a cacodaemone solent. In hoc rerum statu dixit testis accersitum fuisse P. Mtrum. Franciscum, et quide[m] a se ipso fuisse accersitum. At Patrem, cum primum ostii limen tetigit, quaesiuisse ex quonam tempore male haberet puer, admirans quod tam sero fuerit uocatus. Porro, ante ipsius Patris aduentum, fuisse quietum puerum; sed, ubi ostium subintroiit, coepisse commoueri et concitari uehementius, miras exprimendo gesticulationes; qua de causa, cum contineri non posset lecto in quo decumbebat, fuisse opus ut ipse testis eum brachiis retineret, et secum pressim astringeret: at praedictum magistrum Franciscum se in genua prouoluisse ante puerum, recitando per librum quendam, adducique iussisse stolam, et missale, et crucifixum, lustralemque aquam; hisque omnibus adductis, ecclesiasticas caeremonias supra illum adhibuisse; atque etiam reliquiarium, quod collo suo appensum habebat, iniecisse puero: hoc autem modo quieuisse illum, se-

datumque mansisse. Hoc porro contigit dominica quadam die de nocte. Et dixit idem Pater se postridie facturum sacrum pro puero, sperareque in Deo quod puer recuperaturus foret linguae usum et loquuturus. Re autem ipsa, die sequenti, dum dictus Pater sacris mysteriis operaretur in templo Dominae Nostrae et euangelium diceret, loquutus fuit puer; quod ipse testis, qui praesens tunc aderat, oculis conspexit, et eandem rem plerique alii certo norunt. Denique in posterum mansit puer sanus et incolumis.

Rogatus vtrum ab aliquo fide digno audierit, aut alias sciret, Deum in iis locis, quae dictus Pater obiierat, aliqua per eum signa edidisse, uel res aliquae supernaturales sint uisae; dixit testis se audiisse a socio quodam eiusdem Patris Francisci, nomine Joanne ab Hiero [2], qui Franciscanorum postea ordinem suscepit, P. Mtrum. Franciscum in insula, quam Vacarum appellant, prope scopulos Ceilani, ad uitam reuocasse puerum demortuum, qui mahumetanus erat uel ethnicus; atque hoc ex ore ipsius socii accepisse.

Interrogatus num dictus Pater aliquem haberet prophetiae spiritum, manifestaueritque res, quae nondum erant nec naturaliter sciri poterant; dixit quod tempore Simonis a Mello, huius arcis ducis, hostes dacheni in hanc vrbem hostiliter uenerant; at, cum re infecta reuerterentur, missa hinc fuerat ad eos insequendos classis nostra, quae per mensem circiter morata est quin nuntius aliquis de ea perlatus fuisset aut quidquam ullo modo cognitum; quam ob causam haec ciuitas miram tristitiam concoeperat; nihilominus, dum concionem die quadam dictus P. Mter. Franciscus haberet e suggesto, iussit recitari orationem dominicam pro victoria, quam nostra classis de dachenis reportauerat; quod populo magnam simul et laetitiam et admirationem attulit. Re autem ipsa sic accidit: nam eodem prorsus die atque hora, qua Pater illud dixerat, parta est a nostris de dachenis uictoria; pugnatumque cum illis fuerat procul ab hac vrbe leucis septuaginta; quo in praelio uicti sunt, et eorum nauigia ac bellica instrumenta capta et huc aduecta.

[2] Varie hoc cognomen scribi supra monuimus: de Airo, Deiro, Eyro.

Rogatus deinde an haberetur ut sanctus, dixit habitum fuisse ut hominem uitae et uirtutis eximiae; quin etiam ab ipsis hostibus et infidelibus communiter Patrem sanctum uocari solitum cum inter se mutuo colloquebantur. Scire etiam se eundem Patrem pro animarum zelo saepe uitam obiecisse periculo, tum per mare, tum per terram. Et quod ad ipsius Patris corpus pertinet, se uidisse illud Goae integrum et nullo modo consumptum.....

### 4.us TESTIS

Alphonsus Teixeira, huius ciuitatis triumuir (u[e]reador appellant lusitani), coniugatus, ac eiusdem vrbis incola.....

Dixit in primis, dictum Patrem uixisse cùm magno uirtutis exemplo, et sicut hominem qui vitam profitebatur optimam; et uictum colligere consueuisse ex eleemosynis; quidquid uero supererat, solitum fuisse erogare pauperibus; denique in aegestate uixisse, et a se ipso teste uisum fuisse in Maluco cubare in humili lecto sine stragulis, et cum solo ceruicali duro ac uili.

Praeterea in omnibus Indiae locis, quae perlustrabat, tempus in piis operibus consumpsisse. Et cum ipse testis in Maluco simul cum Patre esset, uidisse eundem Patrem semper occupatum in puerorum institutione et foeminarum doctrina, in confessionibus audiendis, et conuertendis ad Christi fidem infidelibus quotquot poterat. Item, Patrem ipsum fuisse perquam gratissimum tam in uerbis, quam in rebus et operibus, tum uero maxime in modo tractandi personam propriam et in morum honestate; atque hac ex parte peculiarem habuisse gratiam apud omnes. Denique enixe semper laborasse ut populum abduceret, et redintegraret amorem et charitatem inter omnes; qua in re tempus insumebat. Fuisse quoque pro sancto habitum, et hoc ipso nomine a gentilibus uocitatum.

Interrogatus utrum aliquando de illo audierit quod virgo esset nec passus fuisset carnis corruptionem, dixit id se a plurimis audiuisse, qui diu cum illo uersati fuerant, et id ipsum per innocuam et candidam eius uitam satis manifeste fuisse indicatum.

Rogatus num dictus P. Mter. Franciscus habùerit spiritum prophetiae et praesciuerit futura, quae sciri naturaliter non pot-

erant, tum etiam supernaturalia; respondit quod, cum aliquando ipse testis in Maluco fuisset, forte discesserat dictus Pater Mter. Franciscus ex quadam insula Amboini, quae distat a Maluco leucis sexaginta, uectus nauigiolo, quod caracora dicitur, simulque tunc e portu soluerat nobilis quidam vir, Joannes Galuanus, in altero simili nauigio in Malucum (sunt autem huiusmodi parua nauigia instar eorum, quae lusitani fustas dicunt). Postquam autem utrumque nauigium in altum processerat nauigando, ecce tibi, irruente tempestate, nauigiola dissociata sunt, solusque Pater in Malucum est appulsus, sed plerique adhuc expectabant Galuani aduentum; attamen Pater Mter. Franciscus prima statim die, qua concionem habuit, dixit e pulpito ut recitarent omnes dominicam orationem pro anima Joannis Galuani, qui naufragio perierat; et re ipsa ita contigerat, nam Galuanus fecerat naufragium, et post triduum eius sarcinae atque onera in littus eiecta sunt.

Eundem Patrem Franciscum affirmat testis praenunciasse successum, omnino ignotum ad id usque tempus, nostrae classis, quae aduersus dachenos expedita ac missa fuerat, dixisseque pro suggesto in hac vrbe ut [d] omnes dominicam et angelicam orationem funderent pro uictoria, diuino beneficio parta de dachenis, quos nostri subegerant; fuisseque postea deprehensum, eodem prorsus die atque hora commissum praelium fuisse apud Parles (quod ab hac vrbe leucis sexaginta distat); et hoc quidem notissimum fuisse apud omnes urbis incolas.

Item, se testem audiuisse P. Mtrum. Franciscum, dicentem de certo quodam homine [3] illum diuinitus puniendum fore laboribus, molestiis et persecutionibus, non solum in diuitiis, sed etiam in honore et corpore; reque uera a se teste uisum esse huiusmodi hominem postea iisdem plane incommodis et eadem ratione iactatum et afflictum.

Rogatus utrum Pater uitam suam periculo exponeret pro zelo

---

[d] et *ms*.

---

[3] Alvaro Ataide? Certe de eo scripserat Xaverius Didaco Pereira: «e pesa-me, porque de nosso Senhor lhe ha-de vir o castigo, mayor do que elle cuida». Supra, I, 758.

animarum; dixit illum adire solitum uitae pericula mari et terra, consueuisse nimirum mari se committere absque ulla formidine, extra tempora, propter zelum animarum. Item, quando ultimo ad Sinarum regionem contendit, ideo illuc iter direxisse, ut apud eas gentes annunciaret Christi fidem; et uehementer fuisse conatum eo ingredi, offerendo vitam omnibus discriminibus quae sibi possent accidere; at ibi tandem in summa rerum inopia vitam ipsam fudisse.

Praeterea, quando eius corpus e sinica prouincia in hanc vrbem est aduectum, fuisse inuentum integrum (quod testis ipse uiderat; immo etiam ex feretro, quo portabatur, partim eduxerat); item, sine ullo graui odore, immo cum suaui, quantum sensu iudicare testis potuerat.

Dixit etiam, in eadem nauigatione, qua eius corpus in Indiam deferebatur naui Lupi Noronii, allisam vadis fuisse nauim ultra promontorium Reciatum, ubi interclusa substiterat, sed saluam demum enatasse absque ullo periculo; atque huius rei seipsum oculatum testem fuisse, quia simul tunc in quadam celoce cursum tenebat.....

### 19 MAII 1556. CONTINUATIO EXAMINIS.....

### 5.us TESTIS

Gomesius Freirius, eques domus regiae, coniugatus et huius ciuitatis accola, atque etiam triumuir.....

Dixit eiusmodi Patrem ualde pie uixisse, uitamque eximii religiosi duxisse, et in paupertate ex eleemosynis tolerasse.

Item, se testem ex aliis audisse praedictum Patrem, quidquid sibi ex tenui alimento supererat, elargiri solitum egenis; tum etiam in Coromandelo, et Sancto Thoma, et in Comorino promontorio, multos fecisse christianos; postea uero profectum inde fuisse in Malucum, Amboinum et Omorum (leucis ultra Malucum sexaginta), ac demum in Japoniam, ubi quoque multos ad Christi gregem perduxerat.

Dixit etiam se scire dictum P. Mtrum. Franciscum fuisse acceptissimum in suis uerbis, factis, conuersatione, tractandi modo

et morum honestate, omnibus qui eum uidebant et norant; nec aliud in his rebus conari consueuisse, quam populum auocare a peccatis cum magna charitate et amore. Denique communem fuisse populi uocem, quod idem Pater virgo esset. Enimuero non solum apud christianos, sed etiam apud gentiles eundem Patrem fuisse habitum ut sanctum hominem, idque se testem obseruasse in hac Indiae plaga ubi fuerat.

Cum ex eo quaesitum esset num P. Mter. Franciscus prophetiae spiritu fuisset afflatus praedicereque soleret futura aut supernaturalia; dixit testis quod tempore Simonis a Mello, quando ex hac vrbe profecta fuerat classis nostra contra dachenos, qui hic uenerant, P. Mter. Franciscus die quodam e pulpito, cum sermonem ad populum finiisset, recitari iusserit dominicam et angelicam orationes pro victoria, quam nostri de hostibus obtinuerant, cum tamen nullum plane ad id usque tempus nuntium de illa fuisset allatum. Re autem ipsa, post dies aliquot, constitit eodem prorsus die atque hora uictoriam de dachenis accidisse apud Parles, leucis sexaginta ab hac vrbe.

Dixit item audiisse se ab ipsomet Patre, multos a certo quodam homine [4] labores subeundos fore, et magna detrimenta in honore et in fortunis toleranda; postea uero se uidisse omnia haec eodem modo illi homini successisse. At praedictus Pater, quo tempore illa praedixit, significabat, inquit testis, dolere se uicem miseri hominis. Praeterea, se audiuisse quod, dum idem Pater ex Japonia ueniret, vectus naui Odoardi a Gama, et eius nauis scapha undis procul iactata nullatenus compareret, affirmauerit Pater eam quamprimum affuturam esse et conspectui reddendam; idque ita euenisse.

Rogatus utrum Pater Mter. Franciscus se obiiceret mortis periculis, siue per mare sive per terram, pro zelo animarum; dixit

[4] Nuper memoratus Alvarus Ataide? De eo quidem haec refert Souza, *Oriente conquistado*, IV, div. I, § 74: «Quanto ao corpo é notorio, que o cobriu logo uma lepra mui feia e que dentro de dous annos lhe mandou o Vice-Rei D. Affonso de Noronha tirar a Capitania, confiscar a fazenda e levar preso em ferros de Malaca á India e da India a Portugal: e morreu na prisão corrupto de um apostema tão asqueroso que o fez insoffrivel a parentes e amigos, desamparado dos quaes acabou sem honra e sem fazenda.»

uerissimum esse quod is Pater multis se periculis hac solum de causa exponebat; quippe ex hac vrbe discesserat aliquando in Japoniam omnino extra tempus, affirmantibus illi naucleris et nauigandi peritis fieri non posse ut mare tunc traiiceret. Quibus tamen non obstantibus, uela soluit, peruenitque diuino munere in Japoniam.

Praeterea, quando in sinarum regionem abiit, ubi vita functus est, illuc se conferebat ut in illa prouincia Christi fidem praedicaret, idque eo animo, ut nullum pro eadem causa periculum reformidaret ex iis quae possent ocurrere; atque in eadem prouincia vitam Deo reddidit in paupertate. Cuius corpus ipse testis conspexit integrum, quando huc aduectum est ex sinica regione.

Audiisse quoque se, testis ait, quod, cum eius corpus hinc in Indiam transportaretur naui Lupi Noronii, inciderat in vada subsederatque super siccum; nihilominus absque ullo periculo euasisse memorat, priusque tempore Indiam tenuisse, quam naues caeteras.....

### 6.us TESTIS

Joannes Fernandez de Igler, eques domus regiae, coniugatus atque incola huius vrbis.....

Dixit dictum Patrem uixisse piissime et summa cum uirtute; cubare consueuisse ut pauperem, et ex eleemosynis ali, easdemque in pauperes distribuere.

Praeterea, in hac Indiae ora uberem fructum spiritualem fecisse, et multos etiam christianis sacris imbuisse, id quod etiam audierat praestitisse in omnibus aliis locis in quibus fuisset commoratus. Deinde fuisse in suis uerbis, conuersatione, operibus, tractandi modo et honestis moribus, gratissimum omnibus cum quibus agebat, semperque contendisse in suis sermonibus ac doctrina exterminare populi peccata, et ut omnes inter se mutuam haberent charitatem et amorem; uulgatumque fuisse omnium sermonibus, quod idem Pater esset virgo, neque unquam passus fuisset carnis corruptionem. Denique, quod et christiani, et gentiles etiam ipsi, eum pro sancto habebant; quin etiam communi appellatione gentiles eum uocabant Patrem sanctum.

Rogatus an dictus Pater haberet ullum ex donis gratiae, quae Deus suis discipulis impertiit, et an daemones e corporibus obsessorum pelleret, aut impositione manuum suarum sanitatem aegris afferret; dixit quod, cum P. Mter. Franciscus forte esset in hac urbe, inciderat in morbum quidam ipsius testis filius, nomine Antonius Fernandez, fueratque idem grauissimo afflictatus morbo, priuatusque per triduum linguae usu, qua de causa ipse testis accersiri iusserat praedictum P. Mtrum. Franciscum ut aegrotum uideret, propter deuotionem quam erga Patrem habebat; at uero, ingrediente ostium dicto Patre, testatur praedictum suum filium, qui prius nullum prorsus motum exercebat, turbari coepisse in lecto in quo iacebat, et mirabiles gestus uultu edere, sputa in oblatum crucifixum coniicere, ita vt opus fuerit aegrotum a quodam Antonio Mendez (coniugato et accola huius urbis) brachiis apprehendi ualide, ut ipsum contineret; interim dictum magistrum Franciscum, prostratum genibus, librum more recitantis legisse per duas horas circiter; tum deinde afferri iussisse stolam et missale, lustralem aquam et crucifixi imaginem, fecisseque sacras quasdam caeremonias, quibus tandem praedictus suus filius quieuerit et sedatus manserit. Quo Dei beneficio ipse testis adeo laetus extiterat, ut filium iam pro sano existimaret.

Addidit, praedictum P. Mtrum. Franciscum sibi testi dixisse ut bono animo esset, et quod res non esset iam ullius momenti, et adiunxisse facturum se postridie sacrum pro aegroto in laudem beatae Virginis, et sperare puerum loquuturum et salutem recuperaturum: sequenti autem luce, cum ipse testis magnam dictis uerbis fidem habuisset et in spem erectus esset, sacrificante ipso Patre et in medio sacrificio consistente, aduenisse medicum, cui aegroti curatio demandata erat, apprehendisseque pueri manum et constrinxisse, et hoc facto locutum fuisse puerum, identidem repetentem: heu me! Sed se testem respondisse medico: non tu es qui facis puerum in gemitus prorrumpere. Denique, continuo intra dies paucos omnino conualuisse; et cum puer ipse interesset sacrificio, loquutum statim expeditissime fuisse. Hanc autem rem totam notam esse atque uulgatam per ciuitatem.

Rogatus an Pater donatus fuisset spiritu prophetiae, respon-

dit: cum ipse testis praesens in hac vrbe esset, duxque illius fuisset Simon a Mello, et nostra classis missa fuisset aduersus dachenos, qui huc primo cum classe uenerant, praedictum Patrem, habentem apud populum die quadam concionem, cum nullus prorsus nuntius de classe nostra perlatus fuisset, monuisse e suggesto auditores, ut recitarent omnes dominicam orationem et angelicam propter uitoriam, quam nostri pepererant de classe dachenorum: quod eius dictum in magnam omnes admirationem simul et exultationem adduxit; ac, propter egregiam deuotionem, quam erga Patrem habebant, statuisse apud se omnes rem ita habere; postea uero certo constitisse classem nostram eadem illa die atque hora, qua P. Mter. Franciscus illud praenunciauerat, uictoriam reportasse de dachenis apud Parles, leucis sexaginta ab hac vrbe.

Dixit vlterius ipse testis se audiisse eundem Patrem simile quid praenunciasse de Joanne quodam Galuano, qui naufragium fecerat profectus ex Amboino in Malucum, nimirum hortatum fuisse ut omnes easdem illas duas orationes funderent pro eius defuncti anima, idque prius quam aliquid de illo sciretur.

Item, audiuisse frequenter ex ore dicti Patris de certo quodam homine, eum a Deo puniendum in opibus, corpore et in honore, precarique saepe ipsum Deum ut haec mala auerterentur, commendando illi huiusmodi hominem, ac tandem uerba Patris effectu firmata fuisse, uisumque ab ipso teste fuisse illum hominem variis laboribus fractum et ab honore deiectum.

Item, se audiuisse [e], cum Pater e Japonia ueniret naui Odoardi a Gama, scapham a naui ob saeuientem tempestatem fuisse abreptam, ita ut omnino conspectum uectorum omnium fugerit; sed Patrem affirmasse uidendam rursus esse non multo post; et ita euenisse, redeunte ad nauem scapha incolumi, cum hominibus qui eadem uehebantur.

Rogatus num idem Pater propriam uitam mortis periculo exponeret pro zelo animarum, dixit illum et mari et terra sponte pericula adiisse pro salute zeloque animarum, speciatim uero pro-

---

[e] audiuisse ut *ms*.

fectum aliquando fuisse ex hac vrbe omnino extra tempus in Japoniam, et felicem habuisse diuino munere nauigationem.

Item, quo tempore apud Sinas excessit e uita, ad eam regionem se contulisse ut ibi legem euangelicam et Christi fidem disseminaret, posthabitis periculis omnibus quae obseruabantur; qua in prouincia egit animam, et quidem in paupertate et rerum omnium inopia.

Denique, quando eius cadauer inde huc fuit delatum, a se teste uisum fuisse integrum, et eodem prorsus modo quo quando erat uiuum.

[*Sequuntur duo monumenta, quae sic indicantur in margine:*]

1). «Attestatio, quod transumptum est fidele.»

2). «Subscriptio interpretis.»

# PROCESSUS

## IN INDIA ORIENTALI FACTI

PRO CANONIZATIONE

## PATRIS FRANCISCI XAVERII

ANNIS 1616 ET 1617 [1].

---

## PROCESSUS COCINENSIS

X Julii 1616. Coram Rdo. Petro Nunez, decano, provisore et praesidente capituli coccinensis, comparuerunt RR. PP. Andreas Macchiado, rector collegii Societatis Jesu, et P. Franciscus de Oliveira, procuratores substituti, et literas remissoriales et compulsoriales praesentarunt dicto domino judici.

---

D. Petrus Nunes, judex, acceptavit literas apostolicas, scilicet remissoriales et compulsoriales, ac se judicem apostolicum commissarium pronunciauit, ac notarium et cursorem, locumque pro examinandis testibus, deputavit.

---

Die 12 Julii anni 1616, in ecclesia cathedrali civitatis coccinensis, Rdus. Petrus Nunez, praeses capituli, sede vacante, judex

---

[1] Ex codice, infra, ante indices describendo. In edendis sequentibus Processibus eumdem tenuimus ordinem, quem in superioribus latinis, goano, cocinensi, bazainensi et malacensi adhibuimus, scilicet ut in principio et in fine singulorum Processuum ea praetermitteremus documenta, quae ad constituendum tribunal, ad notarium designandum, denique ad adstruendam testimoniorum fidem eorumque versionem pertinent. Haec tamen omnia, desumpta ex ipso summario, quod in margine reperitur, loco documentorum, debito loco exhibentur. Pariter, silentio praetermittenda censuimus quae initio, iisdem ferme verbis, proloqui ad juramentum praestandum testes soleant ante quam pro testimonio dicant, quae verba ad historiam quidem nihil faciunt. Tertio denique, ad calcem testimoniorum phrasim aliquam sive verborum circuitionem omisimus, a singulis repetitam, et praeterea testium, notarii aliorumque hujusmodi subscriptiones.

commissarius, virtute literarum remissorialium et acceptationis illarum, ad instantiam supradictorum procuratorum mecum, notario, qui haec scripsi, interrogavit testem sequentem.

PRIMUS TESTIS

Dominicus Caldeira, natus in Molucis, oriundus ab oppido Torre de Moncorvo, filius ex patre lusitano, Didaco Gonzales de Azevedo, et matre moluca, conjugatus, et incola huius civitatis coccinensis, vivit ex suis bonis et comercio, et fuit praefectus annonae dictae civitatis.....

Dixit se ese annorum octo supra nonaginta.....

Juxta XI.um, dixit testis se cognovisse P. Mtrum. Franciscum Xaverium, quia servivit ei per triennium Malacae, apud Sinas et in Japponia, et ministrabat ei cum faciebat sacra, et servabat eleemosynas sibi datas ad vitam sustentandam.

Juxta 14.um, dixit quod prope oppidum Cantani Sinarum, in quadam insula, Sanciano, dictus Pater Xaverius e vita discessit; et quod eius corpus repositum est clausum in quodam loculo, et translatum fuit Goam, et ibi sepultum in collegio divi Pauli Societatis Jesu.

Juxta 16.um, dixit quod dictus Pater fuit propugnator et propagator fidei christianae; et hoc scit quia vidit et audivit illum multoties praedicantem; et quod magno ardebat zelo adducendi animas ad viam salutis, et hic zelus eum deduxit in partes suprascriptas; et quod universus populus, tum christiani tum infideles, magna veneratione honorabant dictum Patrem, et eius manum deosculabantur flexis genibus, et ipsum appellabant lingua eorum deum terrae.

Juxta 19.um, testis dixit quod, cum esset in Japponia cum dicto Patre Xaverio, et ille finem imposuisset concioni in quadam die dominica, quam praedicationem audiebant christiani et gentiles, mercator quidam caecus ad dictum Patrem accessit, quem apud omnes constabat a multis annis esse caecum, et petiit ab illo ut vellet sibi restituere visum oculorum, quia jamdiu illo omnino carebat; et dictus Pater recitavit quoddam evangelium super dictum caecum, et postea fecit ei super oculos sanctis-

simum signum crucis; quo peracto, statim et in illo eodem momento aperti sunt oculi eius, et coepit videre, ac se domum recepit jussu eiusdem Patris. Die vero sequenti venit praedictus caecus ad ecclesiam, quaerens iterum P. Xaverium, oculis apertis et claris, et prostravit se ad pedes illius simul cum tribus filiis, et maximas ei egit gratias pro tanto beneficio accepto; et dicebat se tunc melius videre quam antea, scilicet antequam in illam caecitatem incidisset; et postea duxit suam uxorem et totam suam familiam, et rogavit Patrem Xaverium ut vellet eos baptizare, prout vere eos omnes baptizavit. Et, divulgata fama huius miraculi inter omnes alios ethnicos, commoti sunt valde, et venerunt plusquam trecenti petentes sacrum baptisma, quos omnes Pater baptizavit. Et interrogatus ipse testis quomodo sciverit supradicta, dixit se ea scire quia his omnibus praesens fuit, et ea propriis oculis vidit.

Dixit etiam ipse testis quod, volens P. Mter. Franciscus proficisci ex Japponia in Sinas in quadam navi don Francisci de Vigliana, et interrogatus ille a Patre quo die profecturus esset e portu, respondit dictus don Franciscus se ad quatuor inde dies profecturum; et addidit se perventurum in Indiam vellet nollet Deus, quem reprehendit Xaverius et admonuit: dicas, frater, si Deus voluerit; et hoc ter repetivit. Et cum Pater discederet domum, jussit ipsummet testem et alium puerum petere navim, et extrahere sarcinulam vestium ad sacrum celebrandum, quam in navi jam deposuerat. Et cum navis solveret e portu, quinque inde dies plus minusve in mari periit, et fuerunt ad litora ejecta corpora mortuorum et alia eiusdem navis tabulata. Quibus visis, dictus Pater dixit ipsimet testi et aliis ibi praesentibus: videte, filii; si profecti essemus in illa navi, pro sonte innocens poenas dedisset.

Dixit etiam testis quod, cum P. Franciscus Xaverius aliquando, onerariam navim Stae. Crucis conscendens, ad Sinas concederet, contigit in ipsa navigatione ut, cessantibus ventis, malacia tanta fuerit, ut navis movere se loco non potuerit per 14 dies; quo tempore vectores, maxima aquae penuria laborantes, miserunt scapham ad sumendam aquam ex insula Pulchra, ad quam

applicare se scapha non potuit per spatium septem dierum; quo tempore, cum multi ex vectoribus dictae navis, deficiente aqua, perirent, dictus Pater, eorum misertus, cum prius ad Deum preces fudisset, venit ad foros navis et vocavit navarcum et officiales illius, jussitque eis sumere aquam maris, eamque benedixit; et, dicentibus illis maris aquam esse salsam, Pater adiunxit: non obstante quod sit aqua maris, eam degustate; cui obtemperantes, aquam maris dulcissimam et optimam repererunt, eaque adimplerunt dolia, vrnas vasaque omnia eiusdem navis; quibus adimpletis, cum iterum ipsi vectores experientiam per se facerent, et aliam sumere aquam ex mari voluissent, quae a Patre non fuerat benedicta, eam salsam repererunt. Quo viso miraculo, aliquot maomettani arabes, qui erant in eadem navi, se converterunt ad fidem christianam una cum ipsorum uxoribus. Et haec scit ipse testis quia his omnibus fuit praesens, et ea vidit propriis oculis.....

DIE 14 JULII 1616

IN HAC CIVITATE COCCINENSI, IN ECCLESIA CATHEDRALI SUPRA EXPRESSA.....

2.us TESTIS

Joanna de Mello, nata Malacae, mallaia natione, vidua, quae vitam sustentat eleemosynis sibi collatis per proveditores sanctae Misericordiae.....

Dixit quod erat 80 annorum et ultra.....

Juxta XI.um, testis dixit se cognovisse P. Franciscum Xaverium, et illum vidisse Malacae, et audivisse doctrinam christianam, quam dictus Pater quotidie faciebat in ecclesia Sanctae Mariae, qui iubebat congregari populum ad signum et sonum campanulae; et iubebat pueris aliquot adire domos ad docendum christianam doctrinam noctu; idcirco [a] talem conceperunt opinionem illius, vt haberent ac reputarent illum virum sanctum.

Juxta 15.um, dixit se vidisse Malacae magnum populi concursum et devotionem esse ad sepulchrum dicti Patris; et quando voluerunt transferre corpus illius ex collegio Societatis Jesu Ma-

[a] iccirco *ms.*

lacae ad transportandum illud ad Indiam, ipsa testis propriis oculis vidit magnum concursum hominum, tam saecularium quam ecclesiasticorum, qui in processione illud comitati sunt usque ad locum vbi imposuerunt illud in navi ad navigandum in Indiam. Et vidit quod, ad adventum dicti corporis, pestis, quae tunc Malacae erat maxima, ita ut multi quotidie moriebantur, statim et omnino cessavit, et quod nullus amplius mortuus sit.....

Super articulo 14.°, dixit testis se uidisse propriis oculis in eo tempore consuetudinem improbam et inhonestam vigere Malacae, videlicet quod puellae 13 aut 14 annorum incedebant per civitatem indutae vestibus hominum publice et summa cum licentia; quam consuetudinem dictus Pater, veluti profanam et turpem, abstulit et exterminavit.

Dixit amplius, se audivisse ex publica voce et fama, quae de hoc fuit et est Malacae, P. Mtrum. Franciscum Xaverium ivisse ad regnum Machazaris, et ibi baptizasse regem illius et ejus filium et filiam, cuius regis filiam ipsa testis alloquuta est multoties, et egit familiariter cum illa, quae vocabatur donna Leonora; et frater eius vocabatur don Franciscus. Et dicta principissa narravit ipsi testi quod Pater Franciscus Xaverius baptizavit patrem ac fratrem ipsius praedictae Leonorae, et ipsam[m]et vna cum magno populo illius regni.

Atque etiam in eadem civitate Malacae audivit ex publica voce et fama, quod dictus Pater adivit insulas Molucas, et illic convertit ad christianam fidem multum populum, ac numero propemodum infinito personarum baptismum dedit, et quod ibidem magna miracula fecit.

Super 42.°, dixit se adfuisse Malacae cum domino Georgio de Castro, equite de domo regis, cum esset cum uxore sua aliisque nobilioribus viris, et vidisse quod P. Franciscus Xaverius incitavit nostros lusitanos ire ad pugnandum cum acenis, et eis promisit victoriam; et postea in fine concionis dixit populo moerenti vt deponerent timorem, quia nostra classis devicerat hostilem acenorum, et reportaverat victoriam ab illis; et ad quinque dies paulo minus perventura erat salva et incolumis ad portum, prout vere contigit, vt dictus Pater vaticinatus fuerat. Et ipsa

testis haec omnia vidit, et classem cum victoria venire ad portum.....

3.us testis

Isabella Marcona, vidua, nata in regno Sinarum, quae vivit suis expensis et industria, incola huius civitatis coccinensis.....

Dixit se habere 80 annos et vltra.....

Juxta XI.am, testis dixit se cognovisse in regno Sinarum P. Franciscum Xaverium, et tunc illum vidit et audivit iam nominari sanctum; et quod de eo magna miracula communiter narrabant.

Juxta 16.am interrogationem, dixit quod, cum venisset ex regno Sunda ad Sinas, illicque, quaerens de Patre sancto, quia hoc nomine universus populus generaliter illum nominabat, ipsa testis ibi audiuit a lusitanis quod, navigans dictus Pater Xaverius in quadam navi, deficiente aqua vectoribus ad bibendum, et orans super eam atque eamdem benedicens, aquam salsam convertit in dulcem, quod fuit et est publicum et notorium, intercessione Patris Xaverii divina providentia factum, habitum et tentum pro miraculo.

Insuper, dixit testis quod, veniens ex regno Sionis ad civitatem malacensem, et cum esset in ecclesia Patrum Societatis Jesu, interrogavit ibi alios vt docerent vbi corpus Patris sancti esset, et tunc didicit quod fuit translatum Malacha in Indiam, ad civitatem Goam, vbi concurrit magnus populus ad videndum et deosculandum illud; et quod quaedam persona, deosculata pedes dicti Patris, momordit digitum pedis, volens sumere vnguem ad reliquiam, devotionis causa, et sanguis recens effluxit ex illo morsu, de quo fuit et est publica vox et fama.....

DIE 15 JULII ANNI 1616

IN HAC CIVITATE COCCINENSI, ET ECCLESIA SUPER EXPRESSA.....

4.us testis

Lucia de Villanzam, vidua, nata apud Sinas in oppido Tamhuaquai, incola huius civitatis.....

Dixit se habere annos 120.....

Juxta XI.^um^, dixit se cognovisse Malacae P. Franciscum Xaverium, et propriis oculis vidisse eum, et saepe ivisse ad ecclesiam Sanctae Mariae causa audiendi doctrinam christianam illius, prout faciebant multae aliae mulieres et homines, qui eadem causa audiendi sacram doctrinam confluebant ad eum. Et cum postea ipsa testis discessisset Malacha in civitatem coccinensem, in eadem civitate audivit multoties eius doctrinam in ecclesia maiori eiusdem, et in quodam sacello, extra vrbem posito, in quo P. Mter. Franciscus solebat habitare; et illuc confluebat etiam magna multitudo populi causa audiendi illum.

Juxta 16.^um^, dixit quod, quum esset Coccini, et perueniret ad dictam civitatem navis, qua vehebatur corpus dicti Patris Malaca translatum, audivit a Hieronymo Rebello, Antonii Rebello filio, equitibus nobilibus de domo regis, qui Hieronymus supradictus veniebat in eadem navi qua vehebatur dicti Patris corpus, scilicet quod ex sacro loculo, in quo dictum sanctum corpus erat repositum et clausum, eis spirabat odor et fragrantia pretiosissimorum odorum, qui multa suavitate replebant navim.

Insuper, dixit supradicta testis quod, cum pervenisset corpus dicti Patris Xaverii Goam, et ipsa tunc esset in eadem civitate, concurrit magna cum populi multitudine, omnes moti devotione illius corporis, ad deosculandum pedes dicti Patris; et vidit quod quaedam persona, fervore devotionis adducta, apprehendit morsibus pedis vnguem, et effluxit sanguis recens, ac si emanaret de corpore vivo.

Insuper, dixit testis se audivisse a lusitanis et a caeteris Indiae nationibus, quod dictus P. Franciscus, zelo quo flagrabat convertendi animas ad fidem christianam, adivit in Sinas et Japponiam ad disseminandum Christi evangelium illis populis, qui erant per tot spatia annorum sine lumine fidei christianae; et supradictus Pater fuit primus, qui in illas partes attulit Christi evangelium; et propter illius praedicationem ab ipsis infidelibus verbera multa accepit, et aerumnas, laboresque propemodum infinitos in illis partibus passus esset, cum saepius illum vellent occidere; quae omnia magna cum humilitate et patientia sustinuit. Et, quod mirum est, inter tot aerumnas et verbera et quotidiana mortis

pericula, nullas quaerimonias nec vllum prorsus verbum efferebat, sed omnia propter Dei amorem constanter patiebatur, et magna hilaritate, quae semper in eius facie apparebat.

Juxta 18.^um^ et 19.^um^, fuit instructa quid esset miraculum, et dixit testis se habere vnam medaliam, et eam suspendebat a collo, in qua in vna parte erat impressa imago beatae Virginis Mariae cum puero Jesu in sinu, ex altera erat Patris Xaverii figura (quam ego, notarius, manibus habui et optime inspexi ac deosculatus sum), qua medalia tacti aegroti, invocato nomine P. Francisci Xaverii, recuperarunt integram sanitatem, et multa miracula facta sunt, prout constat ex instrumento authentico testium inquisitionis factae per licentiatum Petrum Nunez, provisorem et vicarium generalem, quod transmittetur appensum huic transumpto.

Praeterea, testis dixit se audivisse a duobus mercatoribus, vno lusitano, altero malacensi, qui venerunt Malaca in hanc urbem Coccinum, affirmantibus quod, cum essent Malacae, viderunt suis propriis oculis quod filia cuiusdam mulieris, ibi commorantis, e vita discessit ob morbum, absente tunc a dicta civitate P. Mtro. Francisco, quae puella a tribus diebus integris erat sepulta. Sed cum pervenit dictus Pater Franciscus Malacam, mater puellae, vita functae, adivit illum, et, ad illius pedes prostrata, dixit: si, Pater, adfuisses tempore, quo filia mea e vita discessit, nequaquam illa moreretur. Cui dictus Pater respondit: filia tua non est mortua. Verumtamen mater puellae, vita functae, dixit a tribus iam diebus humatam esse filiam suam in sepulchro. Sed Pater Xaverius tunc iussit mulierem discedere et ire ad aperiendum sepulturam filiae, affirmans quod puella divina providentia in vitam esset revocanda; quo facto a matre, et aperiens sepulchrum, reperiit filiam suam vivam.....

Super contentis in articulo 42.°, dixit testis se audivisse a multis viris lusitanis, qui tunc temporis, quando res evenit, venerunt Malaca et haec omnia viderunt, quod dictus Pater Franciscus populo malacensi eo tempore auctor fuit vt compararent militum classem, quae adoriretur acenos et Christi hostes invaderet, quos milites dictus Pater Xaverius, ad pium bellum hor-

tatus Christi nomine, animatos reddidit, quod pro eius nomine pugnantibus, hanc vitam in discrimen agentibus, divinum auxilium non erat defuturum, imo belli victoriam ab hostibus reportaturos promisit, prout vere contigit. Et in templo, die quadam dominica, concionem habens, praedixit malacensis civitatis populo victoriam, et dixit audientibus tunc: fratres, moerore depositO, laetitiam capite, maximas gratias Deo agite; modo hostem acenum nostri devicerunt ac victoriam de illo reportarunt. Quae omnia evenerunt sicut P. Mter. Franciscus fuerat vaticinatus; et milites de hoste victoriam, appellentes portum, enarrarunt.

Super 52.° articulo, dixit testis se audivisse semper a multis personis, et de hoc et caeteris aliis miraculis, supra a se relatis, fuisse et esse publicam vocem et famam, quod P. Mter. Franciscus, dum vixit et post mortem, fuit et erat sanctus, et nunc pro tali habitus ac reputatus.....

### 5.us TESTIS

Petrus Carvaglio, lusitanus, filius Matthei Carvaglio et Catharinae Gomez Alburcherche, civis et incola civitatis Goae, viri nobilis, qui exercuit munus judicis ordinarii dictae civitatis, nepos Alphonsi da Albuquerque, qui primus adivit in Indiam ex lusitanis eamque recuperavit, natus Goae et incola huius civitatis coccinensis, qui uiuit ex officiis Misericordiae.....

Dixit se habere 75 annos et ultra.....

Juxta XI.um, testis dixit se cognovisse et propriis oculis vidisse in hac civitate P. Mtrum. Franciscum, et tunc dictus Pater, ex publica voce et fama omnium, erat sanctus, et pro tali fuit et est habitus.

Juxta 16.um, dixit quod P. Mter. Franciscus, cum esset in civitate coccinensi, magno ardebat zelo salvandi animas, et maximo fervore praedicabat fidem christianam; et ad convertendum ethnicos ad fidem catholicam iubebat pueris, quos docebat christianam disciplinam magna cum charitate, interiora loca adire, et exportare omnia idola gentilium, et comminuere ea, ac pedibus conculcare, et in civitatem trahere, volens hoc opprobrio ethnico populo ac christianis recenter conversis ostendere qualiter simu-

lachra ea deorum nihil aliud erant quam ligna ac lapides, nec digna [b] erant aliqua veneratione aut cultu; ut gentiles his rebus convincerentur, et christiani magis corroborarentur sancta fide.

Juxta 19.[um], dixit testis quod, tempore, quo P. Franciscus Xaverius commorabatur in hac civitate coccinensi, quidam puer, nomine Lupus, quatuor annos tunc habens, ipsiusmet testis frater, aegrotabat lectulo febri maligna a quatuor mensibus. Invocata per parentes multorum medicorum ope, frustra tamen tentata, et desperata pueri salute, forte ingressus domum P. Mter. Franciscus, invenit puerum supradictum iacentem, gravi afflictatum febri, et manibus illum tetigit, affirmantibus tunc pueri parentibus illum a quatuor jacere mensibus gravi febri affectum, humanis remediis frustra tentatis. Et dictus Pater Franciscus signum crucis fecit super puero; et, recitato ibi evangelio, statim et incontinenti dictus puer aperuit oculos, quos adhuc habebat clausos, et, aspiciens Patrem Xaverium, coepit ridere. Et tangentes tunc parentes pueri corpus, quod antea ardebat febri maxima, inuenerunt illum temperatum et a febri omnino liberum, et protinus convaluit.....

DIE 16 [SIC] ANNI 1616

IN EODEM LOCO SUPRA EXPRESSO.....

6.[us] TESTIS

Franciscus Pirez, natione indus, coniugatus et incola huius civitatis, qui exercuit officium barbitonsoris per multos annos, et vivit propriis expensis, ut asseruit.....

Dixit testis se esse annorum 70 et ultra.....

Juxta XI.[um], dixit testis se cognovisse et vidisse propriis oculis P. Franciscum Xaverium, et egisse cum eo familiariter, quia interdum ei barbam et capillos capitis tondebat; et per id tempus iam, ex publica voce et fama omnium, dicebatur Coccini esse vir sanctus; et quod pro tali fuit et est habitus a populo et reputatus. Et dictus Pater semper se exercebat in praedicando et convertendo ad Christi fidem gentiles.....

---

[b] digni *ms*.

### 7.us TESTIS

Margarita Ludovici, vidua, nata in civitate elborensi, lusitana, incola Coccini, quae vitam sustentat ex suis bonis.....

Dixit testis quod erat centum annorum et ultra.....

Juxta XI.um, dixit se cognovisse et vidisse suis propriis oculis P. Mtrum. Xaverium in arce Cananoris, et iam per id tempus ex publica voce et fama dictus Pater appellabatur sanctus, et pro tali habitus ab omnibus; et ipsa testis semper eum reputavit sanctum.

Et juxta reliqua interrogatoria dixit nescire.

Super 42.° articulo, respondit se habuisse filium, nomine Gregorium, annorum 7, quem videns Pater Xaverius in domo ipsius testis, praedixit illum futurum esse hominem, magnum Dei servum; et ita contigit sicut ille praedixit, quia dictus puer ingressus est religionem sancti Francisci, in qua reliquit famam magnae sanctitatis, et vocatus fuit frater Lucas.....

### 8.us TESTIS

Isabella Alvarez, lusitana, vidua, filia Margaritae Ludovici et Petri Alvares, incolarum Cananoris, qui fuit praefectus arcis dicti Cananoris 18 annorum spatio, quae viuit suis expensis et bonis.....

Dixit quod habet 70 annos et ultra.....

Juxta XI.um, dixit se cognovisse et vidisse in oppido Cannanoris P. Franciscum Xaverium, et audivit a suo patre appellari sanctum, et pro tali habitum. Et dictus pater ipsius testis dixit matri, quod volebat ducere domum sanctum ut ea illum videret; et, veniens domum cum patre ipsius testis, videns puerum, fratrem ipsiusmet testis, septem annorum, imponens manum super eius caput Pater Xaverius supradictus, praedixit dictum puerum futurum esse magnum Dei servum, prout vere contigit, quia dictus puer ingressus est religionem sancti Francisci, in qua fuit magni exempli, et reliquit nomen sanctitatis; et vocatus est frater Lucas in religione.....

### 9.us testis

Leonora Rodriguez, lusitana, vidua, nata Cocini, filia Lucae Rodriguez, nobilis, quae vivit ex suis bonis.....

Et iuxta primum interrogatorium usque ad 9.um, dixit testis se esse annorum 78 et ultra.....

Juxta XI.um, dixit se cognovisse in hac civitate P. Franciscum Xaverium et audivisse illius doctrinam christianam saepe; et tunc ab omnibus habebatur sanctus, et pro tali existimabatur.

Et de reliquis interrogatoriis illi lectis dixit nescire.

Super 22.° articulo, testis dixit quod, cum ipsa commorata esset Goae tempore quo pervenit Malaca corpus dicti Patris, ut primum navis cum dicto corpore applicuit ad terram, tota civitas effusa est, et magnus concursus populi undique factus ad comitandum illud, et supplicatio instituta est quanta maxima potuit pompa, et corpus illius invectum est in templum Sancti Pauli Societatis Jesu, in quo repositum fuit, concurrente tunc magna populi multitudine ad visendum et deosculandum dictum corpus. Et ipta testis, illius devotione adducta, prout omnes fecerunt, osculata est pedes illius, et tunc ipsa sensit ex corpore dicti Patris spirare maximam fragrantiam et suavissimum odorem.....

### 10.us testis

Martinus Darvellus, lusitanus, uxoratus, natus in urbe portugallensi, incola huius civitatis, officialis artista, qui vivit ex sua arte.....

Dixit se esse annorum 63.....

Juxta XI.um, dixit testis se audivisse a personis fide dignis, quae cognoverunt P. Franciscum Xaverium, scilicet a tali N. Pigneiro, lusitano, milite veterano, qui narravit ipsimet testi quod fuit comes cuiusdam militis, qui erat veteri consuetudine blasphemandi et jurandi, et a septennio, et eo amplius, non confessus erat peccata sua; et magnopere deditus erat ludo. Cognovit forte de illo Xaverius et rescivit haec vitia in oppido Chiauli. Igitur, eius salutis avidus, dictus Pater idem navigium cum socio facinorosi militis conscendit et veniunt Coccinum. In navi-

gatione tamen dictus miles a prava consuetudine blasphemandi non abstinebat. Contigit vero die quodam ut ille in ludo amiserit pecunias suas prorsus omnes, qua de causa maxime blasphemavit; et socius illum acriter reprehendit quod non abstineret ab huiusmodi blasphemiis ob Patris Xaverii praesentis reverentiam, qui pariter tunc temporis, recitans divinum officium, percunctatus quae res esset, rescivit militem blasphemum amisisse pecunias prorsus omnes in ludo alearum; qvare eum consolatus est, et jussit socio commodare militi aleatori nummos aliquot ut iterum luderet, quibus ludens amissas pecunias recuperavit; et his obsequiis Pater Xaverius, militem deperditum sibi demerendo, ad confessionem induxit. Appellente navigio Coccinum, Xaverius cum facinoroso milite descendit, et petit cum illo aedem sacram sancti Joannis extra vrbem sitam, et ibi dare operam confitenti coepit; et, confessione peracta, absolvit, levi imposita poenitentia. Milite vero relicto, se in primum saltum recepit, et se acriter flagellis verberavit, pro peccatis militis satisfacturus; qui, considerans Patris Xaverii moram, pergit ad sylvam, et, aspiciens Xaverium ita se verberantem, ad illius pedes se prosternit, et cogens Patrem abstinere ab aliena poenitentia, apprehenso flagello, acriter se pulsavit, et exinde animum flexit ad studium poenitentiae; atque in posterum habuit vitam honestam piamque magno cum exemplo hominum; quod fuit et est publicum et notorium.

Juxta 14.^um^ et 15.^um^, respondit se audivisse a multis viris fide dignis, quod corpus Patris Xaverii repositum erat ad praesens in collegio sancti Pauli Goae, et illius corpus erat integrum et incorruptum in quodam loculo, prout dicti homines viderunt propriis oculis; et deosculati sunt pedes eius, quia illum sanctum habebant ac pro tali aestimabant.

Juxta 16.^um^, dixit se audivisse ab hominibus fide dignis, qui viderunt et cognoverunt dictum Patrem, quod ille habuit magnum zelum animarum, et hoc zelo ductus adivit oram Piscariam et Travancoris, et fuit primus qui in illis partibus Christi evangelium promulgavit, et ipsomet zelo ad ultima Orientis loca penetravit, nimirum Malacam, in Molucas, Sinas et Japponias.

Et de reliquis omnibus interrogatoriis, illi expresse lectis et declaratis, nihil aliud se scire dixit.

Super 12.° articulo, respondit se audivisse a suis consanguineis, personis fide dignis, quod dictus P. Mter. Franciscus in civitate goana, ad docendum christianam doctrinam pueros ac servos, vias ac plateas tintinabulo circumibat, et in hospitalibus aegros invisebat et magna cum charitate iuvabat.

Super 42.° articulo, dixit se audivisse a Francisco Vieira, Alvares Nunez, Didaco Gonzalves, navarcho, et a Joanne Diaz Correa, navarcho, qui praesentes fuerunt Malacae concioni, in qua Pater Franciscus Xaverius, inclinato capite super manu ad suggesti spondam, paulisper quievit, et exinde, illud attollens, exclamavit: o fratres! gratulamini Deo, maximasque gratias agite, quia nunc victoriam de acenis reportavimus. Cum his verbis significaret classem malacensem, cuius auctor fuerat, retulisse victoriam de hostibus; et quod postea compertum fuit omnia accidisse prout Xaverius fuerat vaticinatus in illa hora. Insuper dixit ille testis se audivisse a quodam N. Aguiar, navarcho, dicto Dabotta, vulgo Estivale, qui, cum navem gubernaret ex Japonia ad Sinas, in qua erat Pater Franciscus Xaverius, atroce tempestate coorta, procellae vis scapham a navi, cui erat alligata, abstulit, et erant in illa aliquot homines; qvapropter vectores ac nautae omnes casum amissae scaphae deplorabant; quos intuens Pater Xaverius, bonum animum eos habere iussit, ac praedixit fore ut ante biduum filia remearet ad matrem; quam praedictionem postea eventus comprobavit, sicuti Xaverius fuerat vaticinatus.

Idem navis gubernator ipsimet testi narravit, quod dictus Pater Xaverius benedixerat navim Stae. Crucis, et dixerat non mari perituram, sed in navali dissolvendam esse; et ita res contigit, quia ipse testis vidit navim praedictam appellere Coccinum, et dissolutam fuisse in navali sine ulla tempestate.

Super 52.° articulo, dixit se semper audivisse a multis personis fide dignis, quod dictus Pater Franciscus Xaverius fuit semper habitus et reputatus vir sanctus, dum in vita permansit et post eius obitum. Necnon audivit a Joanne Diaz Correa, navarcho, quod eius vestis, qua Pater Franciscus fuerat indutus, frustu-

lum in techa inclusum gestabat propter maximam venerationem, qua Xaverium excolebat....

DIE 19 JULII ANNI 1616

IN EODEM LOCO SUPRA EXPRESSO.....

II.us TESTIS

Michaël Rodriguez, lusitanus, natus Goae et incola Coccini, vir nobilis et viduus, qui vivit suis expensis et bonis.....

Dixit se esse annorum 86 et ultra.....

Juxta XI.um, testis dixit se audivisse a multis personis fide dignis quod dictus P. Franciscus Xaverius erat sanctus, et pro tali fuit et est habitus ab omnibus.

Juxta 14.um, dixit se vidisse corpus dicti Patris Goae integrum et incorruptum, cum navis, qua vehebatur, applicuit ad portum dictae civitatis; et comitatus est illud usque ad templum sancti Pauli, ubi deosculatus [c] est pedes illius, quod etiam fecit infinita propemodum populi multitudo, quae concurrit ad invisendum illud magna cum veneratione.

Juxta 16.um, dixit se audivisse semper quod omnes magna devotione 'dictum Patrem honorabant; et ipse testis, ob maximam erga eum fiduciam, illius opem ac patrocinium implorabat saepe deprecationibus; et semper audivit dictum Patrem fuisse christianae religionis defensorem ac optimum propagatorem; et, hoc zelo excitatus, in ulteriora Orientis regna penetravit, in quibus Christi evangelium ethnicis denunciavit. Et juxta reliqua interrogatoria illi lecta nihil aliud se scire dixit.

Juxta 12.um articulum, dixit se semper audivisse quod Pater Franciscus Xaverius Goae, per vias et plateas illius, tintinnabulo convocans pueros, illos de christiana disciplina erudiebat; et publice conciones habebat; et invisebat xenodochia, et ibi aegros magna cum charitate iuvabat; et in aliis huius generis operis se exercebat; quae omnia audivit ipse a viris fide dignis.

Juxta 13.um articulum, dixit se audivisse a viris fide dignis

---

c diosculatus *ms.*

dictum Patrem adiisse oram Travancoris et Piscariam, et ibi disseminasse Christi evangelium, et adduxisse ad catholicam fidem magnum numerum infidelium; necnon ecclesias aedificasse.....

### 12.us testis

Simon Carvalho, lusitanus, natus Coccini, ibi incola, qui fuit unus ex vrbis magistratibus, et vivit suis expensis et comercio, more indiano.....

Dixit se esse annorum 53.....

Juxta XI.um, dixit se audivisse multa de P. Francisco Xaverio a suo patre Alphonso Carvaglio, quia illum cognoverat et viderat propriis oculis; et habebat et aestimabat illum sanctum, atque ita de eo magna narrabat.

Juxta 16.um, dixit semper audivisse a viris fide dignis quod dictus Pater fuit acerrimus christianae fidei defensor, et eam denunciavit ethnicis; et habuit magnum zelum honoris et religionis Dei; et fuit et est publicum et notorium quod omnes illum magna veneratione habebant, ac devotione maxima colebant.

Juxta 17.um, dixit se audivisse a personis fide dignis quod dictus P. Franciscus Xaverius benedixit navim Sanctae Crucis, et praedixit non perituram mari, sed dissolvendam esse in navali, prout vere contigit. Testis namque ipse vidit dictam navem esse in portu Coccini, in quo, nulla tempestatis vi impulsa, elapsa litoris aquis, haesit in statione arenosa e regione campi sanctae Virginis della Guida, atque ibi per seipsam dissoluta fuit; et quod dictam navim, licet vetustate et fluctibus labefactatam et cariosam, conscendebant institores ac vectores ob fidem, quam in praedictione et benedictione dicti Patris Xaverii habebant. Et de reliquis interrogatoriis illi expresse lectis, dixit se scire quantum supra deposuit.

Juxta 14.um articulum, respondit se audivisse a personis fide dignis quod P. Franciscus Xaverius, animarum salutis zelo adductus, ad australes partes ivit, et hoc zelo in Molucas, in Sinas, in Japponiam penetravit, quibus in regnis labores maximos ac aerumnas sustinuit, et se in discrimen vitae posuit multoties propter animarum conversionem.

Super 33.°, dixit se audivisse a personis fide dignis, quod P. Mter. Franciscus fuit vir apostolicus et valde humilis, et pro tali fuit et est habitus ab omnibus.....

### 13.us TESTIS

Martinus Lupus Cincaeus, uxoratus, incola huius civitatis coccinensis, qui vivit ex suis bonis, ut asseruit.....

Dixit se esse annorum 52.....

Juxta XI.um, dixit quod, cum esset ethnicus, etiam in sua patria et inter gentiles audivit a dictis idolatris P. Franciscum Xaverium fuisse sanctum, et pro tali existimabant ac nominabant.

Juxta 18.um et 19.um, fuit instructus quid esset miraculum, et dixit se audivisse in civitate machaënsi a gentilibus, itaque de eo fuit et est publica vox et fama, quod, cum esset P. Franciscus Xaverius in Japponia, per aliquod tempus magna penuria piscium Japonia laboravit, qua de causa populus in maxima necessitate et miseria erat positus; et tunc dictus Pater Xaverius, illius gentis miseratione commotus, iussit eos homines iacere retia piscatoria in mare, quae illi iniecerunt propter fiduciam et spem quam in dicto Patre Xaverio habebant, et multitudinem piscium pene infinitam coëgerunt. Quo miraculo illi gentiles moti accurrerunt ad Xaverium et petierunt atque implorarunt ab illo sanctum batismum, et ad Christi fidem multi fuerunt aggregati; et dicebant quod homo, qui talia miracula perpetrabat, non erat ex numero aliorum hominum, sed erat sanctus.

Audivit insuper ipse testis ab hominibus fide dignis, qui veniebant ex illis partibus, quod P. Franciscus illuminavit mercatorem quemdam caecum, et a multis annis visu oculorum carentem, recitato evangelio super illum, qui, motus tanto miraculo, se convertit cum tota sua familia ad fidem Christi, et baptizati fuerunt a Patre Xaverio; et hoc idem fecerunt multi alii eiusdem loci; et de hoc esse et fuisse publicam vocem et famam.

Audivit insuper ipse testis in supradicta civitate machaënsi, tum a viris lusitanis tum ab ipsis machaënsibus, et etiam in hac

civitate coccinensi haec omnia supra relata audivit a nonnullis japponibus, tanquam rem publicam et notoriam, quod per id tempus, quo Pater Xaverius commoratus fuit in Japponia, contagiosa crassabatur lues, ita ut pestilens ille morbus multitudinem magnam illius populi corripuerit; sed, cum dictus P. Xaverius precaretur Deum pro salute illius populi, deprecatione peracta, contagiosus ille morbus statim cessavit, et pestis fuit prorsus extincta. Quo beneficio accepto, et viso tali miraculo, Xaverii intercessione ac precibus perpetrato, gentiles illius civitatis conversi sunt ad Christum, et multi a P. Xaverio baptizati sunt.

Praeterea, dixit testis se habere magnam fidem ac fiduciam in dicto Patre Xaverio, illius enim invocat opem ac patrocinium apud Deum, cuius intercessione ipse testis particulares gratias ac beneficia a Deo obtinuit.....

### 14.us testis

Petrus Sotto, lusitanus, filius Sebastiani Gonsalves de Ponte, natus in oppido Gimarinensi, conjugatus et incola huius civitatis coccinensis, vir nobilis, vivit suis expensis et comercio.....

Dixit se esse annorum 70 et ultra.....

Juxta XI.um, dixit testis audivisse a lusitanis fide dignis quod P. Franciscus Xaverius erat homo sanctus, et pro tali ab illis fuit et est habitus. Et de reliquis interrogatoriis dixit nescire.

Super 42.° articulo, dixit se audivisse a lusitanis fide dignis quod, navigans dictus Pater Xaverius ex Japonia ad Sinas in navi Odoardi de Gama, atroci tempestate coorta, navis amisit scapham; quem casum vectores navis maximo cum moerore deplorantes, Pater Franciscus Xaverius eos consolatus est, vaticinatus fore ut filia remearet ad matrem; et eventus vaticinationem comprobavit. Scapha enim intercessione Xaverii salva et incolumis venit ad onerariam navim.

Insuper dixit ipse testis se audivisse a viris lusitanis fide dignis [d], quod P. Xaverius praedixit Francisco de Aguiar, navarcho, illum non periturum esse mari, sed in terra lecto decumben-

---

[d] dixit *ms.*

tem discessurum esse vita, cum tamen perpetuo esset in mari. In qua praedictione dictus gubernator fiduciam et spem habens, ausus est facere navigationes perdifficiles ac valde periculosas, ob fidem quam in dicto Patre habebat; et multoties passus est varia naufragia, in quibus amisit merces suas ac bona; sed ille, salvus et incolumis, collucta[n]s cum undis, littus tenuit. Et va ticinationi respondit eventus; quia ille in terra, lecto aeger decumbens, e vita discessit.....

15.us TESTIS

Antonius de Pina Coëglio, lusitanus, natus Coccini, filius Benedicti Coëglio de Pina et Isabella Nobrega, oppidi de Stremos, nobilis, qui fuit judex ordinarius civitatis coccinensis, coniugatus, et incola eiusdem loci, et vivit ex suis bonis.....

Dixit esse annorum 46.....

Juxta XI.um interrogatorium, respondit se audivisse a dicto suo patre, et a Catharina Fernandez ipsius consanguinea, quae saepius confessa est sua peccata Patri magistro Xaverio, et illum cognouit optime, quod dictus Pater erat vir sanctus, et pro tali fuit habitus et reputatus ab omnibus.

Juxta 14.um, respondit se audivisse a dicto suo patre, qui illum vidit suis propriis oculis, cum dictus Pater Xaverius fuit sepultus in insula Sanciani, et exinde eius corpus fuit effossum ut transportaretur Goam, ubi reconditum permanet in collegio sancti Pauli.

Juxta 16.um interrogatorium, respondit se semper audivisse ab omnibus Patrem Xaverium esse in summa veneratione et cultu; et ipse testis praecipua devotione illum colit et invocat, ac eius patrocinium in suis deprecationibus implorat, propter fiduciam quam in dicto Patre positam habet; et semel, eius divinam opem ac patrocinium in periculoso naufragio ac magna necessitate invocans, illud fuit expertus, prout infra enarrabit.

Cum solverit ipse testis e portu Coccini, oneraria vectus navi Emanuelis de Silva, incolae Bengallae, quo ipse testis pergebat, in ipsa navigatione, saeva tempestate coorta, fractis antennis, malis aliisque armamentis navis abreptis, mercium jactura jam facta,

vectoribus et nautis omnibus in ultimo vitae discrimine positis, ipse testis caeterique vectores divinam Xaverii opem imploraruntt, illum proprio nomine invocando, ut ipsos a tam certo vitae periculo eximeret; et ecce quod mira res contigit, et ab ipsis vectoribus pro miraculo habita [e]. Turbato vehementer mari, immensi fluctus imminebant, qui navim prorsus obruere videbantur. Verum, implorantibus omnibus Xaverii nomen, repente fluctus retroagebantur et a navi secedebant circum circa, quare navis emergebat; quando tamen nomen Xaverii invocare negligebant, s[a]evientes rursus mari fluctus impetum faciebant in navim, et eam undequaque obtegebant, quam rem omnes pro evidenti miraculo habuerunt.

Juxta 19.[um] interrogatorium, dixit se audivisse a dicto suo patre Benedicto Coëglio, quod, navigans in Sinas ex India, habuit navigationem perdifficilem et solito longiorem, qua de causa sex aut 7.[m] personae in morbum inciderunt; sed, appellente navi portum Sanciani, in qua insula dictus Pater Franciscus Xaverius e vita discessit et fuit sepultus, descendentes e navi, aegros eos duxerunt ad sepulchrum, in quo dictus Pater Franciscus fuerat sepultus. Tunc aegri dicti sepulchri terram acceperunt manibus, et eam, implorata divina Xaverii ope, super capita sua jecerunt, et statim omnes recuperarunt sanitatem.....

Juxta 12.[um] articulum, dixit se audivisse a dicto suo patre, qui cognovit et vidit dictum P. Franciscum Xaverium suis propriis oculis, quod dictus Xaverius Goae plateas et vias publicas tintinnabulo circumibat, pueros doctrinam christianam erudiens, quod et fecit in civitate coccinensi; et audivit dictum P. Franciscum Xaverium hoc idem fecisse in Lusitania; et quod invisebat hospitalia et magna charitate aegros juvabat, et in ipsis hospitalibus habitabat, et ea, quae ipsi mittebantur ad victum, erogabat in pauperes.

Super 42.° articulo, dixit se audivisse a personis fide dignis, quod Pater Xaverius promiserat Didaco Pereira, quod dicti Didaci navis Sanctae Crucis non erat interitura mari, sed perituram

---

[e] habito *ms.*

navali, prout vaticinationem eventus postea comprobavit. Navis enim ipsa Coccini in statione sponte sua dissoluta interiit. Et Georgius Nunez Magiel, Coccini civis nobilis, habuit celocem, in qua erat tabula quaedam illius navis, quam Pater Xaverius promiserat non interituram esse in mari, coagmentata; et dicta celox multas navigationes fecit, et ex magno periculo atque naufragio semper evasit. Et saepe dictus Georgius Nunez est ausus facere navigationes periculosas et perdifficiles cum dicta sua celoce; qua de re reprehensus ab amicis, respondebat magna fiducia, quam in Xaverio positam habebat, suam celocem non esse interituram mari, quia in illa affixa erat tabula navis Sanctae Crucis, vaticinatione et benedictione Xauerii insignis, et in qua sanctus Pater toties navigaverat. Et vere ita contigit, quia supradicti Georgii Nunez celox mari non periit; sed, post multa naufragia et pericula maxima, incolumis appulit portum Coulani, et in navali illius, post multos annos, ut ipse testis vidit, interiit.....

DIE VERO 20 JULII 1616

IN LOCO SUPRA EXPRESSO.....

16.us TESTIS

Fulgentius Aloysius, lusitanus, viduus, natus in oppido de Goës, custos civitatis, populi suffragio electus, vivit ex suis bonis.....

Dixit se esse annorum 60.....

Juxta XI.um, testis dixit se 40 abhinc annis audivisse a personis fide dignis, quae cognoverunt et viderunt eum, P. Franciscum Xaverium fuisse virum sanctum et pro tali ab omnibus habitum.

Juxta 16.um, dixit se scire quod vniuersus populus dictum Patrem habet in veneratione, et quod ille fuit christianae fidei acerrimus defensor, et penetravit in Japponiam et Sinas ad disseminandum ethnicis Christi evangelium.

Juxta 19.um, dixit se audivisse a viris fide dignis, quod, navigans dictus Pater in Sinas, deficiente aqua ad bibendum, vecto-

ribus navis jussit impleri dolia et vasa omnia dictae navis aqua salsa maris; quae implentes vectores et nautae, mediante intercessione et benedictione dicti Patris Xaverii eam aquam invenerunt dulcissimam; et cum postea aliam maris aquam assumerent, repererunt eam salsam.....

Super 42.° articulo, dixit se a viris fide dignis audivisse quod, navigans dictus Pater ex Japponia in Sinas, excitata fuit vehemens tempestas, et in ea navis amisit scapham, qvo casu navis vectores, magno moerore afflictos, dictus Pater consolatus, bono animo esse jussit et confidere in Deo, quia filia remeatura erat ad matrem, ut vere contigit; quia scapha post aliquos dies recta, eadem tempestate vigente, precibus dicti Patris incolumis remeavit ad navim.....

### 17.us testis

Petrus Henriquez, lusitanus, natus in oppido Oëiras, et incola Coccini, vivit ex suis bonis et comercio more indiano, ut asseruit.....

Dixit se esse annorum sexaginta plus minus.....

Et juxta XI.um, dixit testis se audivisse a multis viris fide dignis in omnibus locis, quibus ipse fuit, dictum Patrem Franciscum fuisse sanctum et pro tali ab omnibus habitum, de quo magna miracula et laudes narrabantur tanquam de viro sancto; et ipse talem illum semper habuit.

Juxta 16.um, dixit se audivisse a multis viris fide dignis dictum Patrem Xaverium fuisse propugnatorem et propagatorem christianae fidei; ac, adductum zelo salutis animarum, penetrasse in oram Piscariam, Malacam, Molucas, Japponiam et in Sinas; et maxime desiderasse gloriam martirii ob praedicationem evangelii.

Juxta 18.um et 19.um, fuit instructus quid esset miraculum; et dixit se audivisse a multis viris fide dignis, et de eo esse in tota India et fuisse publicam vocem et famam, quod quadam navigatione lusitanus homo, alea ludens, amisit pecunias suas et alienas sibi creditas. Igitur, inops consilii et mentis impotens ob amissas pecunias, in cogitationem diabolicam incidit suspendendi se vel praecipitandi corpus in profundum maris; quam homi-

nis desperati cogitationem Xaverius, qui erat in eadem navi, divino edoctus spiritu, introspiciens, percunctatus est cur ita angeret[ur]. Respondit aleator se positum esse in magna desperatione vitae, quia amiserat ludendo, non solum sua, sed aliena bona. Tunc Pater Xaverius quinquaginta pardaos, scilicet nummos, ab amicis quaesitos, reddidit aleatori et ludum repetere iussit. Aleator, animatus a Xaverio, qui lateri assidebat ludentis, cuncta statim et in eo temporis momento recuperavit, sua videlicet et aliena quae prius amiserat; et pergentem ludere P. Xaverius inhibuit, dicendo se non teneri ad alia, nec illum esse jussum ludere ad lucrandum alienas pecunias; quo miraculo adductus aleator, praeceptis Xaverii paruit, et honestam vivendi rationem incoepit imposterum, et ex eo tempore aleam in manus numquam sumpsit; et vectores navis hanc rem pro miraculo habuerunt. Et de reliquis interrogatoriis illi lectis se scire tantum quantum supra deposuit.

Super 42.° articulo, respondit se audivisse a viris fide dignis quod, cum P. Franciscus Xaverius esset Malacae, inimica classis acenorum, e regione posita, nostris malacensibus magna damna intulit. Cum vero eo tempore non esset Malacae classis valida ad pugnandum cum acenis hostibus, videns Xaverius quod nostri lusitani erant timore correpti, eos animavit ad suscipiendum bellum illud contra hostes, et nonnulla navigia comparavit, et, milites exhortatus ad victoriam, Deo duce, in inimicam classem bono animo pergere jussit; quo facto milites nostri alacres petiuerunt hostem. Postea Xaverius die dominica, concionem habens populo, illi commendavit ex suggestu ut recitarent orationem dominicam et salutationem angelicam propter victoriam, quam nostra classis in illa hora retulit de acenis hostibus; quae res ita evenit; quia paucis post diebus nostra classis appulit portum Malacae cum victoria.

Dixit amplius ipse testis, se audivisse a viris fide dignis, et de eo esse et fuisse publicam vocem et famam, quod dictus Pater Xaverius in Japponia illuminavit quemdam virum mercatorem, caecum a multis annis, recitato super illum quodam evangelio, qui, hoc miraculo viso, cum tota sua familia et multis

japponibus illius loci, se converterunt ad fidem, et a dicto Patre fuerunt baptizati.

Praeterea, dixit testis se audivisse per totam Indiam a viris fide dignis quod, cum navigaret Xaverius ex Japponia in Sinas, atroci tempestate coorta, navis, qua ille vehebatur, amisit scapham; et videns Xaverius omnes navis vectores maximo moerore affectos ob amissam scapham, esse bono animo iussit, eos consolatus, quia filia debebat remeare ad matrem, prout vere contigit, quia post paucos dies scapha salva et incolumis precibus Xaverii ad onerariam rediit.

Insuper dixit testis quod, cum esset in oppido Tanazarim [f], vidit Franciscum de Aguiar, navarchum, qui saepius navim gubernavit in qua erat Pater Xaverius, atque eius fuit amicus; et dictus gubernator tunc appulit portum Tauai, 20 leucis distantem ab oppido Tanassarim, una vectus ciampanigua (quod est quoddam genus naviggiuli instar scaphae), vetustate labefactata et cariosa. Saeva vero tempestate coorta, adeo difficilem habuit navigationem, ut aliquot maumettani nautae caeterique vectores navigii de vitae salute [g] desperaverint. At gubernator, in illa omnium trepidatione et in tam atroci tempestate intrepidus, canebat magna cum fiducia. Quam rem maxime demirantes nautae, interrogarunt dictum gubernatorem cur tam sedato animo et tanta fiducia in illo evidenti vitae periculo esset; quibus respondit dictus gubernator, se magnam fiduciam habere in benedictione et vaticinatione sibi facta a Patre Xaverio in quadam navigatione, scilicet quod non interiturus esset mari, sed in terra; et quod nulla navis, quam ipse gubernaret vel qua veheretur, esset peritura in mari, quamdiu ipse esset in illa. Qua fiducia plenus, eam tempestatem et periculum aspernabatur; ita ut, hoc audientes nautae maumetani, promiserint se velle amplecti Christi fidem et baptizari, prout vere baptizati [sunt]. Et ipse testis haec omnia vidit, et locutus fuit cum dicto gubernatore, Francisco de Aguiar, qui omnia etiam narravit in oppido Tanassarim.

Dixit amplius ipse testis, se audivisse a dicto gubernatore,

---

[f] *Sic; paulo inferius dicitur* Tanassarim. [g] salutae *ms.*

Francisco de Aguiar, et ab aliis viris fide dignis, quod dictus Pater Xaverius promisit navim Sanctae Crucis, in qua ille navigabat, non interituram esse mari, sed in navali perituram; et ita contigit prout dictus Pater vaticinatus est....

DIE 21 JULII 1616

IN EODEM LOCO SUPRA EXPRESSO.....

18.us TESTIS

Paulus Pico, oppidanus, coniugatus et incola Coccini, qui fuit functus munere portitoris eiusdem civitatis; vivit ex suis bonis, ut asseruit.....

Dixit se esse annorum 60 et ultra.....

Juxta 18.um et 19.um, fuit instructus quid esset miraculum, et dixit se audivisse a magistro ipsius navis quod, cum navigarent ex Japponia ad Sinas, atroci tempestate coorta, navis amisit scapham, cuius casum navis vectores collacrymantes, P. Franciscus Xaverius [eos] est consolatus [et] jussit esse bono animo et confidere in Deo, quia filia reversura esset ad matrem, prout vere contigit; scapha namque ad tres inde dies incolumis precibus Xaverii ad onerariam rediit...:.

19.us TESTIS

Frater Joseph a Nativitate Domini, professus ordinis sancti Dominici, praedicatorum, lusitanus, filius Francisci Sanchez et Violantae Spinolae eius coniugis, natus in civitate machaënsi, qui, ut asseruit, celebrat quotidie missam in suo monasterio.....

Dixit esse annorum 40.....

Juxta XI.um, dixit testis se semper audivisse a personis fide dignis P. Franciscum Xaverium fuisse sanctum et pro tali ab omnibus reputatum esse.

Juxta 13.um, dixit se audivisse a suo patre, Francisco Sanchez, saepe, quod suis propriis humeris vexit in sepulchrum Patris Xaverii corpus, et illud humavit in insula Sanciani; et saepe ipsi testi dixit: o fili! scias meis humeris vexisse in sepulturam magnum illum sanctum, quem vidi facere multa miracula.

Juxta 15.um, dixit se semper audivisse a viris fide dignis corpus dicti Patris Francisci fuisse receptum Goae magna veneratione ac devotione totius civitatis, quae concurrit ad videndum et deosculandum pedes eius; et quod don Fr. Alexius Meneses, archiepiscopus primas, magna devotione, adivit collegium sancti Pauli, Goae, et petiit a Patribus Societatis Jesu vellent illi ostendere corpus sancti, ut de illius meritis relationem mitteret ad pontificem. Et de reliquis illis lectis dixit se nihil aliud scire.

Super 12.° articulo, dixit se audivisse semper a viris fide dignis quod dictus Pater Xaverius, dum vixit Goae, se exercuit in operibus charitatis, invisendo hospitalia, concionando et instruendo publice per plateas pueros de disciplina christiana.

Super 13.°, dixit se audivisse a viris fide dignis quod dictus Pater Xaverius adivit oram Piscariam et in illa aedificavit ecclesias, et Christi evangelium denunciavit infidelibus, et eos convertit ac baptizavit; et hoc idem fecit in ora Travancoridis.

Super 14.°, dixit se audivisse a personis fide dignis quod dictus Pater Xaverius, zelo salutis animarum accensus, ad ulteriora Orientis loca penetravit, nimirum Malacam, in Molucas insulas, Japponiam et Sinas, et in illis regnis denunciavit Christi evangelium; et magnos sustinuit labores, vitae periculis se exposuit ob christianae fidei praedicationem.

Super articulo 42.°, dixit se audivisse a suo patre quod dictus suus pater audivit a P. Mtro. Francisco in una concione, quam faciebat Malacae: fratres, gratulamini Deo, authori victoriae quam nostri in hac hora retulerunt de acenis; et paucis post diebus appulit portum classis nostra victrix; et compertum fuit victoriam fuisse habitam eadem hora, qua dictus Pater Xaverius de suggestu praedixerat.

Dixit amplius, se similiter audivisse a dicto eius patre, quod, cum navigaret in Sinas, in navi Sanctae Crucis, qua vehebatur similiter dictus Xaverius, deficiente aqua vectoribus propter malaciam, quae multorum dierum spacio navim morata est in itinere, dictus Pater Xaverius jussit vectoribus adimpleri dolia et vasa navis aqua salsa maris, quod factum fuit; et cum eam benedice-

ret, omnes vectores ac navis nautae dulcissiman illam reperererunt, atque ita extremae eorum necessitati subventum est.

Dixit etiam ipse testis se multa alia miracula, intercessione ac meritis Xaverii facta, audivisse a suo patre, qui ea enarrabat, sed illorum non recordabatur ad praesens ob longos annos.....

20.us TESTIS

Fr. Ignatius sancti Dominici, professus ordinis praedicatorum, lusitanus, natus Ulyssiponae, filius Emanuelis Pires et Isabellae Gonzalves, eius coniugis, incolarum Ulissiponae.....

Dixit se esse annorum 33; et quod quotidie celebrat in suo monasterio,....

Juxta XI.um, dixit se audivisse in Lusitania a Patre Ignatio, martyre [h] Societatis Jesu, quod ille docebat eamdem doctrinam christianam, quam P. Franciscus Xaverius docebat in India; et hoc dicebat ipse ad commendandum eam doctrinam, tanquam institutam a viro sancto.

Juxta 16.um, dixit se audivisse ab aliquibus personis fide dignis, quod dictus P. Franciscus Xaverius fuit praedicator et defensor fidei christianae inter infideles, et quod, inflammatus zelo salvandi animas, venit ex Lusitania in Indiam; et hoc zelo ad australes partes, scilicet Malacam, in Molucas insulas, Japponiam et Sinas, penetravit ad denunciandum Christi evangelium.

Juxta 19.um, respondit quod, cum esset ipse testis in civitate machaënsi prope Sinas, audivit a Martino Teixeira, coniugi neptis Petri Vellii, qui cognovit dictum Patrem Xaverium et cum illo particularem familiaritatem habuit, quod, cum dictus Pater Xaverius semel peteret quamdam eleemosynam a dicto Patre Vellio ad opus pium faciendum, ille eam eleemosynam magni cum animi liberalitate Xaverio concessit. Quam liberalitatem admirans Xaverius, Vellio est pollicitus fore ut ille suum supremum vitae diem divinitus cognosceret. Et ita evenit prout Xaverius vaticinatus est; quia, Deo volente, de instante morte praemonitus, rem suam familiarem magna ex parte in pauperes divisit, et sacra

---

[h] martyris *ms.*

fieri ac solemnia mysteria celebrari pro anima sua iussit; et cum interfuisset sacro solemni, solenni ritu defunctorum celebrato, iacuit in pheretro defunctorum tapete coopertus; et, peracto sacro et responsorio defunctorum cantato a sacerdote, super illo sacerdos dixit: Requiescat in pace; quo dicto, accurrerunt famuli dicti Petri Vellii, ut auferrent tapetem ab eo, credentes dictum Vellium esse vivum, sed illum invenerunt vita functum. Quae res comprobauit Xaverii vaticinationem. Et de hoc in tota India fuit semper et est publica vox et fama. Et de reliquis interrogatoriis sibi lectis dixit se scire tantum, quantum supra dixit.

Super 12.° articulo, testis dixit se audivisse a viris fide dignis Patrem Xaverium, dum fuit Goae, conciones populo habuisse, hospitalia visitasse, ac etiam aegros magna ope iuvasse, et docuisse per plateas publicas [i] doctrinam pueros magna charitate.

Super 13.° articulo, dixit se audivisse a viris fide dignis, dictum Patrem Xaverium fuisse primum qui adiuit oram Travancoris et Piscariae, et ibi praedicavit Christi evangelium infidelibus, et aedificavit ecclesias, et multos convertit ad fidem christianam, et exinde ad meridionales partes, scilicet Malacam, in Molucas, Japponiam et Sinas, penetravit; et fuit primus qui in illis partibus Christi evangelium denunciavit, et multos infideles baptizavit.....

## DIE 23 JULII ANNI 1616

### IN EODEM LOCO ET ECCLESIA SUPRA EXPRESSIS.....

### 21.us TESTIS

Petrus Martines, lusitanus, natus Ulyssipponae, magister navium per totam Indiam, et vivit ex suo munere.....

Dixit se esse annorum 89 et ultra.....

Juxta XI.um, dixit se audivisse a viris fide dignis, qui viderunt et familiariter egerunt cum P. Mtro. Francisco, illum esse sanctum et pro tali habitum fuisse ab omnibus.

Juxta 16.um, dixit se audivisse a viris fide dignis dictum Pa-

[i] publicam *ms.*

trem fuisse defensorem fidei, et Christi evangelii propagatorem inter infideles, et ab omnibus fuisse dilectum et aestimatum.

Juxta 18.um et 19.um, fuit instructus quid esset miraculum, et dixit se audivisse ex navarcho, qui dicebatur dello Stivale, quod, cum ille esset gubernator navis Sanctae Crucis, et navigaret Malacha in Sinas simul cum dicto Xaverio, in itinere puer quinque annorum, filius cuiusdam Sarangue, maumettani, navis iactatione prolapsus, in mare incidit. Deinde ad tres dies, quibus puer ceciderat in mare, maumetanum eius patrem valde moestum Pater Xaverius vocavit, et ab illo sciscitatus est causam cur ita m[o]ereret. Respondit Sarangue praedictus, quod suus filius quinque annorum inciderat in mare. Tunc ei dixit Xaverius: si volueris esse christianus, reddam ego tibi filium. Respondit se velle esse christianum; et ad tres inde dies, nondum sole exorto, visus et repertus fuit puer sedens super mensa marginis navis; quo miraculo adductus maumettanus Sarangue supradictus, se convertit ad fidem christianam una cum uxore et quadam serva eorum, quos Pater Xaverius baptizavit; et etiam baptizavit dictum puerum, quem appellavit Franciscum. Et de reliquis interrogatoriis dixit se scire tantum, quantum supra deposuit.

Super 14.° articulo, dixit testis se per multos annos fuisse in Molucis insulis, et alloquutum fuisse hominem indigenam illarum insularum, dominum cuiusdam oppidi satis insignem et nobilem, cum quo viro ipse testis usus est familiaritate magna, qui baptizatus fuit a P. Xaverio et appellabatur Franciscus Rosola. Et multoties ipsimet testi narravit se fuisse baptizatum a Patre Xaverio, ac totum illum populum oppidi eiusdem, cuius ipse erat dominus, et sibi a dicto Patre Xaverio dictum fuisse non defecturum nunquam esse a fide catholica, prout vere nunquam defecit, licet multas habuerit occasiones et contentiones cum infidelibus.

Super 42.°, dixit se audivisse a personis fide dignis, quae familiariter egerunt cum Petro Vellio, cive machaënsi, quem ludentem semel in vrbe Machao convenit Pater Xaverius, et ab eo petiit eleemosynam ad operam piam faciendam, cui dictus Vellius tradidit clavem arcae nummariae, auferre jubens quantos

vellet nummos. Xaverius autem, accipiens clavem, adivit domum Vellii, et ex arca deprompsit pecuniam sibi necessariam ad pium opus; et dicto Petro Vellio reddens clavem promisit, ob tam liberalem et pium animum, nunquam illi defutura ea quibus opus haberet; ut revera contigit, quantumcumque postea ei acciderint casus, quibus esset casurus in paupertatem, nisi omnes illum liberaliter juvarent; nec quicquam illi aliquando pro se et pro sua familia defuit.....

22.us TESTIS

Emanuel Dias Monforte, lusitanus, natus in oppido Monforte, coniugatus et incola Coccini, vir nobilis, qui functus fuit munere procuratoris regii ac dictae civitatis.....

Dixit se esse annorum 66 et ultra.....

Juxta XI.um, dixit se audivisse a viris fide dignis fuisse et esse publicum et notorium, quod Pater Franciscus fuit sanctus et pro tali habitus ab hominibus, in vita et post mortem. Et de reliquis interrogatoriis illi lectis dixit nescire.

Super articulo 13.°, dixit se audivisse a fide dignis quod dictus Pater adivit oram Piscariae et Travancoris, et ibi baptizavit multos gentiles et aedificavit ecclesias.

Super 14.° et 15.°, dixit se audivisse a fide dignis quod Pater Xaverius adivit partes meridionales, scilicet Malacham, Molucas, Sinas et Japponiam, et in illis regnis denunciavit Christi evangelium, et magnum etnnicorum numerum ad Christum convertit et baptizavit, et fecit multa miracula, quorum ad praesens non recordatur in particulari.....

23.us TESTIS

Benedictus Dias, lusitanus, in oppido de Borba, viduus, et nobilis, vivit ex suis bonis et comercio more indiano.....

Dixit se habere annos 70.....

Juxta XI.um, testis dixit se audivisse a fide dignis, qui cognoverunt et viderunt P. Franciscum Xaverium, illum fuisse sanctum, et pro tali habitum esse secundum opera quae faciebat. Et de reliquis interrogatoriis dixit nescire.

Super 42.° articulo, testis dixit se audivisse Machai a quodam viro, Petro Vellio, quod, cum ille semel luderet latrunculis, venit ad ipsum Pater Xaverius et ab eo petiit eleemosinam; sed dictus Vellius ei tradidit clavem arcae [j] nummariae, auferre iubens quantos vellet nummos. Dictus Pater Xaverius adivit domum illius, et ex arca Vellii praedicti deprompsit trecentum aureos plus minus, et Vellio reddidit clavem; qui postea adivit suam domum et, aperiens arcam nummariam, nullam pecuniam ex ea, quam in dicta archa habebat, cognovit defuisse; et cum sciscitaretur a P. Xauerio quantum auri abstulisset, dictus Pater respondit se deprompsisse 300 aureos. Tunc inquit Vellius se reperisse omnes nummos, quos habebat in archa, et nullos ex ea depromptos; et adjunxit quod ei tradidit arcae clavem eo animo ut pecuniam omnem sibi sumeret. Xaverius tunc Vellio dixit: ego vero, Velli, tibi in Dei nomine polliceor numquam illum tibi defuturum dum vixeris, et quod tibi semper suppeditabit abundanter, in quibusvis necessitatibus, quae tibi acciderint, ea quae tibi opus erunt; et omnes tibi liberali animo et voluntate largientur; et ita ipse testis vidit quod in suis necessitatibus omnes illum magna charitate iuvarunt.

Insuper audivit a dicto Petro Vellio, quod eidem dicebat aliquoties Pater Xaverius, ut flagello corpus percuteret aliquo, quod Vellius recusabat facere ob defectum delicatae naturae; et tunc dicebat ei Pater Xaverius velle se percutere corpus suum propter illum; et reperiebant dictum Patrem verberantem se inter latibula et navis impedimenta.

Item, dixit ipse testis se audivisse a fide dignis, quod P. Franciscus Xaverius benedixit navem Sanctae Mariae Angelorum et navem Sanctae Crucis, quibus ipse Pater vectus navigationes peregit; et praedixit eas non interituras esse in mari, sed perituras in navali. Et ita prorsus evenit; quia ambae perierunt in navali et per se dissolutae fuerunt; navis quidem Sanctae Mariae Angelorum Goae, et navis Sanctae Crucis Coccini.....

---

j arcem *ms.*

24.us testis

Franciscus Nunez, presbyter in sacris, natus Coulani, natione Malabaris, qui fuit vicarius eiusdem Coulani.....

Dixit se esse annorum 43, et ultra; et quod quotidie celebrat in hac majori ecclesia, aut in monasterio sancti Francisci.....

Juxta XI.um, dixit se audivisse a fide dignis P. Mtrum. Franciscum fuisse sanctum, et ab omnibus pro tali habitum esse.

Juxta 14.um et 15.um, dixit se vidisse, dum esset Goae, in collegio sancti Pauli Societatis Jesu loculum sacrum, in quo est repositum corpus Patris Xaverii, et deosculatus est dictum sepulchrum; et se ibi commendavit dicto Patri Xaverio sicuti vero sancto; et hoc idem multae personae faciunt, praesertim in eius die festo, ut ipse testis vidit, cum esset magnus concursus populi ad sepulchrum. Et similiter ipse testis deosculatus est cottam dicti Patris, tanquam reliquiam, magna cum veneratione.

Ad 16.um, respondit se audivisse a personis fide dignis, quod dictus Pater Xaverius fuit primus qui adivit oram Travancoris, et illis promulgavit Christi evangelium, et magnum populi numerum ad fidem christianam traxit, et eos baptismo lustravit; et aedificavit aliquas ecclesias. Et Christi fideles in magna devotione semper habuerunt et usque adhuc venerantur dictum Patrem, ita ut ipse testis, cum illic fungeretur munere vicarii, ibi aperiri fecerit puteum, ut posset subvenire siti tanti populi concurrentis, qui eo venit ad visitandum et adorandum quandam imaginem dicti P. Francisci Xaverii, quae est posita in illa ecclesia. Et tanta est devotio, quam universus ille populus habet erga Patrem Xaverium, ut, cum titulus ecclesiae sit Conversionis sancti Pauli, eam tamen modo nominant ecclesiam P. Francisci Xaverii.

Interrogatus iuxta 19.um, respondit se audivisse a fide dignis multoties, quod Pater Xaverius operatus fuit in vita multa miracula, et multa etiam post mortem; et in particulari ipse testis, cum esset vicarius illius ecclesiae praedictae imaginis Patris Xaverii, vidit propriis oculis quoddam miraculum quod ibi contigit, scilicet, quod, cum fungeretur munere thesaurarii praedictae ecclesiae homo quidam terrae indigena, natione nairus, nomine

Andreas, evenit ut egestate opprimeretur ob non soluta sibi stipendia muneris thesaurarii et curatoris ecclesiae [k], et sic sumpsit tintinnabulum et cortinas altaris ecclesiae praedictae, et ea secreto dedit in pignus. Sed statim sequenti nocte dicto christiano viro Sancti Thomae, penes quem erat tintinnabulum et ecclesiae cortinae pro pignore, per somnium ei apparuit beatus Xaverius, et dictum christianum acerrime reprehendit, et praecepit ei iterum reddere ecclesiae tintinnabulum et altaris ornamenta; quo viso, christianus homo attonitus, magno stupore fuit experrectus, et, attollens caput, oculis apertis vidit P. Franciscum Xaverium, qui statim e conspectu illius sublimis abiit. Et ubi primum diescere coepit, vir iste venit in ecclesiam, et tintinnabulum altarisque ornamenta ipsimet testi et ecclesiae officialibus tradidit, atque enarravit visum sibi in nocte proxime transacta successum. Quo miraculo divulgato [l] in populo, gratias Deo egerunt, et in devotione ac reverentia Patris Xaverii creverunt. Et de reliquis interrogatoriis, illi lectis et expresse declaratis, nihil aliud se scire dixit.

Super articulo 12.° Patris procuratoris huius causae, Blaxii Aloisii, dixit ipse testis se audivisse a personis fide dignis quod Pater Xaverius, dum fuit Goae, praedicavit evangelium in dicta civitate, et erudivit pueros de doctrina christiana per vias publicas et plateas, et hospitalia visitavit aegrosque omni ope juvavit, et noctu signo tintinnabuli excitabat christianos ad orandum Deum pro animis purgatorii; et haec omnia faciebat quocumque ibat.

Super 13.° articulo, dixit se audivisse a fide dignis, quod Pater Xaverius adivit oram Travancoris et Piscariam, ductus zelo trahendi ad Christi fidem illum populum; et in illis locis denunciavit christianam fidem, et convertit ad fidem Christi multos infideles, quos baptizavit.

Super 14.° articulo, dixit ipse testis se audivisse a personis fide dignis, quod dictus Pater, ductus zelo salutis animarum, ad

---

[k] *In ms. additur* rei; *infra, testis 38.us addit* Cottatae. [l] devulgato *ms.*

ulteriora loca penetravit Orientis, scilicet Malacam, in Molucas, Sinas et Japoniam, quibus in regnis disseminavit Christi evangelium et multos gentiles traxit ad fidem christianam.

Super 42.° articulo, dixit ipse testis se audivisse a fide dignis, quod dictus Pater Xaverius, dum vixit, habuit donum prophetiae, et praedixerat res futuras. Insuper dixit ipse testis se, cum moraretur in loco Cottatae, audivisse ab universo populo illius, et orae Travancoris, quod dictus Pater Xaverius patrabat illic multa miracula, tum in christifidelibus tum in gentilibus, quod multi aegri diversorum morborum, venientes ad ecclesiam et ibi imagini Xaverii se commendantes, recuperabant sanitatem pristinam. Et non solum christiani, sed etiam gentiles aegrotantes efficiebantur sani, et offerebant ibi sua animalia, et boves aegros et mancos, et magna cum fiducia dicto sancto Patri Xaverio commendabant, qui redibant sani et validi. Et multae mulieres steriles et infoecundae, adeuntes ad dictam imaginem Patris Xaverii et implorantes ibi illius divinam opem, efficiebantur foecundae et procreabant filios.

Audivit etiam ipse testis ab universo populo illius, fuisse illic quemdam virum gentilem, qui, videns magnam devotionem christianorum in offerendo imagini dicti Patris Xaverii lampades cum oleo, volens ethnicus hunc morem pium illudere, infudit aquam, loco olei, in unam lampadem, et quod illa aqua coepit lampas ita ardere, ac si oleum haberet; qua re visa, credens ethnicus stupinum esse madefactum oleo, sumpsit aliud novum et, immergens illud in aquam, reposuit in lampade, quod nihilominus exarsit ac si esset in oleo. Et hoc miraculum divulgatum fuit per totam illam oram Travancoris. Et tanta devotione christiani et gentiles supradictae orae colunt et venerantur P. Franciscum Xaverium, ut [m] affirmavit ipse testis, quod, cum esse[n]t in interioribus locis illius orae duodecim ecclesiae, omnes fuerint destructae et labefactatae, quin eas renovaverint aut de novo restituerint; et solum ecclesiam, ubi est posita imago Patris Xaverii, sustentarunt magna cum devotione. Praeterea dixit se audivisse in promontorio

---

[m] et *ms.*

Commorini, in oppido Mutano, a tribus christianis senibus magna fide dignis, qui praesentes fuerunt miraculo, quod, cum ibi esset P. Mter. Franciscus Xaverius, vitam restituit mortuo, qui erat iam condendus in sepulchro; et quod de hoc erat apud omnes, fuit et est publica vox et fama.....

DIE 26 JULII ANNO 1616

EODEM LOCO ET ECCLESIA QUIBUS SUPRA.....

25.us TESTIS

Pater Antonius Mendes, sacerdos Societatis Jesu, natus Malacae, filius Roderici Fidalco et Catharinae Mendes eius coniugis.....

Dixit se esse annorum 40, et quotidie celebrare in suo collegio Matris Dei.....

Juxta XI.um, testis dixit se audivisse a fide dignis, quod P. Franciscus Xaverius fuit sanctus et pro tali habitus ab omnibus in vita et post mortem.

Juxta 14.um, dixit se audivisse quod corpus dicti Patris est repositum Goae, in collegio Sti. Pauli Societatis Jesu.

Juxta 16.um, dixit esse publicam vocem et famam de sanctitate eximia Patris Xaverii, et omnes habere particularem devotionem erga dictum Patrem Xaverium; et quod ille fuit propugnator fidei catholicae; et ductus zelo salutis animarum in ulteriora Orientis regna penetravit, videlicet Malacam, in Molucas, Sinas et Japponiam, quibus in regnis denunciavit infidelibus Christi evangelium.

Juxta 19.um, dixit [n] se multoties audivisse a P. Paulo Gomez, eiusdem Societatis Jesu sacerdote, qui narrabat se, cum esset puer, fuisse instructum doctrina christiana per Patrem Xaverium, quod dictus Pater Xaverius utebatur dicto Paulo, iubens ei docere doctrinam christianam in ecclesia populum, facto prius signo crucis, quod saepe faciebat eius consuetudine. Interdum vero Xaverius, volens docere doctrinam christianam in majori

---

[n] die dixit *ms.*

ecclesia, ad eum confluxit magna multitudo populi utriusque sexus; verum dictus puer Paulus tali verecundia fuit affectus, ut non fuerit ausus comparere, sciens quod Xaverius jussurus erat ei docere doctrinam, ut de more alias faciebat. Et hoc timore, clanculum se surripiens, abscondit se in baptisterio. Volens tamen Xaverius incipere doctrinam, vocavit dictum puerum, ut, facto signo crucis de more, doctrinae christianae documenta traderet, quo non respondente, Xaverius confestim adivit baptisterium, in quo dictus puer delitescebat, et, manibus eum apprehendens, ei jussit doctrinam facere. Et hoc factum, sibi successum in pueritia, enarrabat dictus Pater Paulus; et affirmabat quod Xaverius non poterat alio modo scire quod ipse delitescebat in baptisterio, nisi spiritu prophetico, cum ipse nulli hoc indicasset, neque aliquis eum vidisset cum se ibi abscondit.

Audivit etiam saepe testis a dicto Paulo quod, cum puer esset, suis propriis oculis conspexit Malacae, quando primum Pater Xaverius venit in eam civitatem, quod incolae malacenses petiverunt portum ad excipiendum eum, magna cum laetitia acclamantes: «Venit Pater sanctus». Similiter adibant portum, ad excipiendum et videndum Xaverium, gaudio et laetitia mulieres cum filiis et nutrices cum infantulis; et Xaverius tunc, vocans pueros nomine ipsorum proprio, quaerebat ab eis de salute suorum patrum ac matrum; quod factum dictus Paulus et multi alii reputabant miraculosum, et pro tali habebant, et quod non poterat Pater scire ea tot puerorum nomina nisi ex divino miraculo, quoniam Pater Xaverius a nemine fuerat eruditus de dictorum puerorum nominibus, neque eos viderat aliquando.

Insuper audivit testis a fide dignis et consanguineis pueri, cui contigit factum, quod sequitur: Puer, nomine Franciscus de Chaves, natus Malacae, incidit in morbum adeo periculosum, ut, desperata a medicis valetudine, examinatus ac proximus fuerit morti. Accessit ad eum Pater Franciscus Xaverius, ei vitam restituit, et subito convaluit; et hic puer fuit postea ingressus Societatem Jesu. Et de hoc fuit et est publica vox et fama.

Super articulo 12.°, dixit ipse testis se audivisse a fide dignis, quod dictus Pater Franciscus Goae praedicavit, docuit do-

ctrinam per vias publicas, hospitalia visitavit, et aegros charitate juvavit, et in multis aliis piis operibus se exercuit.....

### 26.us TESTIS

Pater Didacus Gonzalves, sacerdos Societatis Jesu, natus in oppido de Mondego, territorii Villae Real.....

Dixit se esse annorum 52 plus minus; et celebrare quotidie in suo collegio Matris Dei.....

Juxta XI.um, testis dixit se audivisse a fide dignis et religiosis viris, quod P. Franciscus Xaverius fuit missus in Indiam a beato Patre Ignatio, fundatore Societatis Jesu, et quod semper fuit habitus et reputatus ab omnibus sanctus.

Juxta 14.um interrogatorium, dixit testis se fuisse in collegio sancti Pauli Goae quatuor annis, in quo est reconditum corpus dicti Patris Francisci, et 2.da Decembris celebratur dies festus illius in eadem ecclesia ubi est repositum eius corpus.

Juxta 16.um, respondit se audivisse a fide dignis, quod P. Franciscus Xaverius fuit fidei catholicae propugnator, et propagator evangelii in tota India, et praecipue inter infideles, et habuit magnum zelum salutis animarum; et quod christiani orae Travancoris particularem devotionem habent erga Patrem Xaverium.

Juxta 19.um, dixit se audivisse a fide dignis in dicta ora Travancoris, quod, invocato nomine P. Francisci Xaverii, eiusque ope implorata, multa sunt facta miracula in ora supradicta; et de his fuit et est in illis partibus publica vox et fama. Et de aliquibus horum miraculorum ipse, cum esset vicarius in illis locis, inquisivit, et invenit ea esse vera; et in particulari vidit ibi mulierem malabaricam coniugatam, quae adeo aegrotavit, ut amiserit usum loquelae per multos menses, pro cuius salute illius cognati fecerunt uotum Patri Xaverio, cuius opem praedicta foemina implorans, repente convaluit, et facultatem loquendi obtinuit, et dixit cognatis sibi dilatam sanitatem fuisse quia non solverant votum quod promiserant; ideoque iussit eis ut voto satisfacerent, quoniam ipsa recuperaverat integram sanitatem.

Eodem tamen tempore quo miraculum hoc contigit, et eadem

hora in qua foemina praedicta reddita fuit sana, curatori cuidam ecclesiae eiusdem loci, et mulieri [o] aliae, qui erant extra domum praedictae foeminae aegrotae, utrique simul apparuit P. Franciscus Xaverius una cum pueris doctrinae eum comitantibus, quasi transiret per illum locum, et dixit eis: huc venio ad patrandum quoddam miraculum; et tum curator, tum mulier, de hoc examinati, affirmarunt cum juramento se hanc visionem vidisse.

Item, dixit testis quod, cum perlustraret interiora loca orae Travancoris, visitando christianos in locis de Nanginar, invenit mulierem malabaricam, tunc morbo jacentem, et famula quaedam illius vocavit ipsummet testem dum illac transiret, et dixit quod eius domina aegrota expectabat eum ad confitendum sua peccata; et quod, laborans illo morbo, votum fecerat Patri Xaverio, invocans illum pro sanitate recuperanda. Postea vero dictus Pater Xaverius ei se obtulit videndum, ei dictam aegrotam admonuit de morte propinqua ex eo morbo; et, aegram solatus, dixit, antequam ipsa e vita discederet, quemdam sacerdotem Societatis Jesu eam invisurum [p], cui possit aegrota expiare sua peccata. Quod ita prorsus evenit; quia dicta mulier aegra, cum ipsimet testi sua peccata confessa est, hanc ei narravit visionem. Et haec visio contigit eo tempore, quo loca dictae orae Travancoris erant depopulata et devastata causa belli, et nulla aderat spes tam cito ea colendi. Dicta vero christiana aegra erat nuper ad fidem Christi conversa, et nondum apud quemquam expiaverat peccata sua.

Super 13.° articulo, dixit testis se audivisse a personis fide dignis quod dictus Pater Xaverius adivit oram Travancoris, et in illa multos infideles ad christianam fidem adduxit, et extruxit ecclesias. Hoc idem fecit in ora Piscariae. Et ipsa testis cognovit virum, nomine Carolum, quem baptizavit Pater Xaverius, hominem probae et christianae vitae, et tali vitae exemplo ab humanis discessit.

Super 52.°, dixit se audivisse a P. Emanuele Fonseca quod, cum esset vicarius ecclesiae oppidi Mampulin, dictae orae Travancoris, orta est contentio inter christianum quemdam et alium

---

[o] mulieris *ms.* [p] inuisuram *ms.*

ethnicum, qui revera christiano certam pecuniae summam debebat; sed christianus non poterat probare debitum coram judice. Qvare convenit uterque ut ethnicus juraret ante imaginem P. Francisci Xaverii se non debere illas pecunias christiano; quo pacto petiverunt ambo ecclesiam, in qua tunc dictus Pater Emanuel Fonseca erat paratus ad celebrandum missam, et ibi coram omnibus super imaginem P. Francisci Xaverii juravit gentilis se non debere supradictam pecuniam illi christiano. Et, hoc juramento facto, ethnicus rediit domum, sed repente magnam sanguinis copiam ore evomit, et statim expiravit; quod habuerunt gentiles pro miraculo, et pro supplicio Dei, ob periurium ante imaginem Xaverii factum. Et de hoc miraculo fuit et est publica vox et fama.....

## DIE 27 JULII ANNO 1616

### IN EADEM CIVITATE COCCINENSI ET ECCLESIA SUPRA EXPRESSA.....

### 27.us TESTIS

Pater Thomas a Gamboa, Societatis Jesu, natus Meliapor, filius Ignatii a Gamboa et Theodosiae de Goës eius coniugis.....

Dixit se esse annorum 24 et ultra.....

Juxta XI.um, dixit testis se audivisse a personis religiosis et magna fide dignis, quod P. Franciscus Xaverius fuit habitus sanctus in vita et post mortem, et in dicta civitate Meliapore apud omnes est in tali veneratione et cultu, ut in honorem illius aedificaverint quamdam capellam, in qua est posita imago dicti Patris Xaverii; et ex traditione ac fama seniorum dicitur ille ipse locus, in quo fuit hospitale ubi diversabatur Xaverius cum in illa civitate commorabatur.

Juxta 19.um, dixit se audivisse in dicta civitate Meliapore a personis fide dignis, et fuisse et esse publicam vocem et famam inter cives graves et magnae fidei, de miraculo, quod ibi Xaverius patravit, quod ipse testis etiam audivit ab ipsa muliere cui contigit, quae erat nobilis et honesta, et eiusdem civitatis incola; et narrabat quod, cum esset puella et gravi afflicta morbo jaceret, desperataque iam a medicis ipsius salute, et non solum proxima

esset morti, sed iam animam ageret, transeuntem forte per viam Xaverium, eum domestici et mater eius vocarunt, et puellam ei praesentarunt, deprecantes illum ut vellet recitare evangelium super dicta puella, pene vita functa. Dictus Pater Xaverius respondit adstantibus puellam ex illo morbo non esse morituram; et, recitato evangelio, sanctissimo crucis signo super illius capite expresso, statim et in illo eodem instanti dicta puella sanitati fuit restituta et repente convaluit.

Item, dixit testis se etiam audivisse a suo patre, Ignatio a Gamboa, quod, cum ille acciperet a sua socro quamdam coronam ad recitandum orationes dominicas et salutationes angelicas, quae fuerat dicti Patris Xaverii, simul ab illa audivit hoc miraculum, scilicet: quod fuerat Meliapore homo quidam, civitatis indigena, mercator navigationis Malacae, qui Patri Xaverio maxime erat devotus; et volens navigare Malacam versus, salutato Xaverio in digressu, adeo instanter petiit ab illo aliquid causa conservandae illius memoriae, ut Xaverius, ex collo detractam, precariam coronam dicto institori dederit, commendans ei ut dictam coronam magni aestimaret, et simul promittens illi quod, quamdiu illam apud se haberet, non esset in mari periturus. Quod prorsus ita evenit; nam in eadem navigatione Malacae, cum iam esset prope Malacam, longissime a Meliapore, navis, qua vehebatur, vi tempestatis abrepta, in mari periit. Et desiliens mercator supradictus cum nonnullis aliis vectoribus in quadam tabulata, quae ex lignis raptim composuerant, super illis vectus, in alto pelago, alienato a sensibus animo, deliquium passus est, in quo sibi videbatur propriis oculis conspicere P. Franciscum Xaverium, et cum illo colloqui in eodem illo loco, a quo profectus fuerat et a dicto Patre acceperat precariam coronam. Demum, velut ex alto somno experrectus et ab illo animi deliquio emersus, repente se vidit in littore Nagapatani, prope civitatem Meliaporae, salvum et incolumem, ereptum a fluctibus maris, cum tamen reliqui omnes, qui simul cum dicto mercatore in ea tabulata desilierant, a fluctibus absumpti essent, neque amplius comparuerunt. Affirmabat vero ipse testis quod, quinque ab inde dies postquam desiliit in ea tabulata, vidit se in litore civitatis Meliaporae positum, et quod

numquam amplius vidit ea tabulata, posteaquam illam animi exthasim passus est. Et de reliquis omnibus interrogatoriis nihil aliud se scire dixit.

Super 42.° articulo, dixit testis se audivisse a dicto suo patre Ignatio a Gamboa, quod apud Sinas illi narravit mulier quaedam indigena Sinarum, quod, cum Malaca navigaret ad Sinas, naufragium passa est in pueritia, sed ab eo divinitus liberata fuit intercessione beati Francisci Xaverii, qui eandem postea baptizavit, et ei nomen indidit Franciscae, et praedixit eam semper habituram necessaria ad vitam sustentandam, sed divitem nunquam futuram. Et affirmavit dicta Francisca praedicto suo patri, quod ita sibi prorsus contigerat, sicut Pater Xaverius fuerat vaticinatus.

Super articulo 52.°, testis dixit quod in aede sancti Thomae apostoli praedictae civitatis Meliaporae est quaedam imago beatae Virginis, ante quam P. Franciscus Xaverius in oratione pernoctabat, eumque, Dei parentem sanctissimam implorantem, daemones horrendo fremitu adorti verberibus, atrocissime caecederunt. Et hoc fuit et est publicum et notorium in dicta civitate, et constat ex publica voce et fama, et traditione seniorum eiusdem civitatis; et propter hanc causam illa beatae Virginis imago est habita et tenta in magna veneratione ac cultu ab universo illo populo.....

## DIE 28 JULII 1616

### IN EADEM CIVITATE ET ECCLESIA SUPRA EXPRESSA.....

### 28.us TESTIS

Dominicus Cardoso, natus Cocini, viduus, civis et incola huius civitatis, vivit ex suis bonis et comercio iuxta Indiae consuetudinem.....

Dixit se esse annorum 70 et ultra.....

Juxta XI.um, dixit se audivisse semper a viris fide dignis, qui cognoverunt et familiariter egerunt cum P. Francisco Xaverio, quod dictus Pater fuit sanctus et vitae miraculosae et sanctae, et pro tali habitus in vita et post eius obitum.

Juxta 16.um, dixit se audivisse a viris fide dignis, quod dictus Pater habuit magnum zelum salutis animarum, et fuit defensor fidei catholicae, et eam disseminavit inter infideles. Et in reliquis interrogatoriis sibi lectis dixit nescire.

Super 15.° articulo, testis dixit se audivisse a Didaco Pereira, nobili cive Goae, et ab alio milite, viro nobili, qui viderunt et familiariter egerunt cum dicto Patre Francisco, quod ille, ductus zelo adducendi animas ad christianam fidem, ad ulteriora Orientis regna, scilicet Malacam, in Molucas, Sinas et Japponiam, penetravit, et in illis regnis magnam multitudinem infidelium convertit et baptizavit.

Super 42.°, dixit se audivisse, cum esset adhuc puer, a viris fide dignis, quod Pater Franciscus Xaverius, habens concionem populo Malacae [q] in quadam die dominica, adstantibus dixit: fratres, agite gratias Deo magnas propter victoriam, quam nostra classis in hac hora retulit de acenis hostibus. Et veniendo ad paucos inde dies classe victrice in civitatem Malacae, repertum fuit quod lusitana classis de hostibus victoriam retulit eadem hora qua Pater ex suggestu vaticinatus fuerat.

Item, audivit etiam ipse testis a personis quamplurimis magna fide dignis, quae praesentes fuerunt et propriis oculis viderunt illud miraculum, quando navigabat Pater Xaverius ex Japponia in Sinas, quum propter tempestatem maris amisit scapham, et ipse suis orationibus obtinuit ut scapha post triduum ad navem rediret, salvis iis qui erant in scapha.

Item, audivit etiam testis a fide dignis, qui adfuerunt et viderunt cum Pater Xaverius benedixit navim Sanctae Crucis, in qua ipse navigabat, atque praedixit eam non esse interituram in mari, sed perituram in navali, prout evenit; nam dicta navis Cocini se ipsa dissoluta est in navali et ibi periit.

Item, audivit testis ipse a Francisco de Aguiar, gubernatore navium Indiae, quod Pater Franciscus Xaverius illi a Deo obtinuit, atque ita promiserat, fore ut in mari non periret, sed in terra moreretur. Et ita prorsus contigit; quia dictus Franciscus

---

[q] Malatiae *ms*.

de Aguiar tantum fidebat in promissione dicti Patris Xaverii, ut navigationes periculosas ac temerarias, hac fiducia subnixus, facere ausus fuerit; et ita prorsus contigit sicuti Pater Xaverius illi promiserat.

Item, audivit ipse testis a Francisco Pereira, filio Didaci Pereira, qui fuit magnus familiaris P. Francisci Xaverii, quod dictus Xaverius promiserat dicto Didaco Pereira, eius patri, fore ut necessaria ad uitam substentandam non deessent eius filiis. Et narravit supradictus Franciscus Pereira quod haec Xaverii vaticinatio in ipso fuerat comprobata; nam, habitans in civitate Goa cum sua uxore, tanta semel egestate oppressus est, ut nihil omnino haberent ad victum; cum forte transivit prope ipsius domum puer, qui cibos vendebat, quem cum vocaret dictus Franciscus Pereira, et cum eo conveniret de cibis illis emendis pro veste suae uxoris, nam nummos ob paupertatem non habebat, puer recusavit vestem accipere, et illi abunde suppeditavit omnes illas placentas, et reliquos cibos quos habebat, laeto vultu et gratia maxima, dicens se fidem habere eorum dictis, neque aliud quicquam curare, quam ipsis inservire et eorum necessitati. Quibus dictis, disparuit magna hilaritate, neque amplius rediit pro pecunia repetenda, neque unquam alibi visus fuit, licet quaesitus. Hunc casum, qui ipsis visus est miraculosus, supradictus Franciscus Pereira eiusque coniux attribuerunt promissioni atque praedictioni, quam P. Franciscus fecit Didaco Pereira, suo patri.

Item, dixit ipse testis se audivisse a fide dignis et quae propriis oculis viderunt, quod, quando corpus P. Mtri. Francisci, mense post obitum nono, Malacae, patefacto sepulchro, fuit defossum, repertum fuit velum et pulvinar, in quo dicti Patris caput erat reclinatum, recenti imbutum sanguine. Item, audivit a viris fide dignis, quod dictus P. Franciscus, cum esset in Japponia, in fine eiusdem concionis, venit ad illum mercator quidam, caecus a multo tempore, et petiit ut vellet sibi dare aliquod remedium ad oculos, quorum visu carebat; et dictus Pater, recitato quodam evangelio super illo, statim illi restituit oculorum lumen; qui, viso tanto miraculo, attulit tres filios, et petiit a P. Xaverio baptisma sacrum, et ab illo fuit baptizatus, etiam cum tota

sua familia; et multos alios jappones, propter hoc miraculum, dictus P. Xaverius in illo loco baptizavit.

Audivit etiam ipse testis a supradictis personis, quod mulier quaedam Goae, deosculata pedem dicti P. Francisci Xaverii, devotionis causa momordit digitum illius, et ex illo repente effluxit sanguis recens. Et de supradictis miraculis omnibus a se relatis dixit etiam fuisse et esse publicam vocem et famam.....

### 29.us testis

Jacobus Crucius, presbyter in sacris, natus in oppido Chanota, natione malabaris, incola Coccini.....

Dixit se esse annorum quadraginta, plus minus, et quod quotidie celebrat in templo beatae Virginis de la Guida.....

Juxta XI.um, dixit se audivisse generaliter ab hominibus, quod P. Franciscus Xaverius fuit sanctus, et pro tali habitus et reputatus in vita et post eius obitum.

Juxta 16.um, dixit se audivisse generaliter, quod P. Franciscus Xaverius fuit defensor fidei catholicae inter infideles, et fuit primus qui adivit oram Travancoris, et in illa denunciavit Christi evangelium, magnumque numerum ethnicorum ad fidem christianam aggregavit; et est in magna veneratione apud illam gentem caeterosque universae Indiae populos. Et haec audivit testis a personis fide dignis.

Juxta 19.um, testis dixit quod sibi narravit homo quidam malabaris, nomine Chiambaratecura, natus in oppido Moraleparvae, thesaurarius ecclesiae sanctae Crucis oppidi Colechae, qui, cum interdum festos ignes componeret ad dictae ecclesiae festivitatem celebrandam, pulvis sulphureus, inopinato igne accensus, ipsius praedicti vultum ita combussit, ut visum oculorum omnino amiserit, et nil prorsus cernere posset. Inter somniandum vero visus fuit palam conspicere P. Franciscum Xaverium, dicentem sibi ut ad visitandum ipsius ecclesiam iret; hac enim ratione accepturum se lumen oculorum. Et statim, e somno experrectus, ducem suscipiens ad viam, contendit in ecclesiam Cottatae, in qua est P. Xaverii posita imago; et cum, in ea commoratus, per 9 dies et assidua deprecatione Xauerii opem et patrocinium implorasset, cum esset

ante ipsius imaginem, repente, caligine excussa, pristinum oculorum lumen recepit, et rediit in domum suam sine duce aliquo, quae distabat a dicta ecclesia sex leucis. Et tantam devotionem ob hoc miraculum concepit erga [r] P. Franciscum Xaverium, ut in honorem ac laudes eius multa carmina et cantilenas lingua malabarica composuerit.

Item, audivit ipse testis a christianis orae Travancoris quod, volens homo ethnicus supradictae orae experiri utrum devotio christianorum erga P. Mtrum. Franciscum Xaverium in accendendis lampadibus ante illius imaginem esset vera, et utrum dictus Pater subveniret necessitatibus christianorum, in lampadem, quae ardebat in ecclesia ante Xaverii imaginem, infudit aquam, deiecto prius oleo e lucerna; et lampas aqua illa ardebat ac si esset oleum. Nedum tamen hac experientia satisfactus ethnicus, reputabat enim stupinum esse madefactum oleo, sumpsit novum alium et siccum, et, in aqua prius madefacto, reposuit in lampadem; et exarsit ac si oleum haberet.

Item, audivit ipse testis a multis viris fide dignis orae Travancoris, cum ipse illic esset, quod, cum mulier quaedam habitaret in loco Cottatae, quae se sustentabat ex olei mercatura, et habebat unum tantum bovem, qui versabat molam oleariam, et illius erat remedium ac lucrum, bos ille morbo fuit oppressus ut iam pene moreretur. Paupercula vero, praevidens damnum quod ei eminebat si bovem suum amitteret, adivit ecclesiam, in qua erat imago Patris Xaverii; et, illius invocans nomen et lacrymis opem implorans, fiducia magna clamabat: Pater Francisce Xaveri, opitulare mihi in tanta necessitate; et accipiens aquam benedictam, eam domum attulit, et magna devotione ac fide, quam positam habebat in Xaverio, aqua illa aspersit bovem, qua ille repente sanavit. Et ipse testis miraculum hoc audivit in eodem loco Cottatae, cum esset ibi vicarius; et de illo fuit et est publica vox ac fama.

Dixit etiam ipse testis, in conscientia sua intelligere quod, si populus ille christianus dictae orae Travancoris non esset ita de-

---

[r] ergo *ms*.

votus Patri Xaverio, actum jam esset de fide christiana in illa ora. In religione enim christiana confirmantur et perseverant propter multa miracula, quae P. Franciscus Xaverius perpetuo operatur, quibus conservat in illis eam fidem, ad quam ipse primus eos adduxit; ad quae etiam gentiles respiciunt, et christianos magni faciunt propter venerationem quam habent Xaverio. Porro veneratio et cultus christianorum erga ecclesiam, in qua est Xaverii imago supradicta, tanta est, ut, labefactatis reliquis ecclesiis, quae in interioribus locis extructae erant, hae[c] tantummodo, ubi est Xaverii imago, firma permansit.

Item, dixit ipse testis quod, cum esset vicarius loci Retturae, qui una supra viginti leucas distat ab oppido Cottatae, ubi est Xaverii imago, sci[s]citatus est multoties ab hominibus ac foeminis, qui, ut dictam imaginem inviserent, magno concursu ad illam ecclesiam veniebant, cur traherent filios suos, dictae imagini P. Xaxerii offerendos: respondebant ab se ductos esse filios, ut eos addicerent et voverent famulatui P. Francisci Xaverii, quoniam eiusdem intercessione ac meritis illos assecuti sunt. Necnon multi aegri, facientes vota P. Francisco Xaverio, et illius opem implorantes magna devotione ac fiducia, sanitatem statim recuperabant; quae miracula ipse testis propriis oculis vidit.

Item, dixit quod, cum ipse testis esset vicarius oppidi Morale, invisens mulierem aegram, ut ei expianti peccata sua admoveret aures, invenit eam moribundam et iam pene animam agentem ob venenosum piscem quem comederat, quem piscem alii comedentes statim mortui sunt. Verum ob fiduciam magnam, quam dicta mulier in P. Francisco Xaverio positam habebat, fecit illi votum quoddam et quatuor phanoos pro valetudine recuperanda promisit, et se supradictos nummulos aureos esse allaturam ad ecclesiam dicti P. Xaverii, et devoturam se illi in famulatum; ac repente sanitatem recuperavit perfectam.....

### 30.[us] testis

Antonius Gonsalves, natus Cocini, et incola eiusdem, viduus, qui se sustentat ex suis bonis et comercio more indiano.....

Dixit se esse annorum 80 et vltra.....

Juxta XI.um, testis dixit se cognovisse P. Mtrum. Franciscum, eiusque doctrinam audivisse cum ea[m] pueros docebat; et tunc erat publica vox et fama dictum Patrem esse sanctum, et pro tali habebatur ab omnibus; et quando eius corpus Coccini portum appulit, a Sinis delatum, universa civitas illud excepit solemni supplicatione a pueris floribus coronatis.

Juxta 16 um, dixit ipse testis se vidisse P. Mtrum. Franciscum Xaverium, qui Coccini docebat pueros disciplinam christianam, eisque praecipiebat interiora loca et pagos adire, gentiliumque templa invadere, et ab illis simulacra deorum amovere, et prostrata per terram ad se trahere, ut ludibrio tali confunderentur ethnici, et christiani magis confirmarentur; ac multos baptizavit gentiles; et in omnibus pietatis ac charitatis operibus se exercuit; invisit hospitalia et aegros pie iuvavit, atque etiam noviter conversos ad fidem christianam per domos nobilium virorum distribuebat, ut ab eis de cathechismo erudirentur. Et interrogatus super aliis interrogatoriis illi lectis, nihil scire dixit.

Interrogatus super 13.° articulo, dixit ipse testis se vidisse P. Xaverium, quando discessit ab hac civitate Coccini in oram Travancoris cum socio P. Henrico Henriquez, et istic adduxit multos ethnicos ad Christi fidem, ut postea constitit ex multis testibus fide dignis ex illa ora venientibus.

Super 42.°, dixit ipse testis se audivisse a personis fide dignis, quae praesentes fuerunt facto, quod, cum P. Mter. Franciscus Xaverius oneraria vectus navi navigaret, atroci tempestate excitata in illa navigatione ex Japponia ad Sinas, navis amisit scapham, et vectores navis maximo erant moerore affecti propter eventum. Quos solatus P. Xaverius, praedixit fore ut filia remearet ad matrem; et exinde ad tres dies, deprecationibus ac meritis Xaverii, scapha incolumis et salva remeavit ad onerariam.....

DIE 29 JULII 1616

IN EADEM CIVITATE ET ECCLESIA SUPRA EXPRESSIS.....

31.us TESTIS

Antonius Gomes, natus in oppido Torres Vedras, coniugatus et incola Coccini; vivit ex suis bonis et comercio more indiano.....

Divit se esse annorum 63.....

Juxta XI.um, dixit se scire ex publica voce et fama, quae erat in tota India, P. Franciscum Xaverium fuisse sanctum, et pro tali habitum esse ab hominibus.

Juxta 16.um, dixit se scire ex publica voce et fama P. Franciscum Xaverium fuisse concionatorem evangelii inter ethnicos, et penetrasse in oram Piscariam et oram Travancoris, et ibidem denunciasse gentilibus Christi evangelium ac multos baptismo lustrasse. Et de reliquis omnibus interrogatoriis, illi lectis et declaratis, nil aliud scire dixit.

Super 19.° articulo, dixit se audivisse a personis fide dignis, et esse publicam vocem et famam, quod P. Mter. Franciscus Xaverius in civitate goana se exercuit in operibus pietatis et charitatis, visitando valetudinarios, aegros pia ope iuvando, docendo pueros christianam disciplinam, et concionando.

Super 14.° articulo, dixit se audivisse, et esse publicam vocem et famam, quod dictus P. Mter. Franciscus Xaverius in ulteriora Orientis loca contendit, Malacham scilicet, in Molucas, Sinas et Japponias, et in illis regnis disseminavit Christi evangelium, et multos infideles ad christianam fidem baptismo aggregavit, multasque aerumnas et labores pro Christi evangelio denunciando sustinuit.

Super articulo 42.°, dixit se audivisse ex publica voce et fama a personis fide dignis, quod P. Mter. Franciscus Xaverius, cum navigaret in navi Sanctae Crucis, in quadam tempestate praedixit dictam navim non interituram in mari, sed in navali perituram esse, prout res postea vaticinationi respondit. Navis enim praedicta, nulla vi tempestatis agitata, sed tranquillo mari se commovens, in ipso portu haesit in navali Coccini, e regione

templi sancti Joannis, et ibi per se vetustate dissoluta est, prout ipse testis eam vidit.

Audivit etiam ipse testis a personis fide dignis, quod nobilis civis Coccini, nomine Georgius Nunez Mazziel, ob magnam fiduciam, quam in P. Mtro. Francisco habebat, cepit [s] tabulam navis Sanctae Crucis, et eam affixit in quadam sua celoce, qua perdifficiles et valde periculosas navigationes ausus est committere; et dicebat multoties suam celocem non perituram esse in mari, quae habebat tabulam navis, in qua P. Franciscus Xaverius toties navigaverat; et ita prorsus evenit. Celox enim in navali Corelani per se ipsam dissoluta interiit....

32.[us] TESTIS

Franciscus de Aguiar de Faria, natus Cocini, filius Andreae de Aguiar et Margarithae Camelae, ejus coniugis, lusitanus, coniugatus et incola eiusdem loci Coccini; vivit ex suis bonis et comercio more indiano.....

Dixit se esse annorum 25.....

Juxta XI.[um], testis dixit se audivisse a viris fide dignis, qui P. Franciscum Xaverium cognoverunt, quod dictus Pater fuit sanctus in vita, et pro tali habitus ab omnibus etiam post obitum.

Juxta 19.[um], dixit se audivisse a Consalvo Rodriguez de Valle, lusitano, nato Coccini et incola eiusdem, viro coniugato, quod P. Franciscus Xaverius, cum esset in ora Travancoris, ibidem in loco Coulano [t], prope promontorium Comorinum, ad vitam revocavit mortuum iam sepulturae traditum; et de hoc fuisse et esse publicam vocem et famam. Atque etiam in oppido Punicali orae Piscariae, prope Tutucurinum, alium vita functum ab uno die, satis notum, dictus P. Xaverius deprecatione parentum ad vitam revocavit. Et de reliquis interrogatoriis sibi lectis nil aliud se scire dixit.

Super 42.° articulo, dixit se audivisse a multis personis fide dignis quod, cum P. Mter. Franciscus concionem haberet Malacae in quadam die dominica, denunciavit malacensibus victo-

---

[s] coepit *ms.* [t] Coualano *ms.*

riam, quam retulerunt nostri lusitani de acenis, et dixit: fratres, gratulamini Deo, quia in hac hora devicerunt nostri classem acenorum. Quae res ita prorsus evenit, sicut Xaverius fuerat in concione vaticinatus, ut postea compertum fuit.

Audivit etiam ipse testis a Maria Emanuel, uxore ipsius testis, avi Francisci de Aguiar, navarchi de lo Stivale, quod, cum dictus gubernator navigaret cum dicto P. Xaverio ex Japponiis in Sinas, propter tempestatem, in qua omnes positi fuerunt in evidenti vitae periculo, dictus gubernator maximo moerore fuit affectus; et dictus P. Franciscus, eum solatus, promisit ei quod non esset in mari periturus, sed in terra erat moriturus, sicut prorsus evenit, quia dictus navarchus multoties navigavit magnaque naufragia passus est; ab evidenti discrimine vitae saepissime evasit propter magnam fidem, quam in dicto P. Mtro. Francisco habebat; et demum, a periculosissima maris tempestate liberatus, appellens ad portum Peguanum, in terra postea mortuus est.....

## DIE NONA AUGUSTI 1616

### IN EADEM CIVITATE ET ECCLESIA SUPRA EXPRESSIS.....

### 33.us TESTIS

Rodericus Costa de Abreu, lusitanus, natus in civitate regia elborensi, coniugatus et incola Coccini, vir nobilis, qui vivit de suis bonis et comercio more indiano.....

Dixit se esse fere 70 annorum.....

Juxta XI.um, dixit testis se audivisse a viris fide dignis, qui cognoverunt et familiariter egerunt cum P. Francisco Xaverio, quod fuit sanctus, et pro tali reputatus ab hominibus; et ipse testis 40 abhinc annis in hac civitate cognovit et allocutus est hominem, Franciscum de Aguiar, navarchum, ut appellant, delli Stivali, qui tantam habuit devotionem et fiduciam erga dictum P. Xaverium, ut cum dictus P. Franciscus in insula Sanciano, prope Sinas, e vita discessisset, dictus gubernator ocream illius acceperit, et eam secum afferebat pro reliquia; et magna fiducia, quam in dicto Patre positam habebat, sperabat quod Deus sibi

faveret in navigationibus et periculis, ac maris naufragiis eriperet. Et cum in hac civitate fuisset in carcerem coniectus, ad instantiam Patrum Societatis Jesu, ut eis traderet dictam ocream P. Francisci Xaverii, eam coactus et invitus tradidit. Et ipse testis saepe audivit a supradicto navarcho, non sine lachrymis, illum toleraturum potius fuisse ut sibi aures abscinderentur [u], quam tradere praedictam ocream: tanta erat fiducia et opinio sanctitatis, quam erga dictum P. Franciscum dictus navarchus habebat.

Juxta 14.[um], dixit quod commorabatur Goae tempore quo corpus dicti P. Francisci Xaverii, a civitate Malaca delatum, Goam applicuit, in qua fuit exceptum magno concursu populi, maximaque devotione et solemni pompa ac supplicatione totius civitatis ad collegium sancti Pauli, Societatis Jesu, fuit invectum, ubi fuit sepultum; et ipse testis, ob fidem et devotionem quam erga dictum Patrem habebat, in dicta ecclesia deosculatus est pedes illius; et hoc idem fieri vidit a totis civitatis hominibus.

Juxta 16.[um], testis dixit se audivisse a fide dignis, quod Xaverius fuit primus qui adivit insulas Molucas ad disseminandum Christi evangelium infidelibus dictarum insularum, in quibus, propter animarum salutem, maximas aerumnas, per[se]cutiones et labores sustinuit, et incolas earum insularum et infinitos alios infideles ad Christi fidem aggregavit. Et de reliquis interrogatoriis illi lectis, se nihil aliud scire dixit.

Super articulo 11.°, dixit testis se audivisse a multis viris fide dignis, quod dictus P. Franciscus Xaverius Goae erudivit doctrinam christianam pueros per vias publicas, et hospitalia visitabat, ac in illis aegros pie iuvabat, et in operibus magnae charitatis se exercebat.

Super articulo 42.°, dixit testis se audivisse Malacae a Petro de Faria, nobili equite de domo regis, qui his omnibus adfuit et facto fuit praesens, quod cum Pater Franciscus Xaverius esset in dicta civitate, valida acenorum classis Malacam ex improviso appulit, qui magna superbia ac contumeliis lusitanos nostros ad

---

[u] abscingerentur *ms.*

pugnam provocarunt. Et cum civitas esset in maxima difficultate navigiorum et in periculo, P. Xaverius, accendens lusitanorum militum animos ad pium et gloriosum bellum, parva classe raptim comparata, acenos hostes superbe abeuntes insectari fecit, de quibus victoriam certam supradictis lusitanis promisit; et divinitus prospiciens animo absentem Didacum Soares, nobilem institorem, venientem ex Molucis cum duobus biremibus, qui rectum tenebat cursum, ne portorium Malacae penderet, dictus P. Xaverius conscendit lembum, et ad praedictum Didacum Soarez contendit, eumque adhortatus est ad pium bellum; qui, Xaverii rogatu, facultate obtenta a praefecto Simone de Mello non pendendi portorium, Malacam appulit cum suis biremibus, bellique socium se obtulit lusitanis, et vela fecit cum illis ad insequendum acenos hostes, de quibus victoriam retulerunt. Et cum dictus P. Xaverius in quadam die dominica concionem in templo haberet, denunciavit: fratres, magnopere gratulamini Deo ob favorem, quia nunc nostra classis validam illam acenorum in flumine Parles devicit, et tres aut 4.or inde dies nuncius adfuit partae victoriae; et ita prorsus victoria contigit sicut P. Franciscus Xaverius malacensibus e suggestu vaticinatus fuerat. Et declaravit ipse testis quod erat eques nobilis adscriptus in libris archivii regis.....

### 34.us testis

Simon Serranus, lusitanus, natus Conimbricae, nobilis eques, coniugatus et civis Coccini; et ibi incola, functus est omnibus muniis reipublicae, creatus per regem dux classis in littore Coromandeli.....

Dixit se esse annorum 45.....

Juxta XI.um, dixit testis quod, cum ipse esset in insulis Ulatae Nuliager, prope Ambuinum Molucarum, ibi audivit ab insulanis generaliter, et ex publica voce et fama quae de hoc viguit et viget, quod Pater Franciscus Xaverius, cum in dictis insulis commoratus esset, rex illarum fuit ab rege alio finitimo acriter obsessus; et ita fuit ab eo obsidione oppressus, ut occupaverit omnia illa loca, quae dicto regi insulano usui erant ad aquam quotidia-

nam capiendam; cui regi, adhuc gentili, Pater Franciscus Xaverius dixit quod, si permitteret in illo loco crucem erigi, se maxime confidere in Deo quod statim ibi aquas esset subministraturus, ad usus totius populi necessarias. Quibus dictis consensit dictus rex sublimem attolli crucem, ad quam accurrit ibi flexis genibus magna multitudo hominum, mulierum et puerorum; et, praeeunte Xaverio, divinam opem implorarunt; et statim magna copia aquae e coelo cecidit, qua omnes hydrias caeteraque vasa abundanter impleverunt. Et contigit hoc factum aestivo tempore, quo in illis locis numquam pluit. Et ita insulani ethnici, habentes hoc factum pro miraculo, postulaverunt a P. Xaverio baptismum, quo ipse eos ad Christi fidem aggregavit, et christiani supradictarum insularum usque adhuc contra ethnicos populares et adversus piratas olandenses nomen christianae religionis firmiter tuentur; et demum rex supradictus cum omnibus suis insulanis suscepit sanctum baptismum opera P. Francisci Xaverii. Et de reliquis interrogatoriis sibi lectis dixit se nihil aliud scire.

Super 42.° articulo, dixit se in dicta insula Ambuini, dum ibi fuit, vidisse hominem maomettanum, qui erat gubernator myoparonum regis Lusitaniae, propter poenuriam gubernatoris lusitani; qui gubernator saracenus, cum esset morti propinquus, petiit baptismum, quo suscepto, exinde ad tres dies e vita discessit; cui dum vixit multi homines, tum lusitani tum insulani, saepe persuaserunt ut vellet accipere baptismum, quibus dictus gubernator mahometanus respondebat, ut curam ac sollicitudinem salutis ipsius deponerent, quia P. Mter. Franciscus Xaverius, dum in dicto loco esset, sibi praedixerat fore ut ipse diem obiret extremum christianus et non mahometanus. Et propriis oculis ipse testis vidit supradictum mahomettanum suscipere sanctum baptismum, et, illo accepto, ad tres inde dies e vita discedere. Et declaravit ipse testis quod, instantia facta dicto gubernatori mahometano, ut se converteret ad fidem christianam, fuit habita in praesentia eiusdem P. Francisci Xaverii, qui P. Xaverius tunc respondit ut curam deponerent salutis mahometani illius, quia ille erat moriturus christianus et non mahometanus.

Et audivit etiam ipse testis, quod P. Xaverius in Japponia,

dum illic esset magna piscium penuria, iussit piscatoribus retia sua iniicere in mare, et oravit Deum, et ipsi piscatores magnam piscium copiam retibus extraxerunt, quibus suae necessitati subvenerunt. Quo miraculo viso, se converterunt, et a P. Xaverio fuerunt baptizati. Et de hoc miraculo fuit et est publica vox et fama in illis partibus.....

DIE XI AUGUSTI 1616

IN EADEM CIVITATE ET ECCLESIA SUPRA EXPRESSIS.....

35.us TESTIS

Sebastianus Alphonsus, natus Cocini, lusitanus, coniugatus et incola eiusdem civitatis, tabellio publicus notarum in illa.....

Dixit se esse annorum 60.....

Juxta XI.um, dixit testis se audivisse a suo patre, Emanuele Alphonso, quondam tabellione publico in dicta civitate, qui cognovit P. Mtrum. Franciscum, quod dictus Pater in supradicta civitate se exercebat in operibus pietatis et charitatis, et suis propriis humeris trahebat aegros, quos aegre iacentes in plateis inveniebat, in hospitalia, in quibus assidue habitabat; et adibat domos divitum et ab eis obtinebat dulciaria et alias res ad aegros necessarias; et ipsemet haec omnia exportabat in hospitalia, et pauperes, quos reperiebat nudos vestibus in plateis, suo interdum pallio induebat, et postea sine illo per civitatem incedebat; quem videntes homines ei devoti ita nudatum pallio, aliud humeris illius imponebant, quibus dictus Pater respondebat: sit propter amorem Dei.....

Super 12.° articulo, dixit se audivisse a dicto patre suo, Emanuele Alphonso, qui haec omnia vidit suis propriis oculis, quod in dicta civitate coccinensi P. Franciscus Xaverius solebat singulis diebus convocare tintinnabulo pueros, et ire ad forum piscarium, et illic erudiebat pueros hora una post meridiem de doctrina christiana.

Super 13.° articulo, dixit se audivisse a fide dignis, quod P. Franciscus Xaverius lustravit oram Piscariae et Travancoris, et ibi multos convertit et baptizavit.

Super 42.° articulo, dixit se audivisse a supradicto suo patre, Emanuele Alphonso, quod, cum P. Mter. Franciscus navigaret ex Japponia in Sinas, oneraria vectus navi, tempestas excitata fuit vehemens, cuius ui navis abrepta est [per] diversa maria, et velocissime fuit iactata; sed in prima vigilia cuiusdam intempestae noctis repentina vis procellae, abreptis retinaculis a navi, abstulit scapham; et cum navis praefata cursum teneret velocissimum, et gubernator esset magno moerore affectus ob casum scaphae deperditae, e cubiculo navarchi, in quo tunc erat precibus divinis intentus, P. Xaverius procedit in medium, et intuens gubernatorem moestum coeterosque deperditae scaphae vicem deplorantes, bono illos esse animo et omittere timorem iubet, ac promisit fore ut filia remearet ad matrem, prout ita prorsus evenit. Postremo enim die prima luce rogavit Xaverius navarchum [v] ut iuberet nautam ex charchesio speculari num scapha compareret; qui nauta, iam re desperata, prope meridiem repente comparere scapham proclamavit; quae, precibus P. Xaverii adducta, salva et incolumis ad navem sponte accessit; qua excepta, Xaverius gubernatori navis, Francisco de Aguiar, ipsius testis affini ex sorore, denunciavit illum non periturum esse in mari, sed moriturum in terra, sicut prorsus evenit. Dictus enim gubernator, Franciscus de Aguiar, ob fiduciam, quam in sanctitate ac praedictione Xaverii positam habebat, ausus est committere se navigationibus difficilibus et valde periculosis, ac multis. Ac cum ipse testis semel navigaret cum dicto gubernatore, suo affine, Coulanum versus, ut exinde tenderet in peguanum portum, non fuit ausus se tradere huiusmodi navigationi, quia vidit dictum gubernatorem, suum affinem, conscendere navigiolum valde parvum, cum certo et evidenti vitae discrimine; qui tamen, fiducia ac vaticinatione P. Francisci Xaverii subnixus, salvus et incolumis magnum naufragium evasit, amissis ac mari deperditis multis aliis navigiis, eiusdem navigationis sociis, et peguanum portum suo navigiolo appulit meritis ac intercessione Xaverii.....

---

[v] nouarchum *ms.*

## DIE 16 AUGUSTI ANNI 1616

IN CIVITATE COCINI ET ECCLESIA DE QUA SUPRA.....

### 36.us TESTIS

Hieronymus Vieira, presbyter, vicarius generalis civitatis Cranganoris, archiepiscopus serrae christianorum Sancti Thomae, vir lusitanus, vivit suis expensis.....

Dixit se esse annorum 63, et quotidie celebrat missam in hac cathedrali.....

Juxta XI.um, testis dixit se audivisse a multis personis fide dignis, et religiosis et saecularibus, quae cognoverunt P. Mtrum. Franciscum Xaverium, et praecipue a P. Francisco Durano, Societatis Jesu, qui P. Franciscum Xaverium cognovit, et ab alio Patre etiam, Francisco de Chiaves, e Societate Jesu, quod dictus P. Xaverius fuit vir sanctus, et multa patravit miracula, et pro tali fuit habitus et reputatus ab hominibus.

Ad 19.um interrogatorium, dixit testis se audivisse in particulari de uno miraculo, ope Xaverii patrato in civitate Malacae, prout ipsimet testi narravit dictus Franciscus de Chiaves, qui fuit Pater Societatis Jesu, tempore, quo ipse testis erat in eadem civitate, et habebat curam valetudinarii. Cum ipse testis semel oraret in collegio sancti Pauli Goae prope P. Francisci Xaverii sepulchrum, sensit magnam coelestis cuiusdam consolationis dulcedinem, qua superfusus, longo ibi temporis spatio in oratione perseveravit; et videns illum P. Franciscus de Chiaves, valetudinarius, vocavit eum ad serviendum aegris; cui ipse respondit se amoveri non posse a magno illo solatio, quod illud [x] sepulchrum divina clementia sibi concesserat. Cui adiunxit P. Franciscus de Chiaves, quod P. Mter. Xaverius, cum esset Malacae, ipsum vita functum suscitaverat, ponens manum super illum, evangelio recitato. Et hoc P. Franciscus de Chiaves ipsi testi tunc, non sine magna lacrimarum copia, narravit.....

---

[x] ille *ms*.

## DIE 22 AUGUSTI ANNI 1616

IN EADEM CIVITATE COCINI ET IN ECCLESIA DE QUA SUPRA.....

### 37.us TESTIS

Antonius Monis, lusitanus, Ulyssiponae natus, coniugatus et incola Coccini, vivit ex sua industria et comercio more indiano.....

Dixit se esse annorum 68, et ultra.....

Juxta XI.um, testis dixit se audivisse a multis personis fide dignis, quae cognoverunt P. Mtrum. Franciscum Xaverium, quod dictus Pater fuit vir sanctus; et dictae personae hoc dicebant, quia cum dicto Patre familiariter egerunt et navigarunt.

Juxta 16.um, dixit se audivisse ab eisdem personis de quibus supra, quod universus Indiae populus habuit magnam devotionem erga dictum Patrem dum ille vixit et post eius obitum; necnon audivisse quod dictus Pater fuit defensor christianae fidei, et denunciavit Dei evangelium infidelibus. Et de reliquis interrogatoriis illi lectis nil aliud se scire dixit.

Super 12.° articulo, dixit se audivisse ab eisdem personis de quibus supra, quod dictus Pater Goae pueros docuit christianam fidem per publicas plateas, convocans eos tintinnabulo: visitavit domos hospitales, et ibi aegros pie et magna charitate juvavit, et alia pia opera fecit.

Super articulo 14.° et 15.°, dixit ipse testis se audivisse ab eisdem personis quibus supra, quod P. Mter. Franciscus Xaverius ad ulteriora Orientis regna, nimirum in insulas Molucas, Japponiam et Sinas, penetravit, et in dictis regnis Christi evangelium denunciavit ethnicis, et multos ad fidem christianam adduxit et baptizavit, et postea in insula Sanciano corpus illius fuit repertum integrum et incorruptum.

Super articulo 42.°, dixit se audivisse ab eisdem personis de quibus supra, quod dictus P. Xaverius Malacae, inter concionandum, denunciavit victoriam, quam nostri lusitani retulerunt de hostibus acenis, et dixit malacensibus ex suggestu ut gratularentur Deo popter victoriam, quam christianis militibus conces-

serat in illa hora. Quae res ita prorsus contigit, sicut postea scitum est a classe victrice, redeunte Malacham.

Audivit etiam ipse testis a personis eisdem de quibus supra, quod, cum navigaret P. Xaverius ex Japponia in Sinas, saeva tempestate coorta, navis amisit scapham; et dictus Pater, videns navis vectores moestos ob eventum scaphae, eos consolatus, iussit bono animo esse, et promisit fore ut filia remearet ad matrem; et vaticinationem eventus comprobavit. Quae postea scapha, salva et incolumis precibus Xaverii adducta, ad navim rediit.

Audivit insuper ab eisdem personis de quibus supra, quod dictus P. Xaverius in navigatione quadam, veniens ex Japponia, cum Malacam contenderet, provectam in altum navem saeva vis tempestatis adorta, in ultimum discrimen vitae adduxit vectores; quos dictus Pater solatus, bono animo esse et omittere timorem iussit, promittens quod non esset periclitatura navis in illa tempestate, sed prosperum iter habitura erat; et ita prorsus contigit. Statim namque Xaverii precibus venti posuerunt, et sedata est tempestas, atque sereno coelo et tranquillo mari navis cursum tenuit.....

### 38.us testis

Petrus Torres, natus Coccini, filius Joannis de Torres et Franciscae Rodriguez, eius coniugis, natione malabaris, coniugatus et incola eiusdem civitatis, vivit ex arte extruendi naves.....

Dixit se esse annorum 24.....

Juxta XI.um, dixit testis se adivisse oram Travancoris cum P. Francisco Nunez, vicario eiusdem orae, et in ea vidit christianos illos magnopere venerari P. Franciscum Xaverium, et quod eum appellabant sanctum.

Juxta 16.um, dixit quod, cum esset in ecclesia Cottat[a]e, vidit magnum concursum populi venire ad illam, propter devotionem magnam erga Xaverium ab illo populo habitam, et propter multa miracula, quae Deus ibi illius meritis ac intercessione operabatur in ipsis christianis et in eorum gregibus. Et quia magnus erat concursus populi, necesse fuit aperiri puteum novum ad

aquandum populi multitudinem. Et cum ecclesia supradicta Cottatae esset dicata in honorem sancti Pauli, non appellabatur nisi nomine P. Francisci ob magnam devotionem erga illum.

Juxta 19.[um] interrogatorium, dixit ipse testis se audivisse saepe a dictis christianis quod P. Mter. Franciscus patravit multa miracula; et in particulari audivit quod, cum vir quidam ethnicus haberet bovem claudum et mancum, praesentavit eleemosynam ante imaginem P. Xaverii pro sanitate illius recuperanda, et extemplo bos ille sanatus est. Insuper, ipse testis propriis oculis vidit quod quidam Andreas, natione nairus, cum fungeretur munere thesaurarii in dicta ecclesia Cottatae, et esset oppressus egestate ob non soluta sibi debita stipendia muneris sui, cepit [y] tintinnabulum et cortinas altaris dictae ecclesiae, et eas dedit pro pignore cuidam christiano civitatis Sancti Thomae; cui statim nocte sequenti inter somnia P. Franciscus Xaverius se obtulit videndum, et illum acriter reprehendit, et iussit ei dictum tintinnabulum et cortinas altaris deferre ad suam ecclesiam. Quo viso, christianus, deterritus, e somno experrectus est magno cum timore, et apertis oculis vidit praesentem P. Franciscum Xaverium; et, ubi primum dies advenit, petivit ecclesiam et tradidit ibi tintinnabulum, et cortinas altaris, sibi in pignus datas, officialibus ecclesiae praedictae, et eis narravit visum, praesente ipso teste, quod nocte proxima conspexerat. Quo miraculo vulgato, populus Deo maximas egit gratias et dicto P. Francisco Xaverio.

Praeterea, dixit ipse testis se audivisse, cum esset in oppido Cottatae, ab universo illo populo et a reliquis christianis orae Travancoris, quod P. Franciscus Xaverius patrabat ibi multa miracula, tam in christianis quam ethnicis, et quod multi aegri, venientes ad ecclesiam praedictam, ibique nomen dicti P. Francisci Xaverii invocantes ante ipsius imaginem, statim recuperabant sanitatem. Et non solum christiani, sed etiam gentiles, ducebant ad ipsam ecclesiam sua animalia aegra et clauda, et, magna cum fiducia, Xaverii implorabant auxilium pro sanitate

---

y coepit *ms.*

suorum animalium; et statim dicta animalia reddebantur sana et valida [z].

Atque etiam multae mulieres christianae steriles et infoecundae, venientes ad ecclesiam, ubi est posita imago dicti P. Francisci, et invocantes illius nomen, reddebantur foecundae et parturiebant.

Audivit etiam ipse testis in dicto oppido ab universo populo, quod fuit ibi homo ethnicus nobilis, qui, videns devotionem christianorum erga P. Franciscum Xaverium in offerendo lampades cum oleo ante dicti Patris imaginem, voluit illudere, et simul experiri utrum dicta devotio esset vera; et ita praesentavit etiam lampadem ante dicti Patris imaginem, et loco olei in eam infudit aquam, ad experiendum an sanctus Pater faceret miraculum aliquod; et contigit ut lampas exarserit aqua illa, ac si esset oleum. Non tamen acquievit ethnicus; putabat enim stupinum esse madefactum oleo, qvare sumpsit novum alium et siccum, et in aqua immersum reposuit in lampade, et exarsit ac si oleum haberet; et vulgatum fuit hoc miraculum per totam oram Travancoris; et omnes P. Mtrum. Franciscum laudabant. Tanta vero viget in illa ora devotio apud omnes, tam christianos quam gentiles, ut cum per ea loca essent 12 ecclesiae, illis omnibus labefactatis et destructis, numquam eas renovarunt; solum ecclesiam Cottatae, ubi est posita imago dicti P. Francisci Xaverii, conservarunt magna cum devotione.....

### 39.[us] TESTIS

Eodem die, mense et anno, in eadem ecclesia supra expressis, dominus judex huius causae interrogavit me, notarium, huic causae deputatum, Emanuelem Monteiro, canonicum cocinensem.....

Dico me esse annorum 44, et quod quotidie in hac cathedrali celebro missam.....

Juxta 16.[um], respondeo me saepe audivisse ab avo ex matre, Joanne Monteiro, lusitano, viro nobili, qui exercuit militiam re-

---

[z] validat *ms*.

gis in classibus Indiae, et postea duxit uxorem Goae, et ibi commoratus est, et fuit semper vir fide ac veritate plenus; et quando ab illo audivi res, quas referam, erat ille octogenarius, plus minus; cognovit vero P. Franciscum Xaverium eiusque concionibus adfuerat, et praesens fuerat omnibus quae mihi narravit. Dicebat ille quod tantus erat zelus in P. Francisco Xaverio salvandi homines, ut, sciens quod multi lusitani pellices coëmptas domi haberent, rogaret eos ut ipsum invitarent ad prandium; et postea, accumbens mensae, rogabat hospites ut servas accersiri iuberent, qui Xaverio obtemperabant ob venerationem quam erga illum habebant. Tunc dictus P. Franciscus Xaverius persuadebat illis ut pellices sibi matrimonio iungerent aut foras mandarent; et in hoc utebatur sancto quodam artificio; et hoc modo auferebat hominibus occasionem peccandi. Et quod Malacae predicabat magno zelo, et libere arguebat incusabatque peccata; et cum vellet navim conscendere ad Sinas, in littore pulverem de calceis excussit: avertat, inquiens, Deus ut mecum afferam pulverem tam iniquae civitatis.

Super 15.° et 22.° articulis, respondeo me audivisse a supra dicto meo avo, quod P. Franciscus Xaverius e vita discessit in insula Sanciano et illic fuit sepultus; et exinde, ad aliquos menses, eum effoderunt et invenerunt integrum et incorruptum. Et quando corpus dicti P. Xaverii appulit Goam, commorans avus meus praedictus in dicta civitate vidit illud efferri e navi, et, in celocem translatum, plurimis circum cereis collucentibus, sub cura P. Mtri. Melchioris ad portum Goae applicuit, quod magnus iam populi concursus, prorex et nobilitas civitatis, praestolabantur ad illud excipiendum. Ibi vero fuit orta contentio inter nobiles equites et clerum de invehendo corpore ad collegium sancti Pauli, Societatis Jesu, cooperto, prout alia mortuorum corpora efferuntur, vel aperto; et quod nobilis quidam eques respondit debere invehi apertum, ut decebat virum sanctum; et ita invectum fuit, supplicatione instituta, in templum sancti Pauli; et deposuerunt arcam, in qua erat corpus, a latere evangelii. Et dictus meus avus in ecclesia deosculatus est pedes illius, et fuit amplexatus tibiam eius, quam reperit integram cum ocrea.

Super 42.° articulo, respondeo me saepe audivisse a dicto meo avo, quod, cum P. Franciscus navigaret ex Japponia in Sinas, navis in quadam saeva tempestate amisit scapham; et videns vectores navis moestos, eos solatus est et bono animo esse iussit, promittens illis quod filia remeatura esset ad matrem. Et ita contigit; quia scapha salva et incolumis rediit ad navim deprecatione ac meritis P. Xaverii.....

## DIE 25 AUGUSTI 1616

### IN HAC CIVITATE ET ECCLESIA PRAEDICTA.....

### 40.us TESTIS

Don Diego Coutigno, dux et gubernator civitatis Coccini, electus dux arcis Malacae et Chiauli et duarum navigationum in Sinas et Molucas, qui bis fuit capitaneus generalis malabaricae classis.....

Dixit se esse annorum 44.....

Juxta 11.um, dixit se triginta duobus annis, quibus versatus est in Indiis, semper audivisse a personis quamplurimis fide dignis quod P. Mter. Franciscus Xaverius fuit vir sanctus et pro tali habitus ab hominibus, et quod patravit multa miracula.....

### 41.us TESTIS

Antonius Pigno de Costa, nobilis eques domus regis, professus militiae Christi, electus dux civitatis Sancti Thomae, coniugatus et incola Cocini.....

Dixit se esse annorum 40.....

Juxta 11.um interrogatorium, dixit ipse testis se 25 abhinc annis commorari in India; et quod audivit a fratre Andrea, episcopo cocinensi, quod P. Franciscus Xaverius, propter res miraculosas quas in India fecit, fuisset iam adscriptus in numerum sanctorum per summum pontificem, nisi voluisset prius expedire canonizationem beati Patris Ignatii, fundatoris Societatis Jesu. Et scit ipse testis fuisse et esse publicam vocem et famam, quod P. Franciscus Xaverius fuit sanctus, et pro tali habitus ab hominibus.....

42.us TESTIS

Nunius Vaz de Castello Branco, qui fuit Goae oeconomus bonorum regis, et sodalitatis Misericordiae prior, et consul camerae goanae, et fuit praefectus Bazaini, ubi etiam fuit prior Misericordiae, modo est consul camerae coccinensis et prior Misericordiae, et fuit praefectus huius civitatis.....

Dixit se esse annorum 60 plus minus.....

Juxta 11.um, dixit se audivisse semper a personis fide dignis, 42 abhinc annis, quibus in India commoratur, quod P. Franciscus Xaverius fuit sanctus, et pro tali est habitus ab hominibus.

Juxta 14.um, dixit se audivisse Goae a quodam Paulo da Costa, natione parravano, prothomedico Goae, quod P. Franciscus Xaverius, dum fuit in ora Piscariae, ubi [a] baptizavit eius populares: et ille tunc veniebat a collegio sancti Pauli, in quo visitavit sepulchrum dicti P. Francisci, et ipse testis, devotione adductus, ivit ad templum sancti Pauli, et in sachristia illius oravit ante superpelliceum dicti P. Francisci, et uidit quod Patres Societatis dicti collegii celebrabant festum diem P. Francisci Xaverii, et frondibus, peristromatis et aulaeis cappellam illius exornabant.....

DIE 25 AUGUSTI ANNI 1616

IN EADEM CIVITATE, ET ECCLESIA SUPRA EXPRESSA.....

43.us TESTIS

Don Petrus infans, filius tertiogenitus regis don Emanuelis insularum Maldivae, coniugatus et incola civitatis Cocini.....

Dixit se esse annorum 47.....

Juxta XI.um, dixit se audivisse a rege don Emanuele, eius patre, qui baptizatus fuit a P. Francisco Xaverio, quod dictus P. Xaverius fuit vir sanctus et pro tali habitus ab hominibus; et quod venit in has partes Orientales missus a rege don Joanne, nomine tertio, Lusitaniae rege.

Juxta 16.um, dixit se audivisse saepe a rege don Emanuele,

---

[a] *Hoc verbum redundare videtur.*

suo patre, quod P. Franciscus Xaverius fuit ab universo Indiae populo habitus et reputatus in magna devotione ac veneratione propter ipsius sanctitatem; et quod fuit defensor acerrimus fidei catholicae, et primus qui denunciavit fidem christianam populis Piscariae et Travancoris, a Corelano usque ad insulam Manariae; et ad ulteriora Orientis regna penetravit ad denunciandum Christi evangelium, et in Japponia multos infideles ad christianam fidem adduxit.

Juxta 19.um, dixit se audivisse a rege supradicto, suo patre, quod, cum praesens esset multoties sacris, quae faciebat dictus P. Franciscus Xaverius, vidit illum a sensibus abstractum; et praecipue, cum ad consecrandam eucharistiam sumendamque ventum erat, conspexit dictum P. Xaverium a terra amplius cubito virtute divina elevatum. Et super reliquis interrogatoriis sibi lectis nil aliud se scire dixit.

Super 22.°, dixit se audivisse a dicto rege, suo patre, quod, post obitum P. Xaverii, eius corpus fuit translatum ex Sinis a lusitanis Malacam, et inde Goam; et quod die, quo dictum corpus appulit Goam, tam incredibilis factus fuit concursus populi ad illud invisendum, ut civitatis goanae viae omnes ac plateae hominibus complerentur; et magna illius pars, obortis lachrimis ac multis gemitibus prae amore, sacrum Xaverii corpus venerabantur, praecipue illi, qui ad fidem christianam fuerant ab eodem conversi. Et dictum corpus veniebat integrum et sine ulla prorsus corruptione, quin potius magnam fragrantiam et odoriferam suavitatem eiiciebat ex se. Et quod, solemni supplicatione ac pompa exceptum, in templum sancti Pauli fuit invectum et ibi fuit repositum; et cum totum triduum in templo omnium oculis expositum esset, ut explerent desiderium videndi et deosculandi illud, magnus ibi semper populi concursus permansit; et multi aegri, membris capti, leprosi, et pedibus aegri, ac claudi, coeci et variis morbis laborantes, tacto Francisci Xaverii corpore, ut illius pedes deosculabantur, repente reddebantur sani ex suis morbis et valentes. Et multi ex iis aegris, ob magnam devotionem quam habebant erga dictum P. Franciscum, nitebantur morsibus aliquam reliquiam dicti corporis evellere: alii mordebant ungues

pedum, et alii scindebant frustulum aliquod vestis, ut id pro reliquia conservarent. Et dixit ipse testis quod de omnibus his, sibi a suo patre relatis, fuit etiam et est publica vox et fama.....

## X DECEMBRIS 1616

[*Quae sequuntur, sic indicatur in margine:*]

1). «Rdus. Pater Andreas Machiado, rector collegii Matris Dei, et procurator in huiusmodi causa substitutus, coram domino judice petiit transcribi Processus testium examinatorum Coccini, et relaxari tria transumpta et tradi ad effectum mittendi ad curiam.»

2). «Judex mandavit notario auscultari et collationari tria transumpta cum originalibus, et facere fidem quod concordant cum ipsis.»

3). «Fides notarii de auscultatione, collatione et concordatione.»

4). «Concessio transumpti authentici facta de ordine judicis.»

5). «Informativus Processus 4 Augusti 1616.—Pater procurator Societatis requisivit dominum judicem remissorialem, ut jubeat afferri coram se originale inquisitionis, alias factae per gubernatorem, de nonnullis miraculis patratis mediante quadam medalia servi Dei, Xaverii, et testes repetere et examinari, ac confici actum et concedi transumpta.»

6). «Decretum judicis.»

7). «Praesentatio praedictae petitionis facta notario coram judice, cum originali inquisitionis, quod petiit procurator executioni demandari.»

8). «Fides notarii, qua attestatur judicem examinasse denuo testes contentos in informativo Processu et se ratificantes.»

9). «Coram domino judice, Pater Joannes Sosa praesentavit instrumentum super testibus, a dicto domino judice confectum, et transumpta fieri petiit.»

10). «1.ª Septembris 1614.—Petitio Patris rectoris Societatis Jesu, qua dicit necesse illi esse testes inquiri super miraculis patratis vigore medaliae.»

## 44.us testis

Die prima Septembris anni 1614, in aedibus episcopalibus dominus Nicolaus Crucius coram se compare[re] iussit Luciam Villansam, viduam et natione sinicam, annorum 120, ut asseruit, quam fama est in hac vrbe multa patrare miracula. Et quaesita quo pacto talia opera et miracula patraret, respondit se esse magnam peccatricem. Si vero aliquid faciebat, hoc operabatur intercessione P. Francisci Xaverii, et virtute cuiusdam medaliae aeneae, quam in precatoria [b] sua corona positam habebat, in qua erat ex una parte impressa imago beati P. Mtri. Francisci Xaverii, et ex altera beatae Virginis Mariae cum puero Jesu in brachiis; et quod ipsa medalea supradicta, aqua madefacta, faciebat signum crucis super infirmis, quos sibi offerebant, quo facto aliqui sanabantur.

Interrogata utrum uteretur aliquibus verbis aut medicamento aliquo eo tempore, quo dicta medalia tangebat infirmos, respondit se nullo medicamento uti, neque verbis aliquibus, sed quod tantummodo exprimebat signum crucis medalia, aqua madefacta, super infirmis, pronuncians tantum nomen Jesu et Patris Francisci Xaverii.

Interrogata a quo tempore erat christiana, respondit, se venisse ex regno Sinarum, in quo nata est, cum esset quindecim vel sexdecim annorum; et cum per id tempus Malacae fuisset instructa de rebus ad fidem pertinentibus, ibi eam baptizaverunt.....

Interrogata an viderit et communicaverit cum P. Mtro. Francisco Xaverio, respondit se numquam cum eo fuisse alloquutam, sed quod interdum eum viderit Malacae tempore quo docebat doctrinam christianam diebus dominicis in ecclesia Misericordiae et templo maximo, ad quam doctrinam audiendam ipsa etiam cum aliis puellis ibat: et Malaca Coccinum venit, et hic resedit hactenus, excepto quod fuit Goae per aliquot menses; et aliquot annos habitavit in arce huius civitatis; et coniugata fuit in hac vrbe cum Dominico Rebello, qui iam e vita decessit.

---

b praecatoria *ms.*

Interrogata a quo tempore et a qua persona dictam medaleam habuit, respondit se eam habuisse duodecim abhinc annis a quodam puero, Emanuele de Abreu, quem ipsa aeducavit, qui eam obtinuit a Patribus Societatis Jesu in premium doctrinae, qui solent dictas medalias pueris donare, quando docent christianam doctrinam.

Interrogata a quo tempore incoeperit praedicto modo uti ea medalia, respondit, septem abhinc annis, cum quaedam famula in domo sua aegrotaret tumore cervicis, ipsa testis dictam medaleam in aqua infudit, et ea fecit signum crucis in dicto tumore, et intra triduum puella recuperavit sanitatem; et exinde, invocans nomen P. Francisci Xaverii, applicare coepit dictam medaleam super multis aliis diversarum infirmitatum, et hoc modo eisdem sanitatem obtinuit.....

DIE 1.ª SEPTEMBRIS ANNI 1614

IN AEDIBUS EPISCOPALIBUS.....

45.us TESTIS

Maria Dias, nata et incola Coccini.....

Dixit se esse annorum 40 plus minus; et quod fuit jussa referre, quae sibi contigerunt in sua infirmitate, de Lucia Villanzan, natione sinica; et quod a septem annis laboravit paralisi, ita ut brachium et manum eius ac pedem haberet aridum, nec posset dictum brachium et manum ad caput levare, magna vero difficultate, labore ac dolore movebat dictum pedem, aut se erigebat a sede, vel innixa baculo tantisper ambulabat. Et amplius dixit, se ab uno anno incirca fuisse oppressam dolore vehementi oculorum, ita ut permanserit omnino coeca [c]; et dictam coecitatem passa est septem mensibus; et inter has infirmitates et aerumnas constituta, cum sciret dictam Luciam Villanzam sanasse aliquos aegros, adivit domum eius duodecim abhinc diebus. Illa vero lavit oculos ipsius testis aqua, in quam prius iniecerat medaliam, quae ex una parte habebat imaginem beati Francisci Xaverii, et

---

[c] coecam *ms*.

ex altera beatae Virginis Mariae, et cruce signavit oculos per septem dies continuos, quo peracto, recuperavit visum oculorum, atque in praesenti videt, ita ut mittat filum per foramen acus, et consuat sine impedimento.

Interrogata utrum dicta Lucia Villanzan pronunciaret aliqua verba, respondit se non audivisse ulla verba, et quod tantum lavit oculos dicta aqua, et jussit ipsi testi eam bibere; et quod simul dicta Lucia Villansan eadem aqua lavit septies ipsi testi pedem, brachium et manum, quo facto, statim mansit libera ab infirmitate et dolore, et potuit se movere et deambulare sine ea difficultate.

Interrogata de vita et moribus dictae Luciae Villansan, dixit quod existimabat eam foeminam optimam christianam et honestam, et quod non utebatur illicita aliqua caeremonia aut superstitione, neque id aliquando audivit ab aliquo, aut de eo unquam fuit suspitio.....

### DIE 2 SEPTEMBRIS ANNI 1614

#### IN CIVITATE ET AEDIBUS SUPRA EXPRESSIS.....

#### 46.us TESTIS

Thomas Fernandes, coniugatus et incola huius civitatis, aetatis suae annorum 30.....

Dixit se cognoscere Mariam Diaz, indigenam Coccini, uxorem Joannis Carvaglio, habitantis in parrochia Pietatis, et quod vidit eam per septem annos integros laborantem paralisi, pedem habentem claudum et aridum, et similiter aridum brachium et manum ita [ut] se movere non posset, et ita esse occulis captam, ut non videret. Et ipse testis audivit a Bartholomeo Fernandez, suo affine, qui facto praesens fuit, quod posteaquam dicta Maria Diaz aspersa fuit aqua medaliae dictae Luciae Villanzan, et fuit cruce signata ab ea, invocato P. Francisci Xaverii nomine, statim sana facta est, et modo est sana, ut ipse testis et omnes vident, quia nunc habet digitos manus extensos et rectos, quos antea habebat clausos. Et de hoc miraculo fuit et est in hac civitate publica vox et fama.....

## DIE QUARTA SEPTEMBRIS ANNI 1614

### IN HAC CIVITATE COCCINI IN COLLEGIO SOCIETATIS JESU.....

### 47.[us] TESTIS

Catarina Rebella, indigena Coccini, uxor Didaci de Moraces [d], scilicet indi natione, incola parrochiae Pietatis; testis, cui delato juramento, tactis evangeliis, juravit de veritate dicenda super quibus esset interrogata juxta famam publicam, quae divulgabatur per totam civitatem, quod medalia Luciae Villanzan facit opera mirabilia in medendis aegris diversarum infirmitatum, quam illa habet in sua precatoria corona.

Et dixit testis se esse annorum 34, et esse verum quod cognoscebat Luciam Villanzan, quae erat foemina annorun 120, quae totum suae vitae tempus vixit honeste et cum bona sui nominis opinione; et quod post mortem sui viri valde diligit et iuvat pauperes, et visitat assidue ecclesias. Et scit ipsa testis quod illa secum affert dictam medaliam in precatoria corona, et quod illi fuit data a puero, quem illa educavit; et dictus puer eam obtinuit in praemium doctrinae christianae in collegio Societatis Jesu; et quod ea medalia operata est multa opera mirabilia propter fidem sinceram, et fiduciam quam habebat in meritis P. Francisci Xaverii, quem dixit cognovisse in hac civitate, et praecipue Malacae, tempore quo ipse apostolice praedicabat sacrum evangelium, et docebat doctrinam christianam per plateas, et faciebat alia opera in honorem Dei. Et cum ab eo doceretur cum multis aliis puellis, quae ad doctrinam veniebant, in rebus ad fidem pertinentibus, semper erga dictum P. Franciscum Xaverium habuit magnam devotionem.

Interrogata ipsa testis de illis, quae viderat fieri a dicta Lucia Villanzan virtute medaliae P. Francisci Xaverii, et quomodo ea faciebat; respondit testis se nunquam vidisse dictam Luciam Villanzam uti aliqua illicita caeremonia, aut superstitioso aliquo modo aut verbis, cum infirmis quos tangebat; sed summa humi-

---

[d] *Sic;* Moraes?

litate et reverentia accipiebat manu medaliam P. Francisci Xaverii, et ea, aqua madefacta, faciebat crucem super infirmo, inquiens: In nomine Jesu et P. Francisci Xaverii tibi restituatur salus. Et scit ipsa testis, ex visu et certa scientia, quod dicta Lucia Villansan tetigit dicta medalia, aqua aspersa, quemdam Patrem Societatis Jesu, qui a tribus mensibus erat mutus et surdus, qui maxime confidebat in Deo ut virtute medaliae P. Francisci Xaverii recuperaret usum loquendi et auditum; et statim atque fuit tactus ea medalia in auribus, oculis et ore, et in illis partibus facto crucis signo per dictam Luciam Villanzan, loquutus fuit clare et distincte, et optime audivit. Scit etiam ipsa testis, ex visu et certa scientia, quod quaedam Maria Diaz, indigena Coccini, uxor Joannis Carvaglio, parrochiae Pietatis, quae laborabat a septem annis, plus minus, paralisi, habens brachium, manum, crus et pedem aridos, et digitos eiusdem manus clausos, et ambulabat tantisper innixa, venit in domum Luciae Villanzan ut ab ea tangeretur medalia P. Francisci Xaverii in supradictis membris aridis; quo facto, statim et in eadem hora dicta Maria Diaz dixit sentire manum tanquam formicis abrodi, et melius coepit habere, et sex inde vel septem dies liberata est ab illa infirmitate, et perfectam sanitatem recuperavit; nam extendit manum, et crus vim et vigorem amissum recepit; et dicta Maria Diaz ambulabat ut antea, et reliquit baculum in domo Societatis Jesu; et ita, cum esset coeca, visum recepit aqua dictae medaliae sibi applicata, et filum mittit per foramen acus, et consuit, ut ipsa testis vidit.

Interrogata an sciret aliquod aliud miraculum, dixit testis se vidisse multoties, nam habitabat in eadem domo, multa alia miracula operata virtute dictae medaliae P. Francisci Xaverii, ad quae narranda opus erat longo tempore: multos enim aegros capite, manibus, brachiis et pedibus; aliquos, qui eiiciebant carnem per nares foetidam, ita ut tolerari non possent pro foetore; aliquos, qui nihil aliud habebant quam pellem et ossa, et adeo pallentes prae aegritudine, ut viderentur simulacra mortis; omnes illos sanitati restitui vidit ipsa testis propriis oculis, virtute illius medaliae P. Francisci Xaverii, qua dicta Lucia Villanzan

super infirmis faciebat crucem; quorum multos ipta testis vidit repente restitui ad sanitatem in dicta domo. Alios postea loquuta est, qui confessi sunt se recuperasse salutem virtute dictae medaliae. Et nihil aliud se scire dixit.....

### 48.us TESTIS

Isabella Mascaregnas, vidua et incola huius civitatis; testis, cui delato juramento, tactis sua dextera evangeliis, juravit de veritate dicenda super quibus esset interrogata a domino vicario generali juxta famam publicam, quae vigebat in hac civitate, quod Lucia Villansan, virtute medaliae P. Francisci Xaverii, invocato eius nomine, tribuit infirmis sanitatem.

Interrogata, dixit se esse annorum 50, et quod saepe fuit in domo dictae Luciae Villansan; et scit, ex visu et certa scientia, quod Isabella de Paiva, uxor quondam Petri de Corda, caeca a multo tempore, adducta fama beneficiorum, quae Deus huic civitati conferebat meritis P. Francisci Xaverii, virtute medaliae eiusdem P. Francisci, quam dicta Lucia Villanzan habebat in sua precatoria corona, venit in domum praefatae Villanzan, et ab ea petiit ut vellet sibi medaliam imponere in oculis, et eos aqua illius aspergere; quo peracto a dicta Villanzan, et facto signo crucis, Deum precata est, inquiens: In nomine Jesu et beati Patris Francisci Xaverii, oculorun lumen recipias; et erat cum multis aliis foeminis quae in dicta domo erant; quod statim, cum noctu esset et lucerna arderet domi, dixerit supradicta mulier coeca: hic video duas umbras, unam meam, aliam vero tuam, et deinceps semper in dies melius vidit.

Interrogata [est] ipsa testis utrum in his miraculis dicta Villanzan uteretur superstitione aliqua vel illicita coeremonia, et testis dixit se scire quod dicta Villanzan non utebatur verbis aut modis aliquibus superstitionis vel illicitis, nec unquam hoc audivit ab aliqua persona; et ipsa eam cognovit coniugatam et innuptam, et semper honestam, exemplarem et virtute praeditam. Et scit praeterea ipsa testis, ex visu et scientia certa, Ludovicum Rebellum habuisse filiam ex uxore sua, Magdalena Cardosa, quae nata est septem mensium pene mortua, et se non movebat, nec

flebat; et, vocata dicta Villanzan, venit ad domum, ubi erat infans illa pene mortua, et eam tetigit medalia; et, facto signo crucis super illius corpore, deprecata est a beato Mtro. Francisco Xaverio ut vellet ei vitam dare; quae statim movit se, et ubera cuiusdam nutricis apprehendit; et ad praesens dicta infans vivit et est octo mensium.

Scit etiam ipsa testis ex visu, quod dicta Lucia Villanzan tetigit dicta medalia quamdam Magdalenam Collassa, indigenam Coccini, quae laborat paralisi, et habebat manus et pedes paraliticos, adeo ut stare nequiret, nec manus aperire posset; et, facto signo crucis a dicta Villanzana super membris laesis dictae Magdalenae Colassa, et bibens illa aquam medalia tactam, intra novem dies recuperavit perfectam sanitatem, adeo ut extendat et contrahat manus et pedes sine difficultate, et deambulet ut antea, sicut ipsa testis vidit.

Et dixit amplius ipsa testis, impossibile esse enarrari numerum personarum, quae veniebant ad illam domum, quaerentes remedium variis infirmitatibus, quibus laborabant; et quod omnes meritis beati Mtri. Francisci Xaverii discedebant consolati, et liberati a suis infirmitatibus.....

## 49.us testis

Guiomar Suares Dalbergaria, vidua lusitana, incola Coccini.....

Dixit se esse annorum 45 plus minusve.

Interrogata de fama, quae vigebat in hac civitate circa miracula perpetrata [e] virtute medaliae P. Francisci Xaverii, quam habet in sua precatoria corona Lucia Villanzan; dixit ipsa testis quod cognoscit dictam Villanzan a multis annis, tum coniugatam, tum etiam viduam, quae semper vixit honeste exemplaremque vitam duxit, ita ut omnes magnam de vita illius opinionem conciperent. Et scit ipsa testis supradictam Luciam Villanzam, duodecim abhinc annis, habuisse dictam medaliam P. Francisci Xaverii a puero quodam, filio ipsius testis, qui eam obtinuit a

---

[e] Perpatrata *ms.*

Patribus Societatis in praemium doctrinae christianae, quam medaliam semper retinuit fide sincera, ac fiducia meritorum P. Francisci Xaverii; quem illa cognovit Malacae et vidit eum illic concionantem ac doctrinam christianam facientem.

Et scit ipsa testis, cum ibidem esset aegra, ad tangendum dictam medaliam venire ad eamdem domum Magdalenam Collassa, viduam et indigenam Coccini, brachiis exportatam cuiusdam servi, quae laborabat paralisi, et ita capta erat manibus ac pedibus, ut [nec] sustinere se pedibus, nec manus ullo modo extendere posset. Et postea, cum ipsa testis esset in ecclesia beatae Mariae Protectricis ad audiendum sacrum, vidit dictam Magdalenam Collassa, quae suis pedibus sine difficultate deambulabat; et tunc, interrogata ab ipsa teste quomodo valeret a tanta infirmitate, respondit, sibi a diversis medieis multa remedia fuisse adhibita, at illis numquam bene habuit; sed posteaquam tetigit medaliam P. Francisci Xaverii et bibit aquam illius in domo Luciae Villanzan, ut ipsa testis vidit, et facto signo crucis super suis membris laesis a dicta Lucia Villanzana, intra novem dies perfectam sanitatem recuperavit.....

DIE NONA SEPTEMBRIS ANNI 1614

IN HAC CIVITATE SANCTAE CRUCIS COCCINI.....

50.[us] TESTIS

Emmanuel Rebello, natus in hac vrbe, coniugatus et incola illius.....

Dixit se esset annorum 24.

Interrogatus circa famam, quae est in tota hac vrbe, quod Lucia Villanzan, virtute medaliae P. Francisci Xaverii, quam gestat in sua corona, facit multa opera mirabilia super infirmis; et dixit se vidisse propriis oculis Mariam Diaz, quae a septem annis incirca laborabat paralisi, propter quam habebat aridum brachium, manum et pedem desterum, et erat caeca, ita ut nihil videret; et posteaquam adivit domum Luciae Villanzan, et tacta fuit medalia P. Francisci Xaverii, et aqua illius aspersa, et signo crucis signata ab ea, intra septem dies, non solum recepit lumen

oculorum, sed etiam recuperavit perfectam sanitatem membrorum, quae habebat paralytica; et modo videt et ambulat sine impedimento.

Scit amplius ipse testis, ex visu et certa scientia, quod dicta Lucia Villanzan tetigit medalia P. Francisci Xaverii, et aqua illius aspersit, et signo crucis signavit, infantem quandam unius mensis pene mortuam, quae dicebatur cecidisse a brachiis cuiusdam nutricis, et se non movebat, nec flebat. Posteaquam dicta infans, pene demortua, aspersa fuit aqua medaliae supradictae, invocato P. Francisci Xaverii nomine super illa a dicta Lucia Villanzan, statim aperuit oculos, et ubera nutricis apprehendit; et hoc vidit ipse testis, quia facto adfuit.

Et multa alia miracula audivit ipse testis, scilicet quod multi aegri, diversis infirmitatibus laborantes, veniebant ad domum illam, et ab ea discedebant sani.....

## DIE XI.ª SEPTEMBRIS ANNI 1614

### IN EODEM LOCO SUPRA EXPRESSO.....

### 51.us TESTIS

Franciscus Vas, coniugatus et incola parrochiae Pietatis.....

Dixit se habere annos 34.

Interrogatus an cognosceret quandam Mariam Diaz, uxorem Joannis Carvaglio, incolam huius civitatis, dixit quod eam cognoscebat, et vidit eam paralysi laborantem sex vel septem annos, et habentem bracchium, manum et pedem dexterum aridos; quae ambulabat innixa baculo; et erat coeca.

Interrogatus quomodo recuperavit sanitatem a dictis infirmitatibus, dixit dictam Mariam Diaz ivisse in domum Luciae Villansan, et ab ea petiisse ut vellet tangere dicta sua membra paralytica medalia, quam habebat in sua precatoria corona, quia magnam fidem ac fiduciam habebat in P. Francisco Xaverio, ut, tacta dicta medalia, illius meritis redderetur sana. Et supradicta Villanzan eam tetigit medalia, et signum crucis super dictis brachio, manu et crure et pede atque oculis, [fecit,] inquiens: In

nomine Jesu et beati P. Francisci Xaverii tibi [f] restituatur sanitas. Et cum haec verba dicta Villanzan sincera fide pronunciaret, statim supradicta Maria Diaz melius habuit, et intra novem dies omnino convaluit.....

### 52.[us] TESTIS

Didacus de Faria, advocatus numeri huius civitatis, et coniugatus et incola eiusdem vrbis.....

Dixit se esse annorum 40, plus minus.

Interrogatus de fama miraculorum, quae fiebant virtute medaliae P. Francisci Xaverii, quam habebat Lucia Villanzan in sua corona, testis dixit se loquutum fuisse cum Gundisalvo Rodriguez Valle, viro coniugato et incola huius civitatis, et ille sibi ostendit cancrum et ulcus magnum et periculosum, quod habebat super cor, cuius causa maximos dolores patiebatur a multo tempore; et aliquot inde dies supradictus Gundisalvus ipsi testi dixit se ivisse in domum Luciae Villanzan, et ab ea impetravisse ut tangeretur medalia P. Francisci Xaverii, nam in illo fiduciam habebat maximam ut sibi sanitatem a Deo obtineret: et statim dicta Villanzan supradictam medaliam applicavit cancro illi et ulceri, et super eo signum crucis fecit, inquiens: In nomine Jesu et beati Francisci Xaverii tibi reddatur salus; et in tres dies, quibus continuavit cum dicta Villanzana, liberatus fuit prorsus ab illo periculoso cancro et ulcere. Et ipse testis tunc illud vidit omnino sanum meritis P. Francisci Xaverii.

Interrogatus an sciret alia, dixit se audivisse, et esse publicum et notorium, quod multi infirmi veniebant in domum dictae Luciae Villanzani, et, mediante medalia et invocatione nominis P. Francisci Xaverii, sanitati restituebantur; et multae personae ad hunc effectum eo concurrebant.....

---

[f] sibi *ms.*

DIE 15 SEPTEMBRIS ANNI 1614

IN EODEM LOCO SUPRA EXPRESSO.....

53.us TESTIS

Panthaleon da Cugna Fonseca, subdiaconus, et incola huius civitatis.....

Dixit se habere annos 24.

Interrogatus de illis quae sciebat circa famam operum mirabilium, quae Deus faciebat mediante medalia P. Francisci Xaverii; dixit testis se scire ex visu quod puer quidam, nomine Michaël de Faria, erat surdus, et nihil audiebat, nisi quando sibi vociferabatur ad aures; qui adivit domum Luciae Villanzan, et ab ea tactus fuit medalia P. Francisci Xaverii; et statim atque dicta Villanzan illum signavit cruce, et aures illius aqua medaliae aspersit, repente supradictus puer melius habuit et ab illa surditate fuit liberatus, prout ipse testis scit.....

54.us TESTIS

Ludovicus de Castiglio, uxoratus et incola huius civitatis, et scriba orphanorum.....

Dixit se habere annum unum supra sexaginta.

Interrogatus circa famam operum mirabilium, quae Deus operabatur mediante medalia beati Patris Xaverii, dixit se scire ex visu et certa scientia, quod quidam Emanuel Rodriguez de Figuereido, uxoratus et incola parrochiae Pietatis, habebat ulceribus adeo plena utraque crura, ut non posset deambulare, nisi innixus baculo, et laborabat magnopere fluxu; qui dixit ipsi testi, in domo Balthasaris Rodriguez, se ivisse in domum Luciae Villanzan, et ab ea impetravisse ut tangeretur medalia, quia confidebat in Patre Francisco Xaverio quod sibi sanitatem a Deo obtineret. Et posteaquam dicta Lucia Villanzan illum tetigit medalia, et aqua illius aspersit, et cruce signavit, statim coepit melius habere ab ulceribus praedictis, et a morbo fluxus breviter fuit liberatus et omnino sanus; et modo ambulat sine difficultate, prout ipse testis vidit; et antea vehebatur sede quadam, quam vocant palanquinum.....

55.us TESTIS

Balthasar Rodriguez, uxoratus et incola huius civitatis, parrochiae Pietatis.....

Dixit se habere annos 30.

Interrogatus circa famam miraculorum, quae patrantur virtute medaliae P. Francisci Xaverii, quam gestat in sua corona Lucia Villanzan, dixit testis se scire ex visu et certa scientia, quod quidam Emanuel Rodriguez de Figueredo, uxoratus, parrochiae Pietatis, habebat crura ulceribus adeo plena, ut deambulare non posset, et vehebatur sede quadam, vulgo pallanquin, et innixus baculo; et amplius, laborabat maximo morbo fluxus; et dictus Emmanuel Rodriguez de Figueiredo adivit domum Luciae Villanzan, et ab ea fuit tactus medalia P. Francisci Xaverii cuius aquam bibit, et dicta Villanzan crucis signum fecit super illum, inquiens: In nomine Jesu et P. Francisci Xaverii tibi sanitas, qua indiges, restituatur; et statim ille recuperavit sanitatem perfectam, et modo ambulat sine pallanquino et sine baculo.....

56.us TESTIS

Franciscus Aguiar de Faria, uxoratus et incola parrochiae Pietatis huius civitatis.....

Dixit se habere annos 25.

Interrogatus circa famam operum mirabilium, quae Deus mediante medalia P. Francisci Xaverii operabatur in hac civitate, dixit se vidisse Gundisalvum Rodriguez de Valle, virum coniugatum et incolam huius civitatis, qui ipsi testi ostendit periculosum cancrum et vlcus, quod habebat super cor a plus anno, et maximis doloribus afflictabatur propter illud. Et postea ipse testis dixit se esse liberatum a dicto cancro et vlcere, quia adiverat domum Luciae Villanzan, et ei tetigit dictum vlcus medalia beati P. Francisci Xaverii, et per aliquot vices crucis signum super illud fecit, et dicta medalia ei sanitatem restituit; et ipse testis illud vidit sanum, prout ille deponere poterit.....

### 57.us testis

Balthassar Pestana, huius civitatis indigena, et miles praesidiarius confinium.....

Dixit se habere annos 42.

Interrogatus circa famam, quae vigebat in hac vrbe, de miraculis operatis virtute medaliae P. Francisci Xaverii, quam gestabat Lucia Villanzan in sua precaria [g] corona, testis dixit se vidisse Emanuelem Rodriguez de Figueiredo, qui vehebatur in quodam palanquino, et quod non poterat ambulare, quia habebat crura multis ulceribus oppressa, et laborabat amplius fluxu; et, morbo liberatus, deambulabat suis pedibus [h], et a morbo fluxus redditus fuit sanus statim atque adivit domum Luciae Villanzan, et tactus fuit medalia P. Francisci Xaverii, et aquam illius ebibit facto prius per aliquot vices signo crucis a dicta Lucia Villanzan.....

## DIE 18 SEPTEMBRIS ANNO 1614

### in hac vrbe sanctae crucis coccini, in collegio matris dei.....

### 58.us testis

Gundisalvus Rodriguez de Valle, uxoratus et incola huius civitatis.....

Dixit se habere annos 43.

Interrogatus de fama operum mirabilium, quae Deus operabatur mediante medalia beati Francisci Xaverii, quam Lucia Villanzan gestabat in sua precatoria corona, dixit ipse testis verum esse quod duobus abhinc annis sibi contractus fuit tumor quidam super cor, ubi habebat quemdam cancrum et ulcus a multis iam annis, et propter dictum tumorem nec manducare, nec dormire, nec ullo modo acquiescere poterat prae magnis doloribus, quibus vexabatur. Et cum sumeret lignum chinae et salsae, ut vocant, et multa alia medicamenta, iussu medicorum, nunquam

---

g praecaria *ms.* h morbo, deambulabat suis pedibus, liberatus *ms.*

melius potuit habere. Et cum audiret quod Lucia Villanzan habebat medaliam beati Patris Francisci Xaverii, adivit domum illius, et ab ea genibus flexis precatus est ut vellet sibi propter amorem Dei imponere dictam medaliam in dicto cancro, ulcere et tumore, quibus vehementissime vexabatur; nam magnam habebat fidem in Deo, quod per merita et intercessionem beati Patris Francisci Xaverii sibi restitueretur sanitas. Et illa sibi fecit signum crucis super ulcere dicta medalia, inquiens: In nomine Jesu et beati Patris Francisci Xaverii tibi reddatur salus. Et statim ex eodem momento sensit melius se habere. Et cum hoc illa ter faceret, liberatus fuit ab illo periculo cancri, et prorsus sanitati restitutus; et hodie est sanus, sine dolore, et sine dicto cancro et ulcere, meritis et intercessione beati P. Francisci Xaverii.....

59.us TESTIS

Salvator Alphonsus, natus Coccini, coniugatus et chirurgus.....

Dixit se habere annos 52, plus minus.

Interrogatus [fuit] utrum sciret aliquid circa famam operum mirabilium, quae Deus operabatur in hac urbe mediante medalia beati P. Francisci Xaverii, quam Lucia Villanzan gestabat in sua precatoria corona; et dixit ipse testis verum esse vocatum se fuisse ad medendum Gundisalvum Rodriguez de Valle, qui vexabatur maxime cancro inveterato, quod a multis annis habebat super cor, et in illo contractus fuit tumor a duobus annis incirca; et ipse testis aliqua remedia ei adhibuit; et ille etiam sumpsit lignum chinae et salsae parigliae et alia medicamenta; et cum iret ad balneum, revertens domum, peius habuit, ita ut actibus naturalibus uti non potuerit doloribus vlceris, nec loqui, nec ridere. Et iterum ipse testis applicuit ei multa alia medicamenta, sed ille numquam bene habuit, ut ipse testis videbat. Ideoque dictus Gundisalvus, motus fama aegrorum sanitati restitutorum virtute medaliae beati Patris Francisci Xaverii, ivit ad domum dictae Villanzan, et eam precatus est ut vellet sibi applicare medaliam super cancrum et ulcus supra dictum, quia confidebat maxime in Deo et in beato Francisco Xaverio, quod eius meritis

restituendus esset sanitati. Et illa fecit signum crucis super dictum cancrum dicta medalia, inquiens: In nomine Jesu et beati Patris Francisci Xaverii tibi restituatur sanitas, qua indiges. Et statim melius habuit; et cum ter continuaret, redditus fuit prorsus sanus et ab illo periculoso cancro et ulcere liberatus beati Patris Francisci Xaverii meritis. Et declaravit testis quod nulla amplius ei remedia adhibuit posteaquam adivit domum dictae Luciae Villanzan et tactus fuit medalia supradicta. Et haec vidit omnia propriis oculis.....

### 60.us testis

Emanuel Rodriguez de Figueredo, uxoratus et incola huius civitatis, parrochiae Pietatis, qui fungitur officio aestimatoris dictae vrbis.....

Dixit se esse annorum 53.

Interrogatus utrum sciat aliquid circa famam operum mirabilium, quae Deus operabatur in hac civitate virtute medaliae Rdi. Patris Francisci Xaverii, quam gestat in sua precatoria corona quaedam Lucia Villanzan, dixit ipse testis verum esse se habuisse crura vlcidosa et plagosa per aliquot annos; et cum sumeret lignum chinae integro anno iussu chirurgi, numquam melius habuit ex dictis ulceribus, imo pes unus remansit brevior contractis nervis, adeo ut incedere non posset, nec pede terram tangere; et ambulabat in sede quadam, vocata palanquino, et innixus baculo; et ita aegre, laborans ventris profluvio seu dissenteria, adivit domum Villasan, et ab ea petiit ut propter Deum sibi tangeret crura dicta medalia, et sibi daret aquam illius ad bibendum, quia confidebat in Deo, ut sibi sanitatem restitueret per merita et intercessionem beati Francisci Xaverii. Et illa fecit signum crucis super dictis cruribus, inquiens: In nomine Jesu et beati Patris Francisci Xaverii tibi reddatur sanitas, qua indiges. Et tunc dedit sibi ad bibendum aquam dictae medaliae; quo facto, statim melius habuit. Et continuans domum dictae Villanzan per tres dies, a dictis vlceribus et fluxu seu dissenteria prorsus convaluit; et modo ambulat sine impedimento et sine baculo meritis beati Patris Francisci Xaverii.....

## DIE 22 SEPTEMBRIS ANNI 1614

### IN EODEM LOCO SUPRA EXPRESSO.....

### 61.us TESTIS

Marcus Fernandez, chirurgus, uxoratus et incola eiusdem civitatis.....

Dixit se esse annorum 38, plus minus.

Interrogatus utrum sciret aliquid circa famam miraculorum, quae Deus operabatur virtute medaliae beati Patris Francisci Xaverii, quam dicta Lucia Villanzan gestat in sua precaria corona; dixit se scire ex visu et certa scientia, quod Emanuel Rodriguez de Figueiredo, coniugatus et incola huius urbis, parrochiae Pietatis, qui fungi[tur] munere aestimatoris dictae vrbis, habebat utraque crura affecta ulceribus ita ut incidere non posset, nisi baculo nixus aut sede palanquino vectus. Et ipse testis adhibuit ei multa remedia, et jussit ei sumere lignum chinae toto integro anno, et numquam melius habuit, propter defectum naturae, quia erat senex. Et ipse testis desperavit de valetudine illius, ideoque eum dereliquit.

Tunc supradictus Emanuel Rodriguez de Figueiredo, videns sibi nullum aliud esse remedium humanum, aliquot inde dies adivit domum Luciae Villanzan, ut ab illa tangeretur medalia beati Patris Francisci Xaverii, qua tacti multi infirmi sanitatem recuperabant, petiitque ab ea propter Deum ut sibi applicaret dictam medaliam et daret aquam illius ad bibendum, quia confidebat in Deo et in beato Patre Francisco Xaverio, ut illius meritis salutem esset recuperaturus. Et illa fecit signum crucis super dictis cruribus supradicta medalia, et statim melius habuit ab ulceribus et fluxu seu dissenteria; et intra triduum perfectam recuperavit sanitatem, et hodie ambulat sine baculo et sine difficultate.....

DIE 10 OCTOBRIS ANNI 1614

IN HAC CIVITATE SANCTAE CRUCIS COCCINENSIS IN COLLEGIO MATRIS DEI, SOCIETATIS JESU.....

62.us TESTIS

Magdalena Collassa, vidua, nata Cocini in parochia maioris ecclesiae.....

Dixit esse annorum 40.

Interrogata [fuit] utrum sciret aliquid circa famam operum mirabilium, quae Deus operabatur virtute medaliae beati Patris Francisci Xaverii, quam gestabat Lucia Villanzan in sua corona; et dixit verum esse se laborasse paralysi, et captam fuisse manibus et pedibus per spatium unius anni et trium mensium, ita ut [se] movere non posset nisi innixa duabus personis; nec poterat brachia movere, nec aperire manus. Et ducta [i] fama aegrorum, sanitati restitutorum virtute medaliae beati Patris Francisci Xaverii, quam habebat in sua corona Lucia Villanzan, ivit ad domum illius et ibi fuit per novem dies, in quibus dicta Lucia Villanzan ipsam testem tangebat medalia, et signum crucis faciebat super dictis membris paralysi captis, et ea lavabat aqua medaliae, cuius aquam ipsa testis bibit sine alio medicamento, et intra dictos novem dies perfectam sanitatem recuperavit [j], ita ut pedibus deambulet sine difficultate, et brachia ac manus extendat et contrahat expedite meritis beati Patris Francisci Xaverii.....

DIE 14 SEPTEMBRIS ANNI 1614

IN HAC CIVITATE SANCTAE CRUCIS COCINENSIS.....

63.us TESTIS

Antonius Correa, natione sina, uxoratus et incola in via Santi Francisci, aetatis suae annorum 41.....

Interrogatus utrum sciret aliquid circa famam operum mirabilium, quae Deus operabatur mediante medalia beati Francisci Xaverii, quam gestabat in sua corona Lucia Villanzan, dixit se

---

[i] dicta *ms.* [j] perfecta recuperavit *ms.*

scire ex visu et certa scientia, quia erat vicinus dictae Magdalenae Collassae, ipsam laborasse paralysi tempore unius anni et trium mensium, ita ut incedere pedibus non posset, nisi innixa duabus personis; nec extendebat aut contrahebat brachia et manus. Et adducta fama miraculorum, quae fiebant super infirmis mediante medalia beati Patris Francisci Xaverii, ivit in domum de Villanzan et ab ea precata est ut sibi applicaret dictam medaliam, et daret aquam illius ad bibendum; super cuius membris illa fecit signum crucis, et ei dedit aquam ad bibendum; et dicta Magdalena Collassa, sine aliquo medicamento, intra novem dies sanitatem perfectam recuperavit meritis beati P. Francisci Xaverii; et modo ambulat sine baculo, et extendit et contrahit brachia et manus sine impedimento.....

# 35

# PROCESSUS INQUISITIONIS TESTIUM

FACTUS SUPER VITA, VIRTUTIBUS AC MIRACULIS SERVI DEI
PATRIS FRANCISCI XAVERII
RELIGIOSI SOCIETATIS JESU [1]

## TUTUCHURINI

«2 Augusti 1617. Dominus Petrus Nunez, judex remissorialis, subdelegavit pro examinandis testibus in ora Piscariae dominum Franciscum de Angelis, vicarium generalem dictae orae, cum facultate deputandi notarium et recipiendi juramentum a testibus super sancta evangelia, et alia necessaria faciendi, ut in commissione sibi transmissa cum interrogatoriis.»

«Mandatum procurae Rdi. Patris provincialis in provincia coccinensi in personam Rdi. Patris Francisci Cordeiro, ordinis Sti. Francisci, oppidi Tutuchurini, sub die 15 Julii 1616.»

«Recognitio mandati procurae, sive subscriptio notarii actuarii huius causae Coccini.»

«Fides notarii de Tutucurino, qualiter judex subdelegatus pronunciavit se judicem virtute suae commissionis, et vidit commissionem et interrogatoria, ac deputavit ecclesias eius ad faciendum examen.»

### 26 AUGUSTI 1616

In ecclesia beatae Mariae Virginis Assumptionis oppidi de Manapar dominus judex examinavit testes sequentes.....

---

[1] Hic Processus superiorem consequitur, estque unus ex illis, qui paulo ante beatificationem Xaverii Romam ex India Orientali missi sunt. Ejus descriptionem vide infra, ante indices generales. Quatuor primae periodi, quae hic virgulis clauduntur, exstant in margine ad oram paginae, quasi summarium eorum, quae latius et uberius inibi in textu continentur.

64.us TESTIS

Petrus Aloisius, indus, natione parava, incola oppidi Perumanel, ecclesiae parrochialis Visitationis beatae Mariae Virginis, canacapula, scilicet curatorum dictae ecclesiae et vicarius tradendae doctrinae christianae, vivit ex commercio piscationis margaritarum iuxta consuetudinem dictae orae Piscariae et stipendio sui muneris.....

Dixit se esse annorum 35.....

Juxta XI.um, testis dixit se non cognovisse P. Franciscum Xaverium, quia multis abhinc annis dictus Pater discessit ab hac ora; sed suus pater, Antonius Henriquez, qui mortuus est nonagenarius, cognovit dictum P. Franciscum Xaverium, et ei servivit pro ministro in eadem ecclesia, cuius ipse testis modo curam habet. Et dictus suus pater ipsimet testi narravit multoties, quod P. Franciscus Xaverius fuit vir sanctus, qui interdum venit ex ecclesia beatae Virginis Visitationis ad aedem Sanctae verae Crucis, oppidi Manapar, devotionis causa, et in illa fecit sacrum; cui pater ipsius testis supradictus praesens fuit, et vidit suis propriis oculis quod P. Franciscus Xaverius per aliquod temporis spatium in consecratione eucharistiae amplius palmo sustinebatur divina vi sublimis a terra. Et hoc miraculum narravit multoties pater ipsius testis in praesentia matris ipsius et consanguineorum, et coram multis aliis personis, quae iam sunt mortuae. Et esse Patrem Xaverium elevatum divinitus a terra in missa narravit pater ipsius testis pro miraculo, et illud tale aestimabat.....

65.us TESTIS

Petrus Fernandez, indus, natione parava, patangatinus, id est unus ex magistratibus sui oppidi, natus et incola Perumanel, parrochiae Visitationis beatae Mariae.....

Juxta XI.um, testis dixit se non cognovisse P. Franciscum Xaverium, sed quod in suo oppido fuit et est publica vox et fama quod ille fuit vir sanctus, et pro tali est habitus; et multi, variis morbis laborantes, et mulieres infoecundae et steriles adibant

imaginem dicti P. Francisci Xaverii, quae est in ecclesia Cottatae in ora Travancoris, et distat a promontorio Commorini tribus leucis, et ibi deprecationibus implorabant auxilium et opem ipsius P. Xaverii pro sanitate recuperanda et foecunditate obtinenda. Et propter multa miracula, quae Deus operatus est in dicta ecclesia meritis et intercessione Xaverii, illa appellatur ecclesia P. Francisci Xaverii. Et ipse testis, cum esset conjugatus, a 12 annis non habens filios, promisit simul cum sua coniuge se ituros esse ad ecclesiam dicti Patris Xaverii ad visitandum illius imaginem, et daturos illi eleemosynam quandam, si eius intercessione consequerentur filios a Deo, et indituros nomen Francisci proli susceptae; et exinde ad duos menses concepit mulier ipsius testis, et peperit filiam, cui indiderunt in baptismo nomen Franciscae, et postea ad sex menses cum dicta filia iverunt ad dictam ecclesiam, ut Xaverio gratularentur de beneficio accepto; et dicta puella modo habet sex annos: quod ipse testis simul cum sua uxore habuerunt pro miraculo, meritis P. Francisci Xaverii operato. Et hoc fuit et est etiam in hoc oppido publicum et notorium.....

### 66.us testis

Joannes Arangecuti, indus, natione parava, patangatinus, natus et incola Perumanel, parrochiae beatae Mariae Visitationis, vivit ex suis bonis et comercio.....

Dixit se esse annorum 35, plus minus.....

Juxta XI.um, dixit se non cognovisse P. Franciscum Xaverium, sed esse publicam vocem et famam, ex traditione populi, quod ille versatus fuit in ora Piscariae, et ibi multos infideles ad christianam fidem adduxit, et neophitos homines et pueros magna charitate fuit prosecutus, et semper illos de christiana doctrina erudivit; et demum fuit vir sanctus, cuius meritis et intercessione Deus operatus est multa miracula.

Et ipse testis, cum esset coniugatus, habuit ex sua uxore tres filios, qui mortui sunt nondum anno expleto, qua de re ipse testis cum sua uxore valde erant moesti; et cum habuissent filiam quartam, promiserunt Patri Xaverio, quem aestimabant sanctum, se ituros esse ad ecclesiam illius de Cottate, expleto a natali

puellae die trigesimo, et ibi oblaturos esse imagini illius aestimationem dictae puellae, et soluturos pretium, prout dederunt quinque fanois, scilicet nummos auri, pro pretio dictae suae filiae. Et illa ad praesens vivit et habet annos decem. Et praeter dictam puellam habuit ipse testis duos alios filios, qui modo vivunt. Et dictam puellam vocarunt Franciscam propter devotionem erga dictum P. Franciscum Xaverium.

Et dixit ipse testis se pro miraculo habere, quod sui fili vivant meritis et intercessione P. Francisci Xaverii.....

## DIE 27 AUGUSTI ANNI 1616

### IN EADEM ECCLESIA BEATAE MARIAE ASSUMPTIONIS OPPIDI MANAPAR.....

### 67.us TESTIS

Paulus Fernandez Cophi, patangatinus, indus et parava, coniugatus et incola oppidi Tutucurini [a], ecclesiae parrochialis sancti Joannis Baptistae huius orae Piscariae, qui vivit ex arte piscandi margaritas.....

Dixit se esse annorum 60 et ultra.....

Juxta XI.um, dixit se non cognovisse P. Franciscum Xaverium, sed fuisse et esse publicam vocem et famam in oppido ipsius testis, quod ille fuit vir sanctus, et quod Deus meritis et intercessione illius operatus est multa miracula. Et cum mulier ipsius testis gravi affligeretur febri, et capitis aegritudine oppressa esset 15 abhinc diebus, desperata iam a medicis valetudine illius, ipse testis pollicitus est eleemosinam ecclesiae Cottatae, ubi posita est imago P. Francisci Xaverii, et opem illius imploravit pro sanitate coniugis recuperanda; et, facto voto, repente dicta sua uxor [b] sana reddita est. Et hoc miraculum fuit divulgatum in populo, et pro tali fuit habitum ab omnibus.....

### 68.us TESTIS

Andres Fernandez, indus et paraua, coniugatus, et natus in oppido Manapar, et in praesentiarum residens in vico Vuari, pro-

---

[a] Tuchucurini *ms.* [b] uxore *ms.*

curator rei ecclesiasticae ecclesiae sancti Andreae eiusdem loci; vivit suis expensis et stipendio muneris sui.....

Dixit se esse annorum 54, plus minus.....

Juxta 11.um, dixit testis se non cognovisse P. Franciscum Xaverium, sed a 40 annis semper audivisse quod erat sanctus, et etiam audivisse a quodam Thoma Paniquẽ [*sic*], incola quondam huius loci Manapar, iam vita functo, et viro vitae honestae et magnae fidei ac timoris Dei, qui saepius confitebatur, et erat annorum 80; et audivit ipse testis pro re certa, et de qua dubitari minime poterat, ab Antonio de Miranda, etiam indo, qui servivit dicto P. Francisco Xaverio pro ministro ad faciendum sacrum et ad alias res pias et spirituales, factum quod sequitur. Cum dictus Antonius de Miranda adiret ad oppidum Talle ad negocium agendum, venenosus anguis illum momordit sub nocte in quodam tugurio, in quo dormiebat ipse cum alio suo socio; quo morsu mortuus est, quia fere omnes angues illius orae Piscariae sunt ita venenosi, ut pro miraculo habeatur quando aliquis mortem subterfugiat, qui illorum morsibus laesus fuit. De qua re admonitus P. Franciscus Xaverius, adivit dictum Antonium de Miranda, et, genibus flexis prope illum, stetit in oratione, qua peracta, saliva oris sui perunxit morsum anguis in pede factum dicti Antonii de Miranda, quo peracto, ille repente sanatus fuit, et surrexit incolumis et locutus fuit. Narrabat ipsi testi et multis aliis dictus Antonius de Miranda, quod hoc miraculum, in ipsius persona factum intercessione ac deprecatione Patris Xaverii, audivit ille postea ab eis, qui tunc temporis facto praesentes fuerunt, qui omnes iam mortui sunt: et illi et omnes alii, qui hoc factum audiverunt, illud pro miraculo magno habuerunt. Et dictus Antonius hoc idem audivit a suo socio etiam. Et cum factum hoc contigit, erat ille puer.....

## 69.us testis

Thomas Leam, indus et parava, natus in oppido Manapar et incola eiusdem, qui vivit in coelibatu suis expensis et commercio mercaturae.....

Dixit se esse annorum 28 et ultra.....

Juxta XI.um, testis dixit se non cognovisse P. Franciscum Xaverium, sed semper audivisse quod ille fuit virtutibus praeditus et vir sanctus; et aliquot abhinc annis ipse testis ivit ad promontorium Comorini, et ibi in conversatione cum multis aliis indis, viris honestis et honoratis, inciderunt in sermonem de sanctitate P. Francisci Xaverii; et unus ex illis senibus, incola dicti loci Comorini, narravit quod, cum ille navigaret ex Coromandillo cum aliis mercatoribus, prope Comorinum fuerunt expoliati a pyratis, in eodemque navigio simul veniebat miles quidam, cognomine Mendosa, qui naufragus, mendicus et a pyratis illis malauaribus suis mercibus expoliatus, ad P. Xaverium accessit pro sua calamitate petitum aliquam eleemosynam. Et cum Xaverius insereret in sacculum manum suam ad extrahendum nummos, nihil prorsus invenit; sed, miseratione commotus militis illius aegestatis, tollens in coelum oculos, discessit a mendico paululum, et ad conspectum illius, genibus flexis, Deum, divinae providentiae dispensatorem, imploravit deprecatione maxima; et, oratione peracta, rediit ad mendicum praedictum, et ibi manum rursus in inanes loculos iniecit, et eduxit eam plenam quinquaginta nummis finissimis et electis auri et argenti; et tunc nummos, divinitus suppeditatos, naufrago militi elargitus fuit omnes. Et statim factum illud divulgatum fuit pro miraculo, et hactenus ex publica voce et fama pro tali fuit et est habitum et tentum.....

### 70.us TESTIS

Joannes de Mesquita, indus et parava, unus ex magistratibus oppidi Manapar, cuius est incola, coniugatus, qui vivit suis expensis et stipendio sui muneris.....

Dixit se esse annorum 44, et ultra.....

Juxta XI.um, testis dixit se non cognovisse P. Franciscum Xaverium, sed semper audivisse quod ille fuit sanctus et omnibus virtutibus ornatus. Quaerebat enim ille multas eleemosynas ad subveniendum egenis, et fuit maximo zelo accensus ad ducendum animas ad uiam salutis, et demum Deus operatus est per merita et intercessionem illius in hac ora Piscariae et in tota India multa miracula. Et in particulari ipse testis audivit a quodam

Augustino de Pina, incola huius oppidi Manapar, viro nobili, qui discessit e vita octogenarius, et servivit dicto Patri Xaverio, et fuit comes illius, quod dictus Augustinus de Pina vidit saepe suis propriis oculis dictum P. Franciscum Xaverium abstergere et lavare sordes multas ac pustulas ulcerosi mendici, quibus pauper ille valde affligebatur. Et dictus Pater animi mortificandi causa ulcerosam illam aquam mendici bibit. Et postea, in oratione positus, divinam opem imploravit; qua deprecatione peracta, repente pauper ille ulcerosus redditus fuit sanus et a plagis liberatus. Et de hoc miraculo fuit et est publica vox et fama in tota hac ora Piscariae, et praecipue in promontorio Comorini, ubi hoc factum contigit.....

### 71.us testis

Gaspar de Miranda, indus et natione parava, et incola huius oppidi Manapar, coniugatus, et judex ordinarius eiusdem loci, qui vivit suis bonis et comercio mercaturae.....

Dixit se esse annorum 78 et ultra.....

Juxta XI.um, testis dixit se cognovisse P. Franciscum Xaverium cum adhuc puer esset, et audivit tunc et postea in diversis Indiae locis, quod ille fuit virtutibus omnibus ornatus et vir sanctus. Et hoc idem audivit ex publica voce et fama a tempore suae recordationis in hoc oppido Manapar, quia in illo magis particulariter narrabantur et narrantur virtutes et laudes sancti Patris (hoc nomine illum appellabant et appellant), scilicet quod habuit magnam charitatem [c] erga christianos huius orae, eisque magnopere subvenit eleemosynis, et assiduam piis ac sanctis officiis dedit operam, et in salutem animarum multum fuit intentus, excolendo neophitos et ad Christi fidem adducendo ethnicos, quorum numerum propemodum in infinitum in hac ora baptizavit.

Audivit etiam ipse testis a fratre Luca franciscanae familiae, viro magnae sapientiae et evangelii concionatore, exemplo ac nomine sanctitatis, qui postea assecutus est palmam martyrii denunciando Christi evangelium in regno Candiae 22 abhinc annis

---

[c] qualitatem *ms.*

plus minus, tunc sexagenarius incirca, quod, cum ille frater Lucas esset puer, pervenerunt in Lusitaniam Patres Societatis Jesu, et ad Cananorem, patriam dicti fratris Lucae, venit P. Franciscus Xaverius, et in primis diebus, quia non habebat aliud hospitium, se excepit in domum patris supradicti Lucae, et interdum, sermone habito, pater illius fratris Lucae conquestus fuit cum Xaverio de filio, quod erat improbus et malis moribus intentus. Xaverius vero illi excusavit aetatem pueri, tanquam vitiis proniorem, et promisit ac etiam praedixit fore ut dictus puer esset pater suorum fratrum et religiosus sanctus franciscanae familiae; quae res ita prorsus contigit, sicut P. Franciscus Xaverius vaticinatus fuerat.

Audivit insuper ipse testis a viro Augustino de Pina, incola huius oppidi Manapar, qui octo abhinc annis mortuus est octuagenarius, et servivit dicto P. Francisco Xaverio pro ministro ac comite in hac ora Piscariae, quod dictus P. Franciscus faciebat maximam abstinentiam, et tenui victu utebatur, et vigilantissimus erat. Et fere insomnes noctes transibat, magnamque temporis partem in oratione consumebat, et saepe nuda humus lectum illi praebebat, et cibos, sibi dono missos a personis amicis et devotis, eos ipsos ingustatos elargiebatur pauperibus. Et vidit semel ipse testis, cum esset simul cum Augustino, supradicto, de Pina, quod dictus P. Franciscus Xaverius lavavit pustulas multas plagosi mendici, quibus magnopere vexabatur, et dictus Pater postea hausit aquam relictam ex ulceribus dicti pauperis, ut se mortificaret; et postea, in genua provolutus, innixe precatus est Deum pro salute recuperanda dicti pauperis plagosi, et statim ille ulcerosus vir fuit liberatus a tot illis plagis.

Et ipse testis, simul cum dicto Augustino de Pina, admirati sunt hoc factum magnopere. Et hoc vidit ipse testis in promontorio Commorini; et vidit etiam quod, cum miles quidam in eodem promontorio descenderet ad portam expoliatus a pyratis, petivit eleemosynam a P. Xaverio, qui, mittens manum in sacculum, extraxit eam sine ulla pecunia; et, tollens ad coelum oculos, discessit a dicto milite naufrago aliquantulum, et se posuit in oratione; et rediens ad dictum naufragum, iterum misit manum

in sacculum, et extraxit eam plenam aliquot nummis, quos dedit dicto naufrago, inquiens: accipias quod divina providentia suppeditavit. Dixit tunc dictus Augustinus de Pina illud esse miraculum, quia ille sciebat quod P. Franciscus Xaverius nullam pecuniam habebat in sacculo.....

### 72.us TESTIS

Joannes Fernandez, chiatambi, id est puerorum magister, indus, et natione parava, natus et incola id hoc oppido Manapar, coniugatus, et vivit suis expensis et comercio mercaturae.....

Dixit se esse annorum 40 plus minus.....

Juxta XI.um, dixit testis se semper audivisse P. Franciscum Xaverium fuisse ornatum omni genere virtutum, et sanctum; et specialiter audivisse a Thoma Fernandez, paniquem, id est lanista, qui tribus abhinc annis mortuus est octogenarius in hoc oppido Manapar, quod veniens P. Franciscus Xaverius in hoc oppidum, quia ei nullum erat domicilium certum, se recepit in domum praedicti Thomae Fernandez, qui suis propriis oculis vidit multoties dictum P. Franciscum Xaverium dormire in nuda humo, sine aliqua culcitra aut stragula [d], atque etiam vidit magnam noctium ac dierum partem dictum Patrem in oratione ac precibus consumere, et saepius esse elevatum a terra amplius cubito, splendenti vultu et oculis, et praecipue cum sacrum faciebat.

Dixit etiam ipse testis, quod in aede sancti Jacobi extra oppidum erat posita imago quaedam P. Francisci Xaverii, quam visitabant aliquae personae devotionis causa, et ante illam se commendabant P. Francisco Xaverio, tanquam viro sancto, quia talem eum existimabant, ut eius meritis et intercessione assequerentur gratias et remedia ad suas necessitates; et propitiam eius opem multi experti sunt.

Et eodem tempore, octo abhinc annis, ipse testis foeminae cuiusdam amoribus irretitus, a vero salutis animae tramite aberrabat, et noctu agebat vias periculosas ac devias, in quibus, rediens domum, se recipiebat in dictam aedem sancti Jacobi, in qua

---

[d] *Non bene legi potest verbum quod sequitur.*

erat praedicta imago P. Xaverii. Sed quadam nocte ille sese obtulit videndum in dicta aede ipsimet testi inter somniandum, et admonuit ut se revocaret a pessimo vivendi statu, in quo positus erat. Sed cum ipse testis illius monita parvifaceret, non relinque[n]s illam occasionem peccandi, sequenti nocte iterum Xaverius ipsummet testem admonuit modo supradicto, ut relinqueret ocassionem peccandi, alias futurum ut magnas poenas lueret. Sed ipse testis, obstinato animo, perseveravit in illa veteri peccandi consuetudine. Veruntamen, duobus mensibus transactis, in morbum incidit descensus, et fuit magnis doloribus affectus, permansitque pedibus et manibus captus ob contractionem nervorum; et hoc fuit spatio sex mensium; et eo pervenit, ut desperata fuerit a medicis ipsius testis valetudo ac vita. Et tunc tertio dictus P. Xaverius inter somnia se conspiciendum praebuit ipsi testi, qui jam fuerat confessus peccata sua, et rationem piae ac honestae vitae iniverat, cui dixit: quia noluisti removere occasionem peccati, hunc passus es morbum, ideoque in posterum meliorem vitae cursum incipias; et, facta benedictione, disparuit. Et ipse testis extemplo coepit bene se habere, et ad decem dies sine aliquo medicamento pristinam sanitatem recuperavit. Et hoc credidit ipse testis miraculum fuisse operatum a Deo in persona ipsius testis per merita et intercessionem Xaverii.....

### 73.[us] TESTIS

Maria de Miranda, inda et natione parava, uxor Petri Nicao, similiter paravae et mercatoris, nata et incola huius oppidi Manapar.....

Dixit se esse annorum 30 plus minus.....

Interrogata juxta XI.[um], testis dixit se a puerili aetate semper audivisse P. Franciscum Xaverium fuisse omni virtutum genere ornatissimum et sanctum; et quod Deus operatus est et operabatur multa miracula meritis ac intercessione illius, et specialiter in ecclesia Cottatae, ubi est imago dicti P. Francisci Xaverii. Et dixit ipsa testis se peperisse priorem filium, quem habuit ex viro suo, mortuum, et secundo peperisse filiam, etiam mortuam; quam rem videns amita ipsius testis, nomine Catharina, uxor Francisci

Copediam, quae praesens aderat, et memor miraculorum, quae Deus operabatur meritis ac intercessione P. Francisci Xaverii, manibus apprehensam extollit infantulam mortuam, et tunc, proprium nomen dicti Francisci Xaverii invocans, ab eo deprecata est opem ut intercederet apud Dominum pro vita illius infantulae, cui indicturi erant nomen Franciscae in honorem dicti Patris; et repente dicta infantula habuit vitam, et vixit usque ad septem annos, et vocata est Francisca. Ob cuius mortem postea ipsa testis cum viro suo magno moerore fuerunt affecti; et quia alios non habebant filios, ipsius testis vir ivit magna cum fiducia et devotione ad visitandum ecclesiam Cottatae, ubi est imago P. Francisci Xaverii, cuius opem et auxilium ibi implorans, ut eius meritis et intercessione a Deo assequi posset filium, dicto P. Francisco promisit se inditurum filio nascituro nomen Francisci, et daturum pretium et aestimationem illius filii ecclesiae dicti P. Francisci. Et redeunte domum ipsius testis viro ab illa visitatione, ipsa testis ex illo concepit, et peperit filium, cui indiderunt nomen Francisci, qui hactenus vivit, et habet sex annos.

Et affirmavit ipsa testis se credere utramque rem et habuisse pro miraculis, quae Deus operatus fuerat in persona ipsiusmet testis intercessione magni sui servi, P. Francisci Xaverii, et pro talibus ea reputasse.....

### 74.us testis

Catharina, inda, natione parava, amita Mariae de Miranda, et uxor Francisci Cupedian, similiter parava, qui mercaturam exercet et vivit ex hoc commercio; nata et incola huius Manapar.....

Dixit se habere 40, plus minus, annos.....

Juxta XI.um, testis dixit se scire ex antiqua et publica voce et fama, quod P. Franciscus Xaverius fuit omnibus virtutibus ornatus, et vir sanctus, et quod Deus per illius merita operabatur multa miracula, et praecipue in ecclesia Cottatae, ubi est imago dicti P. Xaverii. Et ipsa testis habebat eum in magna veneratione, et est ei devota, et quod a quindecim annis, plus minus, ipsa testis praesens fuit partui consobrinae suae, Mariae de Miranda,

uxoris Petri Nicao, quae tunc peperit infantem mortuam. Et memor ipsa testis miraculorum, quae Deus facit per merita et intercessionem P. Francisci Xaverii, mortuam illam infantem manibus apprehendit et extollit, et dicti P. Xaverii invocavit opem et nomen, dicendo: O Pater Francisce Xaveri, serve Christi Jesu! Opitulare et intercede apud Deum pro vita huius mortuae infantis, et eam vocabimus Franciscam in honorem tui. Et repente dicta infantula aperuit oculos, et vitam habuit. Et hanc rem tunc aestimavit ipsa testis miraculum, divinitus et per intercessionem Xaverii operatum, et pro tali habet, quia aliter fieri non poterat ut dicta infans mortua viveret.....

### 75.us TESTIS

Cosmus de Paiva, indus, et parava, coniugatus et incola eiusdem oppidi Manapar; vivit ex mercatura, quam exercet.....

Dixit se habere annos 35 plus minus.....

Juxta XI.um, testis dixit se semper audivisse P. Franciscum Xaverium fuisse omnibus virtutibus praeditum, et virum sanctum, et quod Deus multa patrabat miracula per merita illius, et specialiter in ecclesia Cottatae, ubi est posita imago dicti P. Xaverii. Et ipse testis, quia non habuit filios ex sua uxore in primis quinque annis, ivit ad visitandam ecclesiam, in qua est imago P. Francisci Xaverii, et ibi, ante imaginem illius stans in oratione, deprecatus est dictum Patrem ut intercederet apud Deum sibi filium dari, et dicto Patri promisit donarium aureum. Redeunte ipso teste domum, uxor ipsius concepit, et peperit unam infantem, quam vocaverunt Franciscam, vt ipse testis voverat dicto Patri Xaverio; quae hodie vivit; et ipse testis cum sua uxore crediderunt hanc filiam sibi fuisse concessam a Deo meritis et intercessione P. Francisci Xaverii, et pro miraculo habuerunt.

Scit etiam ipse testis ex visu, quod Maria de Miranda, uxor Petri Nicao, huius oppidi, quindecim abhinc annis incirca peperit filiam quandam mortuam, quam amita quaedam dictae Mariae vovit P. Francisco Xaverio et invocavit eius opem; cuius meritis illa infantula, quae nata est mortua, statim aperuit oculos

et vitam habuit; quod fuit habitum pro miraculo, et ipse testis pro tali habet.....

### 76.us testis

Joannes Rodriguez, indus, et parava, coniugatus et incola huius Manapar, magister puerorum, et scriba judicis ordinarii eiusdem oppidi; vivit suis expensis et officiis.....

Dixit se habere annos 33 plus minus.....

Juxta XI.um, testis dixit se semper audivisse P. Franciscum Xaverium esse sanctum, et quod Deus patrabat multa miracula meritis ac intercessione illius pro eius devotis, unde ipse testis habuit illum in magna devotione. Et cum sibi morerentur filii, ipse cum uxore sua maximo moerore fuit affectus; ideoque adivit aedem sancti Jacobi, extra oppidum positam, ubi tunc erat imago quaedam P. Francisci Xaverii, et ei se commendavit tanquam viro sancto, et deprecatus est ut vellet intercedere apud Deum pro filio habendo, et qui vitam longam ageret; et quod vocaturus erat filium nomine Francisci in honorem dicti Patris; et vovit amplius se visitarum ecclesiam illam Sti. Jacobi per tres integros dies. Et, facto hoc voto, paucos inde dies ipsius testis uxor concepit, et filium peperit, quem Franciscum appellarunt, prout ipse testis voverat; sed, non satisfacto voto visitandi aedem sacram sex mensibus, ut ipse testis promiserat, dictus puer Franciscus gravi morbo laboravit. Sed memor ipse testis voti nondum satisfacti, una cum uxore adivit dictam aedem sancti Jacobi, et ibi per tres integros dies permansit, habens secum dictum puerum ita aegrotum; sed dictus puer tunc statim pristinam sanitatem recuperavit, et hactenus in eadem permanet, et habet annos decem cum dimidio. Et utramque rem ipse testis cum sua coniuge habuerunt pro miraculo, divinitus facto meritis et intercessione P. Francisci Xaverii.....

### 77.us testis

Gonsalvus Mendez, indus et natione bracamana, natus in insula Salsetana, Goae, parrochiae sancti Michaelis archangeli, et incola huius oppidi Manapar, institor bene numatus.....

Dixit se habere annos 30 plus minus.....

Juxta XI.[um], testis dixit se decem abhinc annis, quibus habitat in hoc oppido, coniugatus, semper audivisse P. Franciscum Xaverium esse sanctum; et quod Deus operatus est et operatur multa miracula meritis et intercessione illius, et praecipue in ecclesia Cottatae, ubi est posita imago dicti Patris. Et cum ipse testis semel navigaret versus Coccinum, chianpana quadam vectus (genus est navigii magni), simul cum multis aliis navigiis, antequam navigium illud teneret promontorium Commorini, adeo fuit adversus ventus, ut non sine periculo magno par[s] maior navigiorum coacta fuerit repetere portum Tutucurini; et septem tantum, quae erant majora, adversa illa tempestate et ex[a]estuante mari jactata, tranaverunt dictum promontorium; sed, non longe provecta, coacta fuere subsistere in obvio portu Cottatae per aliquot dies, ubi posita est imago P. Francisci Xaverii. Et videns ipse testis quod tempus idoneae navigationis ad iter coccinense praeteribat, et erat periculum magni damni mercium suarum, Xaverii opem suis deprecationibus imploravit, et precatus [e] est eum, tanquam virum sanctum, ut intercederet apud Deum pro secundo ac prospero vento ad faciendum navigationem incoeptam, et vovit quandam eleemosynam ecclesiae dicti P. Francisci Xaverii. Nocte vero proxime sequenti visus est ipse testis inter somnia palam conspicere dictum P. Xaverium, qui ipsi testi bono animo esse [f] jubebat, et ne levaret navigium mercibus (quam rem ipse iam animo meditabatur), quia ad tres dies, sedata tempestate, maris tranquillitas et prosperi venti secuturi erant ad navigationem Coccini, cuius portum prospero cursu appulsurus erat. Quae res ita prorsus contigit; et ipse testis solvit votum, ecclesiae dicti Patris promissum: et habuit visum supradictum et factum miraculosum, et pro miraculo reputavit illud tempus ad navigandum prosperum, sibi et aliis vectoribus sociis concessum a Deo meritis et intercessione Xaverii, cui ipse testis se maxime commendavit. Quod factum ipse narravit multis personis ad honorem et gloriam Dei et servi eius P. Francisci Xaverii.....

---

[e] praecatus *ms.* [f] esset *ms.*

## DIE TRIGESIMA AUGUSTI ANNI 1616

### IN ECCLESIA APOSTOLI SANCTI THOMAE.....

### 78.us TESTIS

Petrus da Cugna, indus, natione parava, coniugatus et incola huius oppidi; curator rerum ecclesiae, et vicarius christianae doctrinae tradendae, qui vivit suis expensis et stipendio sui muneris.....

Dixit se esse annorum 52 et ultra.....

Juxta XI.um, dixit testis se semper audivisse quod P. Franciscus Xaverius fuit abstinentiae et poenitentiae maxime deditus, eleemosynarius et in omni charitatis et virtutum genere imbutus, et zelantissimus salutis animarum; docuit et denunciavit catholicam fidem tum christianis tum ethnicis, et horum infinitam pene multitudinem convertit, maxime in his oris Piscariae et Travancoris, et eos baptizavit.

Dixit amplius ipse testis, se viginti quinque abhinc annis, plus minus, audivisse a Paulo Vaz, indo et natione carea, qui fuit coniugatus et incola oppidi Combuturae, parrochiae prothomartyris sancti Stephani, vir timoratus et optimus christianus, qui saepe frequentabat sacramenta confessionis et eucharistiae, et erat vir ex principalioribus sui loci, et iam tunc nonagenarius. Narravit dictus Paulus Vaz ipsimet testi multoties, se cognovisse P. Franciscum Xaverium, et habuisse illum in vita et post obitum pro viro sancto. Et cum dictus Pater esset in loco supra dicto ipsius Pauli Vaz, contigit ut puer quidam ceciderit in puteum; et quia in illo diu permanserit, in eo fuit suffocatus. Et cum dictum puerum, iam vita functum, e dicto puteo extractum, eius consanguinei et propinqui sepeliendum deflerent, erat tunc temporis P. Franciscus Xaverius in ecclesia protomartyris sancti Stephani supradicta paratus ad faciendum sacrum, praesentibus multis personis; qui, audiens lamenta et ploratus, percunctatus est a circumstantibus quaenam res esset; et de re admonitus, accessit ad puerum comitatus multis personis; atque, illum videns mortuum, matris eius precibus motus, Deum, genibus flexis, oravit pro vita

illius; et deprecatione peracta, cadaver illud signans cruce, illud, manu apprehensum, Jesu Christi nomine surgere iussit ac vivere; et extemplo puer surrexit, non modo vivens, sed etiam valens ut antea, et P. Franciscus Xaverius eum matri ac cognatis tradidit. Et narravit dictus Paulus Vaz ipsi testi, quod ille viderat hoc dictum miraculum suis propriis oculis, et cum multis qui praesentes erant, [qui] incoeperunt conclamare: miraculum! miraculum! Et gratias Deo egerunt, quia illud operatus fuerat meritis et intercessione dicti P. Mtri. Francisci Xaverii.

Dixit etiam testis se multoties et a multis aliis audivisse narrari de hoc miraculo, et illud [g] fuisse et esse publicum et notorium, publicam vocem et famam in tota ora Piscariae.....

## 79.[us] TESTIS

Emanuel Fernandez, indus, et parava, coniugatus, natus et incola in hoc oppido Virandepatanani, mercator, qui vivit suis expensis et comercio.....

Dixit se habere annos 80 et ultra.....

Juxta XI.[um], testis dixit se cognovisse P. Franciscum Xaverium in hac ora Piscaria; et quod 60 abhinc annis, plus minusve, ipse testis adivit portum temanapatanum, in ora Coromandelli, cum mercibus, vendendi causa; et in dicto portu invenit P. Franciscum Xaverium, et ibi deosculatus est manum eius ob reverentiam. Et cum ibi praesens esset quando dictus Pater celebrabat missam, visus fuit ab ipso teste et a universo populo, qui aderat sacro, amplius cubito sustineri divina vi sublimis a terra; quam rem omnes habuerunt pro miraculo et dono particulari, dicto P. Francisco Xaverio a Deo concesso. Et deinceps omnes habuerunt dictum Patrem pro viro sancto, et crediderunt famam veram esse, quam audiebant de sanctitate illius, ac bonis et sanctis operibus ab illo factis.

Insuper vidit ipse testis quod P. Franciscus Xaverius praedicabat illis gentibus eorum lingua, et omnes mirabantur quod tam bene loqueretur, cum tamen tunc ad illos veniret, nec posset

---

g illo *ms.*

eorum linguam addiscere, quae est valde difficilis. Et cum essent in illo portu et oppido personae diversarum nationum et variarum linguarum, in quadam concione, quam habuerat dictus Pater in praesentia ipsius testis, affirmabant omnes se eum intelligere ac si uniuscuiusque propria et naturali lingua loqueretur. Et ipse testis illum tunc intellexit in sua lingua. Et fama erat apud omnes illum, statim atque veniebat in unam regionem, loqui quamcumque linguam. Quare propter hoc multi convertebantur [h], quia hoc habebant pro magno miraculo.....

### 80.us testis

Thomas Crucius, chumdremanetenem, unus ex magistratibus eiusdem loci Virandepatanani, vir coniugatus, indigena, et incola huiusdem, qui vivit suis expensis et stipendio sui patangatinatus.....

Dixit se habere annos 52 plus minus.....

Juxta XI.um, testis dixit se semper audivisse quod P. Franciscus Xaverius fuit dotatus omnibus virtutibus, et magna charitate erga pauperes et proximum, et fuit zelantissimus salutis animarum, et convertit multos infideles in hac ora Piscaria et in tota India, et fuit vir sanctus. Et ipse testis specialiter audivit a Petro Fernandez, indo, coniugato et incola huius loci Virandepatanani, et in eodem tradendae doctrinae vicarius, et in multis aliis locis huius orae Piscariae fuit magister christianae doctrinae, qui erat vir timoratus valde, et frequentabat saepe sacramenta confessionis et eucharistiae, annorum 87; et narravit dictus Petrus Fernandez ipsi testi se scire, quia tunc erat comes P. Francisci Xaverii in ministerio tradendae christianae doctrinae et docendi cathechismum neophitis, ex visu et certa scientia, quod dictus P. Xaverius, cum esset in oppido Combuturae, orae Piscariae, ubi est ecclesia prothomartyris sancti Stephani, puerum in puteo suffocatum, in quem ceciderat et per multas horas sub aquis jacuerat, matris illius precibus adductus, deprecatione [i] prius

---

[h] controvertebantur *ms.* [i] praecibus adductus, depraecatione *ms.*

facta ad Deum pro pueri defuncti vita, signavit illum cruce, et, manu prehensum, Jesu Christi nomine surgere ac vivere iussit, et statim supradictus puer surrexit, non modo vivus, sed etiam valens; quem postea tradidit matri et consanguineis illius. Et omnes qui praesentes erant, obstupefacti tanto miraculo, conclamarunt: miraculum! miraculum!; et gratias Deo egerunt de illo. Et dixit amplius ipse testis, se audivisse hoc idem miraculum a Paulo Vaz, indo et carea, eiusdem loci Comboturae, viro timorato, et optimo christiano, qui tunc erat annorum 90, et praesens fuit huic miraculo, et illud narrabat eodem modo, quo ipse testis supra deposuit; et erat etiam de hoc publica vox et fama, et fuit et est publicum et notorium in tota ora Piscariae.....

81.us TESTIS

Ludovicus Fernandez, indus et parava, natus in oppido Punicalis, et coniugatus, et incola pagi Triandur, ecclesiae parrochialis sanctorum Regum Magorum huius orae Piscariae, et ofícialis territorii suae parrochiae, qui vivit suis expensis et stipendio sui muneris.....

Dixit se habere annos 60 et ultra.....

Juxta XI.um, testis dixit se semper audivisse quod P. Franciscus Xaverius fuit religiosus optimae vitae et virtutis ac vir sanctus; et quod Deus operatus est multa miracula meritis ac intercessione illius in hac ora Piscariae dum eam lustravit; et in illa multos infideles convertit et baptizavit. Et specialiter audivit ipse testis saepe a suo patre, quod, cum ille esset canacapola [j] ecclesiae Assumptionis beatae Mariae oppidi Vaipar, huius orae Piscariae, P. Francisus Xaverius illuc pervenit causa denunciandi evangelium, et docendi neophitos, et convertendi ethnicos ad religionem christianam, sicut dictus P. Franciscus Xaverius solebat facere per totam oram Piscariam in omnibus locis. Et volens proficisci ex loco illo verno tempore, conscendit navigium in fluvio dicti loci (qui tunc temporis est profundus et inundat, et rapidissimo cursu in mare influit), et, navigium conscensus,

---

j esse canacapolae *ms.*

dictus P. Xaverius iussit ipsius testis patri supradicto (qui vocabatur Franciscus Fernandez, et conscenderat similiter navigium associandi dictum P. Xaverium causa) descendere e navigio et remanere in terra. Et Xaverius tunc intendit oculos et sensum ac cogitationes in alias res, quae ad Dei honorem spectabant, et navigium provectum est recto cursu, et praedictus Franciscus Fernandez ab illo non desilivit, sicut dictus P. Xaverius iusserat, quia timuit fluvii velocitatem vehementem. Sed cum dictum navigium, medio fluvio provectum, iam mare ingrederetur, dicti fluminis hostio relicto, dictus P. Xaverius, retro respiciens, vidit dictum Franciscum Fernandez et ei dixit: quare non descendisti e navigio? Et ille respondit: quia timui ne velocissimo fluvii cursu abriperer [k]. Ne timeas, respondit P. Xaverius; et, benedictione crucis signans eum, iterum iussit descendere navigio et ire ad terram. Tunc dictus Franciscus Fernandez, obtemperans Xaverii mandato, desilivit e navigio in flumen; et in instanti eodemque momento se vidit in litore positum, nesciens quomodo; quam rem dictus Franciscus Fernandez obstupuit valde et aestimavit miraculum, et pro tali reputavit, quod Deus operatus fuerat in persona ipsius meritis et intercessione magni servi Dei, P. Francisci Xaverii.

Audivit etiam ipse testis ab Augustino de Pina, viro timorato et optimo christiano, qui servivit P. Francisco Xaverio in hac ora Piscaria pro comite, quod ille vidit dictum Patrem lavare pauperem quemdam, qui erat afflictus multis pustulis, et postea, ut se mortificaret, ebibit aquam relictam ab illis, et oravit pro sanitate illius pauperis ulcerosi, et statim redditus est sanus, et fuit liberatus ab illis pustulis; quod habitum fuit pro magno miraculo, et de illo fuit et est in promontorio Commorini, ubi factum contigit, et in tota hac ora Piscariae, publica vox et fama.....

---

[k] abriperere *ms.*

## DIE 31 AUGUSTI 1616

IN ECCLESIA NATIVITATIS BEATAE MARIAE HUIUS OPPIDI PUNICALIS, ORAE PISCARIAE.....

### 82.us TESTIS

Franciscus Vaz, presbyter, beneficiatus eiusdem ecclesiae, indus natione. ....

Dixit se esse annorum 37, et quod quotidie celebrat in sua ecclesia.....

Juxta XI.um, testis dixit se semper audivisse, dum capax fuit rationis, quod P. Franciscus Xaverius fuit religiosus magnae virtutis et sanctitatis, et totum suae vitae tempus consumpsit in piis ac sanctis exercitiis, aegris operam dando in hospitali quod erat in hoc oppido. Et multoties trahebat amphoras, aqua plenas, suis propriis humeris, et illa abluebat pedes et abstergebat ulcerosas plagas eorumdem aegrorum; et multoties, accensus spiritu mortificandi se, bibebat aquam eandem, qua abluerat dictos aegros, quod etiam fecit in promontorio Commorini cum quodam aegro et pustulis pleno; et postquam ebibit aquam eandem, qua illum lavit, oravit Deum pro illius salute, et statim vlcerosus pauper fuit restitutus sanitati et a pustulis liberatus.

Praeterea dictus P. Franciscus fuit zelantissimus salutis animarum, omnesque salvos facere, quantum potuit, procuravit, tum christianos, tum ethnicos, quorum magnum numerum ad Christi fidem convertit vir sanctus.

Et ipse testis audivit a quodam Antonio Cheruquil, similiter indo, coniugato et incola huius Punicalis, qui erat vicarius tradendae doctrinae et docendi neophitos cathechismum dictae ecclesiae Punicalis; et erat vir optimae vitae et honestae; et habebat tunc annos 70 et ultra; et narravit dictus Antonius Cheruquil ipsi testi, quod ille in pago Combuturae, orae Piscariae, parrochiae prothomartyris sancti Stephani, suis propriis oculis vidit quod P. Franciscus Xaverius, cum puer in puteo suffocatus esset, misertus casum pueri mortui et commotus lachrymis parentum, oravit Deum genibus flexis pro vita illius, et postea illum manu apprehendit et surgere jussit, et repente dictus puer

suscitatus fuit. Et ipse testis, 18 aut 20 abhinc annis, audivit hoc miraculum ab Antonio Cherroquil, iam vita functo; et etiam illud audivit a multis aliis personis. Et de hoc fuit et est in tota hac ora Piscariae publica vox et fama.....

### 83.us testis

Don Antonius, indus et parava, indigena, et coniugatus, et incola huius oppidi Punicalis, piscator margaritarum, et vivit ex hoc commercio, filius Antonii Cheruquin eiusdem oppidi.....

Dixit se habere annos 35.....

Juxta XI.um, testis dixit se semper audivisse P. Franciscum Xaverium fuisse sanctum; et quod multoties ipsi testi narravit suus pater, Antonius Charuquil [1], miraculum quoddam, quod propriis oculis viderat, scilicet: cum esset semel dictus P. Franciscus Xaverius paratus ad faciendum sacrum in ecclesia sancti Stephani oppidi Combuturae, orae Piscariae, praesente populo ad audiendum illud, omnes audiverunt foris lamenta et ploratus; et percunctatus dictus P. Xaverius de re, scivit quod ceciderat in puteum quidam puer; et quia in illo diu jacuit sub aqua, suffocatus est, atque eum, iam a dicto puteo extractum, eius mater et consanguinei sepeliendum deflebant. Et statim dictus P. Xaverius exivit [m] ab ecclesia, subsequente populo, et venit ad locum, ubi pueri mater illum mortuum deflebat; et, precibus matris commotus, flexis genibus, Deum oravit; et postea, faciens crucem super illum, eum apprehendit manu, et Jesu Christi nomine iussit vivere; et extemplo dictum puerum ad uitam revocavit, et illum valentem ac sanum, ut antea, dictus P. Xaverius matri tradidit. Quam rem videntes universi qui aderant, aestimaverunt miraculum, et, illud conclamantes, egerunt gratias Deo, qui operatus fuerat illud meritis ac intercessione magni servi Dei, P. Francisci Xaverii. Et de hoc miraculo fuit et est publica vox et fama.....

---

[1] *Paulo ante, eum* Cheruquin *appellavit.* [m] euiuit *ms.*

## DIE 2.da SEPTEMBRIS ANNI 1616

### IN OPPIDO BEMBAR, IN ECCLESIA SPIRITUS SANCTI.....

### 84.us TESTIS

Petrus Gonsalvez, indus et parava, mercator, coniugatus et incola huius oppidi Bembar, natus in illo Tutucurini, vivit suis expensis et comercio.....

Dixit se esse annorum 55 et ultra.....

Juxta XI.um, testis dixit se audivisse a quodam Petro Fernandez, indo et indigena pagi Verandepatanani, qui longo tempore fuit comes P. Francisci Xaverii, ac vicarius tradendae doctrinae, et magister instituendi neophitos de catechismo; et quia fuit comes dicti Patris adnotavit eius exercitia, quae vere erant viri sancti; nam erat imbutus magna charitate erga pauperes, et zelantissimus salutis animarum, denunciando evangelium et tradendo christianam doctrinam per multa loca quae obibat, erudiendo tum christianos, tum ethnicos, quorum magnam multitudinem ad Christi fidem adduxit et baptizavit. Et maximum studium paupertatis in eo emicuit et abstinentiae; ac divinis precibus semper fuit intentus; et capiebat cibum valde tenuem; et ipsemet P. Franciscus propriis manibus illum condibat, pueris illis comitatus, quos de doctrina christiana erudiebat; et promiscue cum dictis pueris comedebat.

Dixit amplius ipse testis se, abhinc 30 annis plus minus, adivisse oram Travancoris ad oppidum Raiguemangalani, parrochialis ecclesiae sanctorum Magorum, prope promontorium Commorinum, et ibi audivisse ab aliquibus patangatinis, viris ex principalioribus eiusdem loci, quod erat in dicto oppido homo quidam, quem P. Franciscus Xaverius ad vitam revocavit; et cum ipse testis rogasset dictos homines ut vellent accersiri dictum hominem suscitatum, quia ex hoc magnam laetitiam captaturus erat, statim fuit vocatus a dictis patangatinis, et venit ad domum ubi diversabatur ipse testis; et interrogatus ille homo suscitatus, essetne verum quod fuisset meritis et intercessione P. Francisci Xaverii revocatus ad vitam: respondit esse verum hoc, prout sui

parentes et oppidani affirmabant, quod praesentes fuerunt et propriis oculis viderunt ipsum miraculum. Et ille bene recordabatur quod tunc temporis fuit gravi morbo oppressus et sine spe salutis; imo sciebat certo quod mortuus fuerit, et quod deinde vidit se repente sanum et valentem in praesentia P. Francisci Xaverii. Tunc duo nobiles ex illis hominibus patangatinis, quorum unusquisque erat annorum 70 plus minus, dixerunt ipsimet testi, praesente dicto homine suscitato et multis aliis, quod dictus homo, cum esset puer, pestilenti morbo oppressus, discessit a vita in oppido Mutano promontorii Commorini; et ipsi, audito fletu parentum, quem faciebant super filio mortuo, simul etiam cum P. Xaverio eo contenderunt; quem puerum ita mortuum tum videns Xaverius, parentum orbibatem miseratus et precibus eorum adductus, in genua pervolutus, deprecatus est Deum pro vita pueri defuncti, et, oratione peracta, illum Jesu Christi nomine surgere jussit, et extemplo vitae restituit, et vivum ac valentem tradidit supradictis eius parentibus. Et hoc factum sic relatum viderunt illi propriis oculis et habuerunt pro miraculo; et omnes maximas gratias Deo egerunt pro tanto miraculo, laudantes multum sanctitatem P. Mtri. Francisci Xaverii.

Dixit etiam ipse testis se audivisse a supradicto Petro Fernandez, comite P. Francisci Xaverii, quod dictus Pater dedit naufrago militi, qui fuerat a pyratis expoliatus in promontorio Commorini, aliquot nummos, qui a Deo sibi fuerunt suppeditati, propter commiserationem, quam dictus Pater habuerat de illo mendico naufrago. Et de hoc miraculo fuit estque etiam publica vox et fama in dicto promontorio.....

Et declaravit ipse testis supradictum hominem suscitatum, tunc esse annorum 45 quando ipse alloquutus est cum eo de supra relato miraculo.....

## DIE 7.ª SEPTEMBRIS ANNI 1616

IN OPPIDO TUTUCURINI ET IN ECCLESIA SANCTI PETRI EIUSDEM OPPIDI.....

### 85.us TESTIS

Thomas Vaz, indus et parava, indigena, coniugatus et incola huius Tutucurini, vir optimus, christianus et timens Deum, qui vivit ex suis bonis.....

Dixit se esse annorum 67 et ultra.....

Justa XI.um, dixit testis se non meminisse P. Francisci Xaverii, sed audivisse semper, a tempore suae recordationis, quod dictus P. Xaverius erat magnis virtutibus praeditus et vir sanctus; et quod Deus operatus fuerat meritis et intercessione illius multa miracula, praecipue in tota ora Piscariae, quia suscitavit multos in diversis locis eiusdem orae, et liberavit quandam mulierem ethnicam in hac ora, quae erat posita in evidenti periculo mortis propter difficultatem partus, recitando quoddam evangelium super illam; quo miraculo viso, propinqui illius et fere totus pagus se converterunt ad fidem christianam. Et specialiter audivit ipse testis coram multis aliis a quodam Antonio Cherucquil, indigena et incola oppidi Punicalis, quod ille uiderat suis propriis oculis quod P. Franciscus Xaverius in oppido Combuturae revocavit ad vitam puerum mortuum, qui in puteum ceciderat et in eo suffocatus fuerat, et illum postea tradidit matri vivum et sanum; quod fuit habitum a circumstatibus pro magno miraculo, laudantibus sanctitatem P. Francisci Xaverii.

Dixit amplius ipse testis, quod, veniens P. Franciscus Xaverius ad oppidum Punicale, quia non habebat propriam habitationem, in domum se recepit ipsius testis patris, qui erat indigena et incola eiusdem oppidi, et habebat ex sua coniuge tres filias; et cum desiderarent ipsius testis pater et mater habere filium ad suum solatium, petierunt a dicto P. Francisco ut vellet intercedere apud Deum pro eo habendo; quibus ille respondit: magnam fidem habete in Deo, nam vobis promitto fore, ut ille vobis concedat filium optatum. Cui ipsius testis parentes replicarunt: vere confidimus, o Pater! Sed a te impetrare volumus subscriptionem

aliquam, quae nostris faveat votis ex verbis sancti evangelii (res est quam christiani huius orae Piscariae solent postulare ab ecclesiasticis ad suas infirmitates et necessitates, et has inscriptiones sanctorum verborum, magna devotione secum ferunt brachiis et collo ligatas), et dictam scriptionem P. Franciscus Xaverius eis concessit, qua accepta, habuerunt postea tres filios, quorum ipse testis est natu tertius; et multoties vidit supradictam subscriptionem inter alias scripturas sui patris, quam manibus saepe habuit. Et ipsummet testem suus pater admonebat ne eam amitteret, dicendo: posteaquam impetravi illam ab illo magno servo Dei, P. Francisco Xaverio, eius meritis et intercessione natus es tu cum duobus aliis fratribus natu maioribus, quam rem ego cum matre tua a P. Xaverio postulaveram.

Audivit etiam ipse testis ex publica voce et fama, quod P. Franciscus bibit aquam, qua laverat sordes et pustulas cuiusdam mendici prope promontorium Commorini, et, faciens postea orationem ad Deum pro illius sanitate, illum statim liberavit a pustulis et vlceribus.

Audivit amplius ipse testis a personis quae viderunt miraculum, quod P. Franciscus Xaverius habuit extasim in consecratione missae, quam celebrabat in quadam ecclesia portus Tevanapatani Coromandelli, et quod ibi, in quadam concione habita populo, cum essent praesentes multi mercatores diversarum nationum et variarum linguarum, unusquisque intelligebat illum in sua propria lingua ac si in illa tantum loqueretur, quod habitum fuit pro magno miraculo; et haec eadem fama erat in tota ora Piscariae, quod ille praedicabat statim atque venit in dictam oram idiomate paravano, ita polito, ac si ibi natus esset. Et de his omnibus miraculis supra relatis fuit etiam et est publica vox et fama.....

### 86.us testis

Joannes Naregueriguе, indus et parava, indigena, coniugatus et incola huius oppidi; vir optimus christianus ac timoratus, qui vivit suis expensis et bonis.....

Dixit se habere annos 55 plus minus.....

Juxta XI.^um^, testis dixit se semper audivisse quod P. Franciscus Xaverius fuit omnium virtutum amator et vir sanctus; et quod Deus operatus est multa miracula meritis et intercessione illius; et ipse testis specialiter audivit coram multis aliis a quodam Antonio Cheruquil, incola oppidi Punicalis, quod ille vidit suis propriis oculis, quod in oppido Combuturae P. Franciscus Xaverius suscitavit puerum, qui ceciderat in puteum et in eo fuit diu submersus, victus precibus matris eiusdem pueri et consanguineorum, et quod illum vivum illis tradidit.

Dixit amplius ipse testis, se, 20 abhinc annis, adivisse Milliaporam, civitatem episcopalem (in qua corpus gloriosi apostoli sancti Thomae fuit sepultum posteaquam exequutus est palmam martyrii ab infidelibus eiusdem territorii), et illic audivisse a quodam Antonio Enriquez, indo nobile et optimo christiano, qui erat mercator navigationis Malacae, et narravit ipsi testi se vidisse suis propriis oculis Patrem Franciscum Xaverium amplius cubito a terra divinitus elevatum in sacro, quod faciebat in templo apostoli sancti Thomae eiusdem civitatis, praesentibus multis personis, quae hoc viderunt miraculum.

Narravit insuper ipsemet testis supradictus, mercator, quod, discedens ex illa civitate Malacham versus, consalutato Xaverio in discessu, ab eo petivit aliquid devotionis et memoriae causa, cui dictus Pater dedit quandam coronam, et adiunxit ut eam magni aestimaret, quia non periturus erat in mari dum illam secum haberet. Profecta vero est navis a portu, et iam longe aberat in alto mari, cum, propter magnam tempestatem, in illo periit; et dictus mercator cum vectoribus desilierunt in tabulata, quae raptim composuerant; et cum iactarentur per aliquod tempus fluctibus, supradictus mercator deliquium animi passus est, in quo sibi videbatur esse cum P. Francisco Xaverio in eodem portu, a quo profectus fuerat; sed, experrectus a somno seu emersus ab illa animi extasi, repente se vidit in ora Negapatani, prope Meliaporae civitatem, salvum et incolumem; et non vidit socios nec tabulata, quia fuerunt undis obruti; et supradictus mercator se vidit in illo littore quinque inde dies postquam desilivit in illas tabulas.

Dixit amplius ipse testis, se audivisse a quibusdam mercatoribus, qui facto adfuerunt in portu Tevanapatani orae Coromandelli, quod P. Franciscus Xaverius, faciens ibi sacrum, passus est extasim in eo. Et de his etiam miraculis supra relatis fuit et est publica vox et fama in ora Piscariae et in illa Coromandelli.....

87.us testis

Didacus Joannes, indus et parava, coniugatus et incola huius oppidi, vir christiana vita et timorata, qui vivit ex suis bonis.....

Dixit se esse annorum 50 plus minus.....

Juxta XI.um, testis dixit se semper audivisse P. Franciscum Xaverium fuisse praeditum omnibus virtutibus et virum sanctum; et quod Deus operatus fuerat multa miracula per merita et intercessionem illius in hac ora Piscariae, et specialiter quod suscitavit aliquot mortuos in illa; et quod ipse testis audivit in praesentia multorum a quodam Antonio Cheruchil, incola Punicalis huius orae Piscariae, quod ille suis propriis oculis viderat quod P. Franciscus Xaverius in oppido Combuturae, deprecatione Deo facta pro vita pueri cuiusdam, mortui, qui in puteum ceciderat, et in eo vitam finivit quia diu ibi iacuit, et faciens crucem super illum, nomine Jesu, illum restituit vitae, et vivum matri reddidit, quae illum deflebat; quod fuit habitum pro magno miraculo. Scit etiam ipse testis ex publica voce et fama quod P. Franciscus Xaverius bibit aquam, qua laverat aegrum mendicum pustulis plenum, et orans Deum pro illus sanitate, repente redditus est sanus et fuit liberatus ab ulcerosis plagis et pustulis.....

88.us testis

R. D. Franciscus de Angelis, judex ejusdem causae, vicarius ecclesiae sancti Petri Tutucurini, et vicarius generalis, sede vacante, totius orae Piscariae et eius districtus, indus natione, natus Meliaporae, in civitate sancti Thomae, qui vivit ex redditibus suae ecclesiae.....

Dixit se habere annos 56, et quod celebrat quotidie.....

Juxta XI.^um^, sibi lectum, dixit se audivisse, cum esset in oppido Negapatani vicarius foraneus, a Patre fratre Francisco de Oriente ordinis seraphici sancti Francisci, et custode monasterii illius oppidi, religioso magni exempli et magnae auctoritatis, quod dictus Fr. Franciscus de Oriente audivit aliquot miracula a suo patre, quae Deus operatus fuerat meritis ac intercessione sui magni servi, P. Francisci Xaverii; et specialiter, cum dictus P. Xaverius semel navigaret Malacam ex Molucis in quadam navi, quae erat patris ipsius custodis, et cum paululum videretur quiescere, repente, inde exiliens, summo impetu et angore animi exclamavit: Jesu bone! Jesu bone!; accurrite, defendite, defendite. Et cum accurreret supradictus navarchus, pater dicti custodis, cum nonnullis lusitanis, postularunt a P. Xaverio quid rei esset, quibus ille respondit: ah!, quia in hac hora occisus fuit vir; et nomen designavit (sed ipse custos non recordabatur de nomine viri occisi, quia a multis annis hoc factum audiverat). Caeterum, qui praesentes fuerunt dictae revelationi adnotarunt factum, et, appellentes portum Malacae, percunctati sunt de eo, et compererunt dictum hominem eo ipso tempore, quo Xaverii clamor auditus fuit in navi, fuisse Malacae interfectum.

Dixit amplius ipse testis, se audivisse ab eodem Patre custode, quod audiverat a suo patre, quod in eadem navigatione malacensi saeva tempestas in ultimum discrimen adduxit vectores navis, ita ut de salute iam desperati essent; in quo periculo pater dicti custodis, qui erat navarcus, venit ad P. Xaverium, et eum rogavit ut vellet deprecari Deum pro ipsius salute et incolumitate navis. Quem, pavore torpentem, intuitus Xaverius, bono animo esse, et omittere timorem ac in Deo confidere iussit, quia eos erepturus erat ab illo naufragio, et appulsuri erant portum prospero cursu salvi et incolumes propter ipsius Dei misericordiam, inquiens: haec oneraria, qua vehimur, faciet multas alias navigationes salva et incolumis, et numquam peribit in mari, sed in navali interitura erit, et se ipsa dissolvetur.

Et haec omnia ita contigerunt prout dictus Pater Xaverius promiserat ac praedixerat; quia navis illa, quae vocabatur Sanctae Mariae angelorum, propter benedictionem quam habuit a

P. Francisco Xaverio, non in mare periit, sed in palenchina ita se ipsa dissoluta est post multas navigationes quas fecit, et multa pericula quae semper evasit.

Et haec omnia dictus Pater custos affirmavit se scire ex certa scientia et relatione sui patris, et de illis etiam fuisse et esse in India publicam vocem et famam.....

DIE 9.ª SEPTEMBRIS ANNI 1616

IN HAC ARCE MANARIAE.....

89.us TESTIS

Andreas Vaz, sacerdos, indus et natione parava, vicarius in promontorio Comorini, qui vivit ex sua ecclesia.....

Dixit se habere annos 44 plus minus, et quotidie facere sacrum.....

Juxta XI.um, testis dixit se scire ex auditu P. Franciscum Xaverium fuisse sanctum et pro tali reputatum; et quod lustravit totam oram Piscariae in conversione animarum; et scit etiam ipse testis quod dictus Pater fuit propugnator et propagator fidei christianae inter infideles, et fuit zelantissimus salutis animarum et honoris Dei; et christiani illius orae Piscariae hactenus illum habebant in magna veneratione; et hoc audivit ipse generaliter ab omnibus.

Audivit etiam ex publica voce et fama, quae viguit et viget de hoc in eodem loco et in tota ora Piscariae, quod dictus P. Xaverius in loco Talle, prope oppidum Manapar, suscitavit puerum mortuum, qui fuerat nocte ante laesus ab angue multum venenoso, quem vocant de capello [n], deprecatione pro vita illius mortui ad Deum facta. Et hoc miraculum audivit etiam a propriis parentibus et consanguineis dicti pueri suscitati.

Item, scit ipse testis, quia haec vidit et fuit vicarius a promontorio Commorini usque ad oppidum Raique Mangalano, quod est quaedam crux in Cottate, oppido ethnicorum, quam ibi erexerunt christiani in honorem P. Francisci Xaverii, et simul po-

---

[n] de decapallo *ms.*

suerunt in dicta cruce imaginem illius; et generaliter ab omnibus supradicta crux appellatur P. Mtri. Xaverii; et cum mulier quaedam ethnica, sterilis, devotione dicti sancti Patris adducta, adiverit dictam imaginem, rogatura filium ab eo, promisit se vocaturam esse filium nomine Francisci. Ad novem inde menses dicta mulier illum peperit meritis et intercessione Xaverii, et eum vocavit Franciscum; de qua re certi cognati ethnici dictae mulieris ei maxime fuerunt irati, et hac de causa illam multis verberibus percusserunt; sed statim sequenti nocte dicti consanguinei mulieris praedictae eiusdem loci Cottatae subitanea et insperata morte ceciderunt °; et dicta mulier se convertit, et cum filio baptizata fuit; quae res fuit habita pro magno miraculo.

Item, s[c]it testis, quia haec audivit ab eodem viro, quod, cum ille esset caecus propter sulphureum ignem, quo inopinate fuit combustus in quadam festivitate, et permansit caecus per aliquot annos. Erat dictus homo incola Moralle, orae Travancoris, qui vocabatur Cambaretecura; adivit ad ecclesiam Cottate ad visitandum imaginem P. Francisci Xaverii, et ibi intra novem dies, sine aliquo medicamento, recepit lumen oculorum, et composuit in honorem dicti P. Francisci aliquot cantiones. Et hoc miraculum fuit etiam et est publicum et notorium.

Item, scit testis, quia vidit, maximum esse concursum, tum christianorum, tum ethnicorum, qui visitant dictam ecclesiam cum suis votis et eleemosynis. Scit item, quia haec vidit, quod quidam vir, natione carea, piscator oppidi Combuturae, incidit in morbum in dicto oppido Cottatae, ubi est imago dicti Patris. Et cum vellent magi ethnici dicto aegroto applicare sua remedia magica, noluit supradictus aeger illorum medicamentis uti, et iussit sibi afferri quandam imaginem dicti P. Xaverii cum cruce quadam, et, eam amplectens, extemplo recuperavit sanitatem, et statim venit in dictam ecclesiam ad implendum votum, P. Francisco Xaverio factum.

Item, dixit amplius testis in facto proprio, quod, cum esset in supradicto loco Cottate, tali fuit vexatus dolore, ut in periculo

---

° caeciderunt *ms.*

vitae suae fuerit constitutus, quia sanguinis continuum fluxum patiebatur, et nulla iam habita spe in humanis remediis, jussit sibi afferri imaginem dicti P. Francisci cum cruce; et, eam amplexatus magna fiducia, quam in dicto sancto Xaverio habebat, statim obdormivit, et sanguinis profluvium periculosum cessavit.

Scit idem testis quod vir patangatinus oppidi Manapar orae Piscariae, nomine Joannes de Mesquita, ab imagine et cruce dicti P. Xaverii recuperavit lumen oculorum, quo carebat. Et haec omnia supradicta miracula scit ipse testis, quia ea propriis oculis vidit. Et scit ex auditu quod imago Xaverii fecit multa alia miracula, et quod multi se commendant dicto sancto in omnibus suis necessitatibus.....

### 90.us testis

Emanuel de Thaide, indus natione, natus et incola huius arcis Manariae, vir coniugatus, qui vivit propriis expensis et comercio juxta indorum consuetudinem.....

Dixit se habere annos 40.....

Juxta XI.um, testis dixit se scire ex publica voce et fama, quod P. Franciscus Xaverius fuit magnus servus Dei et sanctus, et pro tali reputatus; et quod lustravit totam hanc oram Piscariam, et hanc insulam Manariae et oram Travancoridis, et in ulteriora Orientis regna, Malacam, in Molucas, Japponiam et Sinas, penetravit ad convertendas animas et disseminandum Christi evangelium, in quibus magnam multitudinem ethnicorum convertit et baptizavit; et inter illos multa et magna miracula fecit. Et scit ipse testis quod populus Indiae generaliter illum habet in magna devotione.

Scit etiam ipse testis, quia haec audivit a Joanne Mello Sampaio, patritio nobili, et equite de domo regis, praefecto huius arcis Manariae, et duce generali Candiae, qui haec omnia propriis oculis vidit, quod P. Franciscus Xaverius, cum esset in pago Patino huius Manariae, grassabatur in dicta insula gravis et magna lues, quae ad 200 homines et 300 singulis diebus absumebat in supradicto pago Patino; quare convenerunt ad P. Franciscum Xaverium, et ibidem tria millia fere hominum

congregati sunt cum illo; et maior pars istorum erant ethnici, qui peste illa laborabant graviter, nullo habito remedio in tanta calamitate. Dictus Pater Xaverius, illorum vicem miseratus et spectaculo miserabili commotus, per trium dierum spatium innixe deprecatus est Deum pro salute dicti populi, et in 3.° die omnes redditi sunt sani, et a tam gravi lue fuerunt liberati, quin amplius ullus moreretur ex illo morbo. Quo miraculo adducti, fere omnes ad Christi fidem se converterunt et baptizati sunt a P. Xaverio.

Scit etiam ipse testis, quia hoc audivit ab archiepiscopo goano, don Christophoro de Lisboa, quod P. Franciscus Xaverius in pago Thalle orae Piscariae, non longe a Manapar, suscitavit puerum mortuum, qui nocte ante, dum dormiret in quodam tugurio, fuerat laesus ab angue venenoso, quem vocant de capello.

Et scit testis quod dictus P. Xaverius, in oppido Combuturae, Jesu Christi nomine revocavit ad vitam alium puerum mortuum, qui in puteum ceciderat, in eoque mortuus est, quia per multas horas in illo iacuit. Et hoc miraculum audivit ipse testis a multis paravis eiusdem loci. Et de illo in dicto loco et in tota ora Piscariae fuit et est publica vox et fama.

Audivit amplius ipse testis, quod dictus P. Franciscus liberavit quemdam mendicum aegrum, et pustulis plenum, in promontorio Commorini, et repente ei restituit sanitatem, faciens orationem ad Deum pro eo.

Audivit amplius a quodam Joanne de Fonseca, lusitano, incola, et coniugato, in hac arce Manaria, et scriba bonorum regalium, quod, cum ille captivus esset in arce Cugnale, se commendavit cuidam medaliae, quam sibi dederat dictus P. Xaverius, et eam habebat in magna devotione, et imploravit illius opem, in cuius sanctitate habebat magnam fidem, ut illum liberaret ab illa captivitate; et nocte proxime sequenti visus est inter somnum et vigiliam palam conspicere P. Xaverium, qui, se alloquutus, iussit moerorem deponere, quia ad tres inde dies eripiendus erat ab illo misero servitutis statu; quod ita prorsus evenit.

Dixit amplius testis, quod lusitani asportarunt corpus dicti P. Francisci Malacam a Sinis magna cum veneratione. Et audivit

etiam ipse testis ex publica voce et fama, quae de hoc fuit et est in hac insula Manaria et in tota ora Piscariae, quod cum navis, vetustate pene dehiscens, Lupi de Noronha [p], quae vehebat Malaca corpus P. Francisci Xaverii Goam, ad syrtes Ceilani impacta, vadis haesisset, et ibi affixa per aliquot horas stetisset immobilis, sine ulla spe evadendi naufragium; cum rectores se commendarent dicto Patri precibus ac lacrymis, repente scopulus navem ingenti fragore dimisit, et illa vadis emersit, et sic evasit periculum, quod habuerunt rectores et nautae pro magno miraculo. Audivit etiam ipse testis quod Goae dictum corpus fuit exceptum magna laetitia et devotione, et ibi est integrum et incorruptum; et quod dictus Pater post mortem in magna veneratione et opinione sanctitatis est apud omnes, et eius nomen invocant et auxilium implorant in suis necessitatibus et aerumnis, et aestimant eius reliquias ac imagines tanquam viri sancti.....

DIE X.[a] SEPTEMBRIS ANNI 1616

EODEM LOCO ET ECCLESIA QUIBUS SUPRA.....

91.[us] TESTIS

Antonius Rõiz Barachio, ex parentibus lusitanis, natus in oppido Negapatano, coniugatus, et incola huiùs arcis Manariae, qui saepe fuit providitor Misericordiae, orphanorum, et auditor, saepe capitaneus regius, qui vivit suis expensis et bonis.....

Dixit se esse annorum 51.....

Juxta XI.[um], testis dixit se scire ex auditu hominum, qui cognoverunt P. Franciscum Xaverium, quod fuit habitus ab omnibus vir sanctus; et lustravit Indiae partes, Molucas et Japponiam, et in illis disseminavit Christi evangelium et multos infideles baptizavit; et quod eius corpus est Goae integrum et incorruptum; et quod fit magnus populi concursus ad illud visitandum, et habetur in magna devotione apud omnes. Et scit ex publica voce et fama quod P. Franciscus Xaverius in vita et post mortem patravit multa miracula; et specialiter quod mulier quaedam

---

[p] norhona *ms*.

ethnica, prope Tutucurinum, periclitans dificultate partus a tribus diebus, et morti iam proxima, intercessione ac meritis dicti P. Xaverii fuit liberata ab illo periculo, et peperit filium innoxia statim atque fuit baptizata; et propter hoc miraculum consanguinei eiusdem mulieris susceperunt fidem christianam, et totum fere oppidum baptizatum fuit a P. Xaverio. Et de hoc miraculo fuit etiam et est publica vox et fama.

Scit etiam ipse testis, ex auditu a suo patre et a multis aliis qui viderunt miraculum, quod mercator quidam civitatis Meliaporae, cum navigaret Malacam, in portu habuit coronam a P. Francisco Xaverio, qui ei promisit non periturum in mari dum illam haberet. Sed in media navigatione, navis ob tempestatem passa est naufragium, et in alto mari periit; mercator vero cum aliis vectoribus desiliuit in quasdam tabulas, quas in tanto periculo inter se colligaverant. Et cum esset dictus mercator super eisdem tabulis, animi defectionem passus est, in qua videbatur sibi esse simul cum P. Francisco Xaverio in eodem portu, a quo discesserat cum ab eo coronam precatoriam acceperat; et, repente experrectus, vidit se in littore Negapatani, non longe a civitate Meliaporae, salvum et incolumem; et non vidit amplius nec tabulata nec socios, quia fuerunt undis submersi. Et audivit ipse testis a patre suo, incola Negapatani, quod ille vidit tunc temporis dictum mercatorem salvum ab illa naufragio propter coronam, quam secum habebat, P. Francisci Xaverii. Et de hoc miraculo etiam ipse testis a tempore suae recordationis audivit narrari, et de illo fuisse et esse in tota ora Piscariae et illa Coromandelli publicam vocem et famam.

Item scit ex auditu, quod dictus Pater Goae docuit doctrinam pueros, concionavit et visitavit hospitalia et aegros, ac multa alia charitatis officia exercuit; et quod dictus P. Franciscus obivit oram Travancoris et Piscariae, et in illis multos ethnicos ad fidem convertit et baptizavit; et quod eius corpus, Malacae ex Sinis devectum, fuit exceptum magna cum laetitia et devotione.

Et item, scit testis quod dictus Pater fuit praeditus dono prophetici spiritus; et quod Malacae in concione quadam revelavit ex suggestu populo quod nostra classis victoriam retulit de

acenis hostibus, et dixit horam et diem proprium, jussitque populo gratulari Deo pro tanta victoria; et ita res prorsus evenit. Et in quadam tempestate, vi abrepta scapha a navi et amissa, vectores navis, moestos ob casum dictae scaphae, jussit bono animo esse et Deo confidere, quia filia debebat remeare ad matrem; ut ita prorsus evenit.

Scit etiam testis, ex publica voce et fama quae de hoc viguit et viget, quod dictus P. Franciscus Xaverius suscitavit mortuos in oppidis Coualano, Mutano, Talle, quae sunt in promontorio Commorini; et ad praesens universus populus se commendat dicto P. Xaverio in suis necessitatibus, et impet[r]at gratias et vota a Deo propter merita illius. Et dictus Pater in ora Travancoris facit quotidie multa miracula. Dixitque testis se scire ex visu quod reliquiae et imagines dicti Patris, tanquam viri sancti, sunt in magna veneratione apud omnes.....

92.us testis

Thomas Andreas, lusitanus, natus in India, coniugatus, incola huius arcis Manariae, et fuit in illa judex orphanorum et scriba Misericordiae; vir nobilis, qui vivit suis expensis et bonis.....

Dixit se habere annos 63 et ultra.....

Juxta XI.um, testis dixit se scire ex publica voce et fama quod P. Franciscus Xaverius fuit magnus servus Dei, et hodie est in magna veneratione tanquam vir sanctus; et adivit Malacam et Molucas ad disseminandum Christi evangelium, et in illis convertit multos infideles. Scit ex auditu generali hominum, quod corpus dicti Patris est Goae integrum et incorruptum; et a multis personis invisitur tanquam corpus sanctum, et pro tali habetur ab illis; et quod fuit in magna veneratione, dum vixit, apud omnes, quia erat propugnator et propagator fidei christianae apud infideles; et erat zelantissimus salutis animarum et honoris Dei; et quod in vita et post mortem patravit multa miracula; et quod Goae praedicavit, docuit pueros, visitavit hospitalia et aegros, et in aliis charitatis officiis se exercuit.

Scit etiam testis, ex auditu, a quodam juvene qui servivit

dicto P. Francisco Xaverio, et haec omnia vidit, quod ille illuminavit quemdam mercatorem, caecum a multo tempore, in Japponia. Et cum ibi esset magna penuria piscium, et illa gens esset posita in magna necessitate, quia ex hoc exercitio vitam sustentabant, piscando, dictus Pater, misertus illorum necesitatem, iussit piscatores, qui erant in littore et nullos capiebant pisces, retia in mare mittere; et, faciens orationem ad Deum pro illis, dicti piscatores coëgerunt magnam multitudinem piscium; quo miraculo viso, multi ex illis ethnicis baptizati sunt a P. Francisco. Et de hoc miraculo ipse testis audivit a multis aliis, qui ex Japponia venerant, et ex eo fuit et est publica vox et fama.

Audivit amplius ipse testis a supradicto juvene, comite dicti Patris, quod, cum navigarent ex Japponia ad Sinas et in Malacam, vi tempestatis scapha a navi abrepta fuit, quam rem vectores maxime deplorantes, Xaverius eos, moerore affectos, solatus, jussit bono animo esse, et maximam fiduciam in Deo habere, quia scapha remeatura erat ad matrem; et ita prorsus evenit; nam altero die repente visa fuit dicta scapha prope navim; et affirmarunt illi nautae, qui erant in dicta scapha, quod Pater Xaverius erat simul cum illis in eodem naufragio et tempestate, cum vere esset in navi cum aliis. Et de hoc miraculo fuit etiam et est publica vox et fama.

Item, audivit a dicto juvene, quod dictus Pater promisit navarco navis, valde cariosae et labefactatae, in quadam tempestate, quia dictus navarchus desperabat de incolumitate illius, quod navis illa non peritura erat in mari, sed interitura in navali; et ita prorsus evenit; quia Pater illam benedixerat, et erat, si meminit, navis Santae Crucis.....

### 93.us TESTIS

Ludovicus Correa, indus natione, natus, coniugatus et incola huius arcis Manariae, qui vivit suis expensis et bonis.....

Dixit se habere annos 80 et ultra.....

Juxta XI.um, testis dixit se scire ex publica voce et fama quod P. Franciscus Xaverius fuit semper nominatus, dum vixit, vir sanctus; et quod adivit multas Indiae provincias, in Sinas et Jap-

poniam, ad denunciandum Christi evangelium, in quibus convertit multos infideles; et scit quod populus habuit illum in magna veneratione, dum dictus Pater vixit, quia fuit propugnator et propagator fidei christianae inter infideles; et fuit zelantissimus salutis animarum et honoris Dei. Et scit ipse testis, ex publica voce et fama quae de illis fuit et est, quod dictus P. Xaverius patravit multa miracula in vita sua; et specialiter quod in Japponia illuminavit quendam mercatorem coecum coram multis; et quod illum baptizavit cum tribus filiis, uxore et tota eius familia. Et hoc miraculum audivit a multis fide dignis qui veniebant ex Japponia, et praecipue a quodam Dominico Caldeira, nato Molucis, qui facto adfuit, et fuit comes Xaverii duobus vel tribus annis.

Audivit etiam ipse testis quod P. Franciscus Xaverius liberavit quendam hominem, incolam Meliaporae, a naufragio maris, in quo perierat navis, et illum adduxit miraculose salvum ad littora Negapatani in ora Coramandelli, propter coronam, quam dicto mercatori dederat. Et hoc miraculum audivit ipse testis tunc temporis, quando factum hoc contigit, ab hominibus, qui illum mercatorem viderunt in littore.

Dixit amplius, quod Goae praedicavit et docuit pueros, visitavit hospitalia et aegros, et alia pia opera fecit; quodque lustravit oram Piscariam et Travancoris, in illisque convertit et baptizavit multos; et corpus illius est Goae integrum et incorruptum, et christiani illum habent in magna veneratione et cultu. Scit testis ex auditu, quod dictus Pater fuit ornatus dono prophetiae, et quod benedixit atque etiam praedixit quod navis Sanctae Crucis non erat peritura in mari, sed in navali; et ita prorsus evenit. Atque etiam promisit in tempestate quadam quod scapha, quae fuerat amissa, reversura erat ad matrem; et ita prorsus evenit; quia precibus illius altera die visa fuit repente recta redire ad navem, vigente adhuc eadem tempestate. Et quod scit ex visu, quod populus post mortem dicti Patris illum habet in magna veneratione et opinione sanctitatis, et illi se comendant in suis necessitatibus, et postulant magna devotione eius reliquias ac imagines, tanquam viri sancti.....

## 94.us TESTIS

Balthassar de Mattos, viduus, lusitanus, nobilis et incola huius arcis Manariae, qui saepe fuit capitaneus classis regiae, et in hac arce fuit scriba Misericordiae et bonorum regalium; vivit suis expensis et bonis.....

Dixit se habere annos 58.....

Juxta XI.um, testis dixit se scire ex auditu generali quod P. Franciscus Xaverius, dum vixit, fuit habitus vir sanctus et magnus servus Dei; et quod lustravit oram Piscariae et Travanris, in quibus praedicavit evangelium Dei, et convertit multos ad fidem catholicam. Et ibi in regno Travancoris se obiecit multis periculis propter defensionem christianorum, quos ille converterat, et semel se opposuit et obviam ivit exercitui Naique de Madure, qui veniebat ad destruendum christianos noviter ad fidem conversos. Et dictus exercitus, perterritus aspectu P. Francisci Xaverii, qui ex quodam monte, prope Commorini promontorium, illis barbaris obviam se fecit, progredi vlterius non potuit; ob timorem P. Francisci Xaverii reverterunt eadem, qua venerant, via. Et [q] hoc fuit et est publicum et notorium in utraque ora Travancoris et Piscariae.

Et audivit ipse testis, quod corpus dicti Patris est Goae integrum et incorruptum in collegio Societatis Jesu; et quod populus habet illum in multa veneratione, quia fuit propugnator et propagator fidei christianae inter infideles, et fuit zelantissimus salutis animarum et honoris Dei. Et scit ipse testis, ex publica voce et fama quae de hoc viguit et viget, quod dictus P. Xaverius suscitavit quendam mortuum in oppido Coualano promontorii Commorini; et quod patravit multa alia miracula in vita sua; et credit ipse testis miracula supra relata fuisse vera et non ficta. Et audivit insuper quod dictus Pater praedicavit Goae et erudivit pueros, peregit alia officia charitatis, et quod ivit in Japponiam, et in illis regnis convertit multos ethnicos et baptizavit, et ibi fecit multa miracula, et in particulari illuminavit quendam

---

q Et de *ms.*

caecum mercatorem, et fecit ut aliqui piscatores caperent magnam multitudinem piscium, cum ibi penuria esset. Et haec miracula audivit a personis quae ea viderunt. Et scit quod corpus dicti Patris fuit exceptum Goae magna cum veneratione; et quod adhibita fuit calx dicto corpori quando sepultum est apud Sinas, ut citius consumeret [r] carnem; sed placuit Deo ut nunquam exederetur, imo potius repertum fuit integrum et incorruptum, prout ad praesentem diem dicitur esse Goae in collegio Societatis Jesu, cum longo tempore sepultum esset.

Scit amplius ipse testis ex auditu, quod habent omnes dictum Patrem in magna veneratione post eius mortem, et illius opem implorant in suis necessitatibus; et venerantur maxime eius reliquias et imagines tanquam viri sancti.....

DIE 15 SEPTEMBRIS ANNI 1616

IN OPPIDO CARCEL, IN ECCLESIA EIUSDEM LOCI.....

95.[us] TESTIS

Giraldus de Miranda, sacerdos et vicarius confirmatus ecclesiae loci de Carcel huius arcis Manariae, indus et parava; vivit ex redditibus dictae suae ecclesiae.....

Dixit testis se habere annos 35; et quod quotidie facit sacrum in dicta sua ecclesia.....

Juxta XI.[um], testis dixit se scire, ex publica voce et fama, quod P. Franciscus Xaverius in vita sua fuit nominatus vir sanctus; et quod lustravit oram Piscariae et Travancoris; et quod in illis promulgavit evangelium, et multos ethnicos baptizavit; et inter infideles fuit propagator christianae fidei et propugnator, ita ut saepe se opposuerit barbaris et infidelibus propter christianorum defensionem, et eos perterrefecit aspectu suo, et magna fortitudine animi increpavit, ut semel contigit contra feros badagas exercitus Naique, qui veniebant contra christianos regni Travancoris.

Et scit ipse testis, ex publica voce et fama, quod dictus Pater

---

[r] consumaret *ms.*

patravit multa miracula, et specialiter quod suscitavit puerum mortuum, iam funebri veste involutum, et sepulturae tradendum, in oppido Mutano orae Commorinensis. Et audivit ipse testis a suo patre, qui haec vidit, et servivit dicto P. Francisco Xaverio, cum esset puer, pro comite et discipulo tradendae doctrinae, quod in oppido Talle, puer, qui observiebat etiam dicto P. Xaverio, repente cecidit in terram moribundus, ac morte colluctans, multas spumas ore eiiciens, animam egit; quem videns Xaverius, oculos ad coelum tollens, statim flexis genibus precatus est Deum pro vita illius; et saliva oris sui inungens pueri pedem, laesum morsu anguis venenosi, ob quem ceciderat mortuus, extemplo dictum puerum ad vitam revocavit, et sanum reddidit ut antea.

Audivit etiam ipse testis, quod lusitani, post mortem dicti Patris, detulerunt corpus illius magna cum veneratione, et eadem fuit exceptum in India; et quod est adhuc integrum et incorruptum Goae; et populus generaliter illum habet in eadem veneratione et opinione sancti post mortem. Et semper crevit haec devotio erga Xaverium absque diminutione; et omnes illum invocant in suis necessitatibus, et postulant eius reliquias, ac venerantur imagines illius tanquam veri sancti.

Et audivit ipse testis quod in ora Travancoris, in loco Cottatae, est quaedam crux, quam christiani ibi erexerunt in honorem dicti Patris simul cum imagine illius, et communiter appellatur crux [s] P. Mtri. Francisci; et ibi operatur Deus meritis et intercessione dicti sancti multa miracula; specialiter illuminavit caecum loci Moralle, paravae, et mundavit a lepra gentilem quendam, qui postea se convertit et fuit sacrista eiusdem ecclesiae; et omnes christiani et gentiles visitant dictam imaginem, et se comendant illi in suis necessitatibus, et ei offerunt eleèmosynas et donaria. Et haec omnia supra relata fuerunt et sunt publica in dicta ora Travancoris.....

---

[s] crus *ms.*

96.us testis

Melchior Soeino Dares [t], lusitanus, eques nobilis; fuit in arce Manariae provisor Misericordiae et judex orphanorum; vivit suis expensis et bonis.....

Dixit esse annorum 42.....

Juxta XI.um, testis dixit se scire ex auditu, generaliter, quod P. Franciscus Xaverius fuit magnus servus Dei, et nominatus vir sanctus; et adivit omnes Indiae partes ad convertendum animas ad fidem christianam; et quod corpus eius est Goae sepultum, et illud visitant multae personae, quae [u] habent illum pro viro sancto; et habent in magna veneratione et devotione, quia fuit propugnator et propagator fidei christianae inter infideles; et fuit zelantissimus salutis animarum et honoris Dei.

Scit etiam ipse testis, ex publica voce et fama quae de his fuit et etiam est, quod dictus P. Franciscus patravit multa miracula, et specialiter suscitavit duos mortuos, unum in Matano orae Piscariae commorinensis, alterum in oppido Coualano promontorii Commorini, qui ab uno iam die sepulturae traditus erat, cuius sepulchrum dictus Pater iussit aperiri; et, scissa veste, qua involvebatur cadaver, orans Deum pro defuncto, statim ei restituit vitam; et surrexit magna admiratione, tam christianorum, quam infidelium, quorum multi propter hoc miraculum conversi sunt, et ab eodem P. Francisco fuerunt baptizati.

Scit etiam ipse testis ex auditu, quod dictus Pater praedicavit Goae, et docuit pueros doctrinam, et alia charitatis officia exercuit; et quod post eius obitum lusitani detulerunt eius corpus magna cum veneratione, et eadem exceptum fuit Goae, ubi est integrum et incorruptum; et ad praesens est in eadem veneratione apud omnes. Et generaliter audivit testis quod in navigatione ex Japponia ad Sinas scapha navis, qua vehebatur dictus Pater, vi tempestatis fuit abrepta, cuius casum deplorarunt maxime vectores, et Xaverius, eos solatus, iussit bono animo esse et in Deum confidere, et rogavit magnis precibus ut expectarent

---

[t] *Sic; forte legendum sit:* Soeiro d'Ares. [u] qui *ms.*

eam, quia filia remeare debebat ad matrem, ut prorsus ita contigit; et vox publica et fama fuit et est, quod dictus Pater in eadem tempestate apparuit iis qui erant in scapha, cum tamen esset in navi.

Audivit etiam Malacae a fide dignis, et ex publica voce et fama omnium, quod dictus Pater, concionem habens in dicta civitate, ex suggestu dixit populo: recitate unum Pater et Ave pro nostra classe, quae hac hora pugnat cum hostibus acenis; et paulo post, reclinatum caput in sponda suggestus, illud extollit, et laeto denunciat vultu victoriam, inquiens: gratulamini Deo, quia in hac hora classis nostra retulit victoriam de acenis; et postea compertum est quod victoria parta fuit eadem hora, qua Pater e pulpito denunciaverat.

Et ipse testis scit ex visu, quod eius reliquia et imagines sunt in magna devotione apud omnes, et illi se commendant tanquam viro sancto.....

## 97.us TESTIS

Marcus de Miranda, sacerdos, natione indus et huius loci incola, qui vivit suis expensis et ordinibus.....

Dixit se esse annorum 49; et quod quotidie facit sacrum in hac ecclesia.....

Juxta XI.um, testis dixit se scire, ex publica voce et fama, quod P. Franciscus Xaverius fuit nominatus et habitus vir sanctus; et quod lustravit totam oram Piscariae et Travancoris, et convertit in illis multos ethnicos, quos baptizavit; et patravit multa miracula ante et post eius obitum. Et specialiter in Commorino militi naufrago, venienti a Coromandello, spoliato a pyratis malabaricis, dedit monetas aliquas finissimi argenti et auri, quas miraculose a Deo obtinuerat.

Et prope Tutucurinum quandam ethnicam liberavit a difficultate partus, quo periclitabatur a duobus aut tribus diebus, virtute sacri baptismi quem ei dederat.

Et perterruit aspectu suo exercitum badagarum gentium Naique de Madure, qui veniebat contra christianos. Et ipse testis audivit quod post mortem dicti Patris quaedam navis, parata

ad solvendum e portu, exire non potuit adversis ventis, quia recusabat vehere corpus dicti Patris; quod animadvertentes vectores et nautae, ad navim detulerunt dictum corpus magna cum veneratione, et statim habuerunt idoneam navigationem et prosperum ventum ad vela dandum. Et scit quod usque adhuc est corpus illius in collegio Societatis Jesu, Goae, integrum et incorruptum.

Audivit etiam a suomet patre, qui servivit P. Francisco Xaverio, quod habuit Officium beatae Mariae, sibi datum ab eodem Xaverio, in magna veneratione ac pretio, quod, mediante dicto Officio beatae Mariae, ob fidem quam habebat in dicto P. Xaverio, a multis periculis fuit liberatus, Deo iuvante. Et scit ex visu quod reliquiae et imagines dicti Patris sunt in magna veneratione apud omnes. Et scit, ex publica voce et fama, quod Deus, ante et post obitum dicti P. Xaverii, intercessione illius operatus est multa miracula.....

DIE 20 SEPTEMBRIS ANNI 1616

IN HAC ARCE MANARIAE, IN ECCLESIA BEATAE MARIAE EIUSDEM ARCIS.....

98.us TESTIS

Didacus Fernandez, indus et parava, natus in oppido Tutucurini, et incola huius arcis Manariae, viduus; qui vivit suis expensis et bonis....

Dixit se esse annorum 76 et ultra.....

Juxta XI.um, testis dixit se cognovisse P. Franciscum Xaverium, et vidisse eum in oppido Punicali et Combuturae et in tota ora Piscariae et promontorio Commorini; et scit quod fuit vir sanctus et omnium virtutum amator. Dixit ipse testis se scire ex audito, quod corpus dicti Patris est sepultum Goae; et quod multi illud visitant, quia illum pro sancto habent; et quod universus Indiae populus illum habet in magna veneratione et devotione, quia fuit propugnator et propagator fidei christianae inter ethnicos; et ardebat zelo salvandi animas, et fuit zelantissimus honoris Dei.

Dixit amplius ipse testis, se scire, quia hoc propriis oculis vi-

dit, quod cum dictus P. Franciscus Xaverius concionem haberet populo in oppido Coulano promontorio Commorini, in quadam ecclesia, et ibi esset sepultus ab uno iam die quidam defunctus, quia dictus Pater sentiebat magnam difficultatem in convertendis quibusdam ethnicis, oravit aliquantulum pro eorum conversione; et, ut illos ad fidem converteret, iussit sepulchrum illud aperiri, in quo sepultus erat ille demortuus, dicens quod Deo placuit iterum illum ad vitam revocare ut ipsi converterentur. Et, patefacto sepulchro, et rescissa veste funebri qua defunctus involutus erat, apparuit cadaver defuncti; et tunc, oratione a Xaverio pro vita illius Deo facta, statim surrexit vivus. Quo viso miraculo, omnes maxime admirati sunt, Deum laudantes, et admirantes dicti P. Francisci sanctitatem; et infideles illi atque multi alii, propter hoc miraculum, fidem susceperunt christianam et baptizati sunt ab eodem Patre.

Dixit amplius ipse testis, se scire ex publica fama quae de hoc fuit et est, quod in ora Travancoris quaedam mulier ethnica, sterilis et infecunda, visitavit imaginem dicti sancti, quae est posita in ecclesia Cottatae, et ante illam deprecata [v] est P. Xaverium, ut vellet intercedere apud Deum pro filio habendo, quem illa vocatura erat nomine Francisci; et meritis ac intercessione dicti Patris desideratum filium habuit, cui indidit nomen Francisci. Quam rem aegre ferentes cognati gentiles dictae mulieris, eam molestiis et verberibus prosequuti sunt valde; ideoque subitanea et immatura morte nocte proxime sequenti a Deo fuerunt puniti; et dicta mulier se convertit, et simul cum filio baptizata fuit.

Item, dixit testis se propriis oculis vidisse, quia praesens fuit miraculo, quod P. Franciscus Xaverius in oppido Combuturae orae Piscarie resuscitavit puerum cuiusdam mulieris indigenae eiusdem loci, qui ceciderat in puteum, et illum, inde extractum mortuum, volebant ducere ad sepeliendum. Mater vero illius, eum manibus tenens et multis lachrymis, deprecabatur P. Franciscum pro vita sui filii; ad quem ille accedens, oculos ad coelum

---

[v] deprecatus *ms.*

levavit, et oravit Deum flexis genibus; et manu aprehendens puerum, nomine Jesu Christi illum surgere iussit, et statim dictus puer resurrexit vivus. Quae res fuit habita pro magno miraculo ab omnibus qui facto aderant; et ego illud pro tali habui.

Dixit amplius ipse testis, quod dictus P. Xaverius praedicavit Goae, et docuit pueros, visitavit hospitalia et aegros, et alia charitatis officia fecit.

Et scit, quia haec vidit, quod dictus Pater lustravit oram Piscariae et promontorium Commorini, et in illis locis convertit et baptizavit magnum numerum gentilium, et fecit multa miracula in illis locis, in sanandis aegris.

Scit etiam ipse testis ex auditu, quod corpus dicti Patris translatum fuit ex regno Sinarum Goam magna cum veneratione, ubi dicitur esse integrum et incorruptum.

Audivit amplius, quod dictus Pater, cum concionaretur Malacae, dixit circumstatibus: recitate unum Pater et Ave pro nostra classe, quae modo pugnat cum illa acenorum; et postea, cum, reclinato capite super manum ad spondam suggesti, parum perstitisset, caput deinde attollens, laetus proclamavit: gratulamini Deo, quia in hac hora nostri devicerunt acenos; et postea, veniente Malacam nostra classe victrice, compertum est omnia ita prorsus evenisse prout dictus Pater denunciaverat.

Audivit etiam quod navis quaedam, qua vehebatur Xaverius, in tempestate amisit scapham, ob quam moestos vectores dictus Pater eos iussit bono animo esse, quia filia reditura erat ad matrem. Quae res ita evenit; quia, cum cursum teneret dicta navis, in eadem tempestate, repente visa est scapha recta venire ad navim.

Dixit amplius ipse testis, se scire ex auditu, et quia dictum Patrem vidit et cognovit, quod in vita et post mortem semper fuit habitus et tentus vir sanctus, et pro tali generaliter nominatus ab omnibus hominibus, et ad praesentem diem est nominatus et habitus in eadem veneratione et opinione sancti, et ei se commendant in suis orationibus, in aerumnis et necessitatibus; et postulant et aestimant eius reliquias ac imagines tanquam viri sancti.....

### 99.us TESTIS

Stephanus a Cugna, indus, indigena Callepatanani, coniugatus et incola Jafanapatani, mercator, qui vivit suis expensis et comercio.....

Dixit se esse annorum 31.....

Juxta XI.um interrogatorium, testis dixit quod P. Franciscus Xaverius fuit habitus vir sanctus; et quod lustravit Piscariae oram et Travancoris ad convertendum animas; et quod corpus dicti Patris est sepultum Goae in quodam sacello collegii Societatis Jesu in sacristia, et multi illum visitant, quia eum habent pro sancto. Et scit ex visu, quod multi habent magnam devotionem erga dictum sanctum, quia fuit propugnator et propagator fidei christianae inter ethnicos; et fuit zelantissimus salutis animarum et honoris Dei.

Et scit testis, ex publica voce et fama quae de his semper fuit et est, quod dictus Pater fecit in vita multa miracula; et specialiter quod suscitavit puerum, qui mortuus est in oppido Thalle ex morsu venenosi anguis; et ad vitam etiam revocavit quemdam puerum in oppido Combuturae, qui ceciderat in puteum et in illo mortuus fuit.

Audivit amplius, quod mulier quaedam Tutuchurini habuit subscriptionem nominis dicti Patris ex manu ipsius; et, relicto ab incolis dicto oppido propter hostium incursiones et bellum, in qua calamitate dicta mulier, suam domum deserens cum suis oppidanis, causa oblivionis reliquit quasdam gemmas et viriolas simul cum dicta subscriptione, non abscondita, sed manifesta, in dicta sua domo; hostium vero discessu, redeuntibus christianis ad oppidum, rediit etiam dicta mulier ad domum suam, et reperit suas gemmas cum dicta scriptione intactas et integras; quod habuit pro magno miraculo, meritis dicti Patris sibi facto. Et tantam fiduciam habebat in dicta scriptione, ut eam poneret super infirmis ac mulieribus periclitantibus partu, et statim aegri recuperabant sanitatem, et mulieres pariebant sine periculo; et mediante dicta scriptione Deus operatus est multa alia miracula.

Et declaravit ipse testis se audivisse etiam supra dicta mi-

racula puerorum, qui fuerunt suscitati modo supra relato a Sebastiano da Cunha, socero suo, qui servivit dicto Patri, et fuit comes tradendae doctrinae, et praesens fuit quando dictus Pater illos suscitavit.

Audivit etiam testis, quod dictus Pater in ora Piscariae sono tintinabuli convocabat pueros erudiendos de doctrina christiana, et alia charitatis officia ibi exercuit. Et scit quod in dicta ora Piscariae convertit et baptizavit multos ethnicos; et quod mortuus est apud Sinas, et lusitani detulerunt eius corpus Malacam, et ibi fuit exceptum magna cum veneratione et devotione, repertumque fuit integrum et incorruptum; et Malaca translatum fuit Goam, ubi exceptum fuit magna cum veneratione et concursu populi, et ibi etiam repertum est integrum et incorruptum; et iussum fuit videri a medicis, qui hoc ita affirmarunt, cum a multo tempore mortuus esset.

Dixit amplius se scire ex publica fama, quod dictus Pater in vita et post mortem fuit nominatus sanctus et magnus Pater; et tum christiani, tum ethnici, illum invocant, et eius opem implorant in suis necessitatibus, et aestimant eius reliquias tanquam viri sancti.

Audivit etiam testis a fratre suo, Paulo de Morais, quod ille vidit suis propriis oculis in oppido Cottatae orae Travancoris, ubi est quaedam crux et imago dicti P. Xaverii, quod illuc veniebant multi christiani et ethnici ad visitandum dictam crucem et imaginem, et se dicto Patri commendabant, et per merita et intercessionem illius recuperabant sanitatem, et multas gratias a Deo obtinebant. Et quod, deficiente oleo quadam die, infuderunt aquam benedictam in lampadem, quae est posita ad pedem dictae crucis et imaginis P. Francisci Xaverii; et, accenso novo stupino, lampas exarsit ac si oleum haberet.

Scit etiam ipse testis ex visu, quod imagines dicti Patris aestimantur et habentur in magna veneratione tanquam viri sancti.....

DIE 23 SEPTEMBRIS ANNI 1616

IN EADEM ARCE MANARIAE ET ECCLESIA SUPRA EXPRESSA.....

100.us TESTIS

Damianus Ferreira, lusitanus, natus Olisiponae, qui fuit provisor Misericordiae in hac arce, vivitque suis expensis et comercio.....

Dixit quod habet annos 48.....

Juxta XI.um, testis dixit se audivisse quod P. Franciscus Xaverius fuit nominatus sanctus, et quod lustravit totam oram Piscariae, et in ea convertit multos gentiles; et quod populus habet illum in magna veneratione; et fuit propugnator et propagator christianae fidei; et quod fecit multa miracula; et specialiter quod in insulis Ulatae et Nulliager Molucarum, quod, cum rex illarum esset obsessus ab alio rege vicino, ob penuriam aquae volebat se tradere, quia omnes peribant; et P. Xaverius obtinuit a rege obsesso erigi crucem in dicto oppido; et oravit Deum pro aqua; et pluit tanta, ut subventum fuerit suae necessitati; et, viso hoc miraculo, magna multitudo illarum gentium, simul cum ipso rege, fuit baptizata a P. Xaverio. Et de hoc miraculo fuit et est publica vox et fama.

Et scit ipse testis, quod dictus Pater adivit in Japponiam et Sinas, et praedicavit illic evangelium; et corpus illius est incorruptum Goae. Et dictus Pater fuit praeditus dono prophetiae. Et eius precibus redivit ad navem quaedam scapha, quae amissa est in tempestate. Et dictus Pater, transiens per insulam Ceulanum, de illa praedixit, inquiens: ah insula! quantum sanguinis tui causa a christianis est effundendum! Et ita prorsus contigit in obsidionibus et expugnatione illius. Scit etiam testis ex visu, quod imagines dicti Patris, tanquam viri sancti, sunt in magna devotione apud omnes.

[*Sequuntur duo, quae sic indicantur in margine.*]

«Fides notarii, qua attestantur depositiones testium et omnia acta fuisse rite, et recte facta et scripta, et tradita procuratori huius causae, illisque adhibendam esse fidem, ac sigillo, in cera rubea, domini judicis munitur.»

«Subscriptio judicis, procuratoris ac notarrii.»

# PROCESSUS TESTIUM DEPOSITIONUM

INTERROGATORUM COULANI ET IN ORA TRAVANCORIS
AD CANONIZATIONEM SERVI DEI PATRIS FRANCISCI XAVERII,
PER DOMINUM JOANNEM RODRIGUEZ, VICARIUM GENERALEM,
ET JUDICEM DELEGATUM,
A RDO. P. PETRO NUNEZ, DECANO, PROVISORE, VICARIO GENERALI,
ET, SEDE VACANTE, PRAESIDE DIOECESIS COCCINENSIS,
AC JUDICE APOSTOLICO DELEGATO IN HAC CAUSA [1]

## 36

## INFORMATIO FACTA COULANI [2]

1). «6 Septembris 1616.—Pater Petrus Mexia, rector collegii Salvatoris, Societatis Jesu, procurator [substitutus a P. Gaspare Fernandez, provinciale Societatis Jesu.....], praesentavit commissionem domini Petri Nunez, judicis remissorialis, Rdo. domino Joanni Rodriguez, vicario matricis ecclesiae Coulani, subdelegato in ea, et petiit contenta in illa executioni demandari, et necessaria facere.»

2). «Dominus judex subdelegatus deputavit notarium et cursorem, ac locum pro examine elegit.»

3). «Mandatum procurae Patris provincialis provinciae coccinensis in personam P. Petri Mexia, sub datum 15 Julii 1616.»

4). «Recognitio sive legalitas praedicti mandati, facta per notarium actuarium Coccini.»

Die nona Septembris 1616, in hac arce Sancti Thomae Coulani, in ecclesia matrice eiusdem, dominus Joannes Rodriguez..... judex deputatus....., mecum notario, examinavit testem sequentem.

---

[1] Hic Processus superiorem immediate sequitur in codice infra describendo. Vide supra, pag. 531, annot 1.

[2] Incipit quatuor documentis, quorum summaria exstant in margine, et sunt ea, quae sequuntur, virgulis inclusa.

### 101.us TESTIS

Franciscus Mendes Aguiar, natus in India ex parentibus lusitanis, eques nobilis de domo regis, praefectus huius arcis Coulani.....

Juxta 2.um, testis dixit se esse nominis et cognominis ut supra; et quod habet annos 55 plus minus, et vivit [a] juxta statum nobilium, et 3.° fuit provisor Misericordiae et capitaneus generalis orae Gergilini, et provisor bonorum regiae maiestatis in ora Piscariae.

Juxta XI.um, testis dixit se semper audivisse loqui de P. Francisco Xaverio, a tempore suae recordationis, tanquam de viro sancto, et fama eius sanctitatis generaliter ab omnibus est accepta.

Juxta 12.um, dixit se scire ex auditu quod dictus Pater vixit sancte et laudabiliter; et quod lustravit Japponiam et oram Piscariam et Travancoridis, et praedicavit in illis partibus Dei evangelium; et fuit ab omnibus judicatus et habitus vir sanctus propter miracula, ab illo facta, et virtutes, quibus erat praeditus.

Juxta 13.um, dixit se audivisse a fide dignis quod dictus Pater fuit unus ex primis sociis beati Ignatii, et ad instantiam Joannis 3.i, regis Lusitaniae, venit in Indiam ad denunciandum Christi evangelium.

Juxta 14.um, dixit se audivisse generaliter quod corpus dicti Patris est Goae in collegio sancti Pauli, Societatis Jesu, insepultum, et clausum in quadam capsa intra sacristiam, integrum et incorruptum.

Juxta 16.um, dixit se scire ex visu et generali auditu quod populus habet devotionem magnam erga dictum Patrem, tam in hac arce Coulani, quam in tota ora Travancoris, et in omnibus locis, quae ipse testis adivit, praecipue in dicta ora Travancoris. Interius, in oppido Cottatae, quod distat a Commorino tribus leucis, est quaedam ecclesia magnae devotionis et concursus peregrinantium, tam christianorum quam ethnicorum supradictae orae, qui habent in magna veneratione dictam ecclesiam, quam appel-

---

[a] vidit *ms.*

lant ecclesiam P. Mtri. Francisci, propter imaginem illius, quae ibi est posita, ad quam visitandam fit tantus populi concursus in dicta ecclesia; et devotio erga dictum Patrem quotidie augetur et nunquam fuit diminutus.

Juxta 19.um, dixit se scire ex visu et certa scientia quod, cum fortuito aedes Christophori de Miranda, incolae huius arcis, incenderentur, quae aedes habebant contignationes et erant altae, et a latere utroque habebant aliquas domos ex palmarum foliis extructas, et incendium incoepit hora XI noctis, et fuit adeo vehemens et repentinum, ut in atrio quaedam perierit mulier igne combusta, et interim habitatores dictarum domorum humilium, quae a latere extabant et erant fabricatae ex aridis palmarum foliis, habentes eas pro amissis, eiiciebant utensilia et bona domestica foras in plateam, implorando opem et invocando nomen beati Patris Francisci magno clamore, quia videbant flammas et lignorum frusta igne accensa cadere super dictas domos paleis fabricatas. Cum vero magnum et vehemens esset incendium, ita ut multae personae non potuissent illud extinguere, contigit ut illud repente seipso fuerit extinctum, relictis dictis domibus, siccis foliis fabricatis, ab igne illaesis, quarum habitatores invocarunt nomen et opem dicti P. Francisci. Et, incendio extincto, sciverunt omnes quod ab una hora a promontorio Commorini pervenerat in domum suam, quae erat magis propinqua incendio, Gasparus Gonsalves, et secum afferebat quandam imaginem dicti P. Mtri. Francisci, quam illi dederat P. Andreas Buserio tradendam Patri rectori huius collegii Societatis Jesu; et dictus Gaspar Gonsalvus tunc ostendit dictam imaginem, et omnes pro beneficio accepto gratias egerunt P. Francisco Xaverio, per cuius merita et intercessionem Deus operatus fuit illud miraculum, quod publicatum fuit ab omnibus et pro tali reputatum.

Et audivit ipse testis ex publica voce et fama, quae de illis fuit et est, multa alia miracula a dicto P. Francisco Xaverio facta; et specialiter audivit ab aliquot mercatoribus quod, cum illi navigarent Coccino in Bengallam in quadam navi Emanuelis de Silva, propter magnam tempestatem fractis jam et diruptis antennis, jacturam maioris partis mercium fecerunt, et vectores, in

evidenti vitae periculo positi, invocabant nomen et opem P. Francisci Xaverii; sed, saeviente mari, erigebantur fluctus maximi et impetum faciebant ad navim; sed, invocato a vectoribus magnis clamoribus Xaverii nomine, repente fluctus illi retroagebantur ab omnique parte fugiebant navem; verum, quando vectores non invocabant P. Xaverii nomen, statim undae multo maiores imminebant navi et eam obruebant. Quam rem animadvertentes nautae et vectores, quousque tempestas viguit, semper invocaverunt nomen P. Francisci Xaverii, et eius meritis fuerunt liberati a tanto periculo.

Et hoc etiam miraculum audivit testis a quodam Antonio de Pina Coëglio, coccinensi, qui navigabat tunc in eadem navi.

Et audivit testis a Francisco Mendes, incola huius arcis, et in illa coniugato, quod ille vidit propriis oculis infundi aquam in lampadem, quae est posita ante imaginem beati P. Francisci in ecclesia Cottatae, et quod illa ardebat, ac si oleum haberet. Audivit etiam quod in dicta ecclesia fuit illuminatus quidam vir, caecus a multo tempore, oppidi Moralae, qui composuit cantiones in laudes dicti P. Xaverii, et hoc fuit et est publicum.

Juxta 20.um, 21.um et 22.um, testis dixit se credere miraculum incendii, a se relatum, esse verum miraculum; et hoc ita audivit haberi generaliter ab omnibus, prout vera credit etiam alia miracula, a dicto P. Xaverio facta, et non ficta.....

### 102.us TESTIS

Gaspar Gonsalues, filius ex patre lusitano, coniugatus et incola huius arcis Coulani; ad praesens est judex ordinarius dictae arcis, judex orphanorum et provisor Misericordiae, et fuit scriba et officialis dictae Misericordiae, et vivit iuxta conditionem nobilium suis expensis et bonis.....

Dixit se esse nominis, cognominis et patriae supra expressorum, et habere annos 49 incirca.....

Juxta XI.um, dixit testis se semper audivisse quod P. Franciscus Xaverius fuit vir sanctus; et haec fuit et est publica vox et fama antiqua, acceptata ab omnibus sine contradictione alicuius personae.

Juxta 12.um, dixit quod omnes habebant generaliter dictum Patrem pro sancto et pro tali eum aestimabant. Et ipse testis pro tali illum habet.....

Juxta 14.um, dixit se scire ex publica fama quod corpus dicti P. Francisci est Goae integrum et incorruptum.

Juxta 15.um, dixit se scire ex auditu quod corpus P. Francisci Xaverii, a Sinis delatum, exceptum Goae fuit magna veneratione et populi concursu.

Juxta 16.um, testis dixit se scire ex certa scientia quod universus populus huius arcis et orae Travancoris habet in magna veneratione dictum Patrem, quam devotionem scit ipse testis a 18 abhinc annis et amplius; quae numquam diminuta, sed aucta, et praecipue in ecclesia Cottatae orae Travancoris, tribus leucis distante a promontorio Commorini; et tam christianorum, quam ethnicorum, devotio est magna erga P. Francisci Xaverii imaginem, positam in dicta ecclesia, quam omnes visitant, et vulgo appellant ecclesiam P. Mtri. Francisci.

Et similiter in hac arce est quaedam cappella, dicata in honorem beati Patris Ignatii, in qua est etiam depicta imago P. Mtri. Francisci; et omnes illam visitant, et vulgo appellant cappellam et altare illius; et ei offerunt oleum ad lampadem, et candelas; et jubent fieri sacra in honorem illius. Et hoc scit testis ex visu et certa scientia.

Juxta 17.um, dixit se audivisse a longo tempore saepe, et generaliter et a personis fide dignis, quod P. Mter. Franciscus Xaverius fuit magnus servus Dei, et ardebat magno zelo salvandi animas.

Juxta 18.um et 19.um, fuit illi declaratum quid esset miraculum; et testis dixit quod a X annis incirca, cum ipse a promontorio Comorini attulerit quandam imaginem Patris Francisci Xaverii, quam sibi commendavit P. Andreas Buserio tradendam Patri rectori huius collegii; et cum appelleret ad hunc portum, domum rediit hora decima noctis; et statim hora 11.a noctis fortuito incendio fuerunt aedes Christophori de Miranda, incolae huius arcis, adhuc viventis, correptae, quae habent solaria, contignationes, et sunt altissimae, et vehementi septentrionis afflatu magno-

pere ardebant; et ex dicto incendio cadebant flammae et ligna inflammata super domos inferiores, quae erant a lateribus unitae et contiguae, Joannae Fernandes, amitae, et Mariae Gonsalves, sororis ipsius testis, et etiam super suam propriam domum, quae erat magis propinqua incendio; et erant omnes constructae ex foliis palmarum, quae facile inflammantur. Verum familiae et personae dictarum amitae et sororis ipsius testis, nulla jam habita spe et remedio liberandi domos praedictas ab incendio, eiecerunt foras in viam utensilia ac res domesticas, invocando magnis clamoribus opem et nomen P. Mtri. Francisci, qui nihil sciverant de adventu ipsius testis, et de dicta imagine quam secum afferebat. Ipse vero testis simul cum coniuge sua, Maria Robles, flexis genibus, habebant in manibus dictam imaginem dicti P. Francisci, et magna fide ac fiducia, quam in illo positam habebant, et cum reliquis ex familia sua implorabant magno fervore ac clamore auxilium dicti Patris, et illius nomen invocabant, et tuebantur bona domestica et utensilia foris ad plateam. Et tunc contigit ut dictum incendium divinitus cessaverit et repente fuerit extinctum, licet magnum et vehemens esset ob furorem venti, et multae personae non potuissent illud antea extinguere, et domus illae inferiores, praedictis paleis tectae, licet essent unitae, illaesae tamen ab igne et innocuae remanserunt. Et notavit ipse testis et alii, quod flammae, quae super dictas domos ceciderunt, extinguebantur statim in eisdem praefatis paleis, quamvis esset aestivum tempus et omnia essent valde sicca et arefacta, quae facillime poterant accendi; quamobrem ipse testis et reliqui, qui praesentes fuerunt, et dicti Patris nomen invocarunt, habuerunt factum pro miraculo, patrato meritis et intercessione dicti P. Francisci. Et statim concurrit universus populus huius arcis ad visendam dictam imaginem; et eam complectebantur et deosculabantur magna devotione; et ex tunc omnes retulerunt factum pro miraculo sine aliqua contradictione.

Vidit etiam ipse testis propriis oculis in promontorio Comorino hominem bubulcum, cuius bos unus, sarcina oneratus, in itinere cecidit repente ad terram, et ex lapsu fregit pedem, et amplius ex loco illo movere se non potuit. Et dictus christianus

bubulcus, deplorans sui bovis casum, fecit illum trahi manibus in domum suam, et promisit ecclesiae Cottatae duas mensuras olei ad lampadem P. Mtri. Francisci, et illius opem imploravit pro sanitate dicti bovis, qui erat ipsius remedium ac lucrum; et ipse testis in illa nocte vidit dictum bovem iacentem pede ligato centonibus et claudum, qui se non poterat movere; et mane sequenti dictus bubulcus, cum educeret alios boves ad onera trahenda, relinquens dictum bovem aegrotum et claudum, dictus bos ab humo se erexit repente sanus et associavit alios; et res tunc fuit habita pro miraculo a dicto bubulco et eius uxore, vocata Maria, per merita et intercessionem P. Mtri. Francisci patrato. Et dicta Maria statim ivit ad visitandum imaginem supradicti oppidi Cottatae, et ibi obtulit duas mensuras olei promissas ad lampadem dicti Patris; et ipse testis hoc factum ex tunc habuit pro miraculo et pro tali reputat.

Et Franciscus Mendes, incola huius arcis et in illa coniugatus, narravit ipsimet testi, quod ille vidit propriis oculis infundi aquam in lampadem dicti P. Francisci Xaverii in ecclesia Cottatae a canacopula seu sacrista dictae ecclesiae. Et cum arderet eadem aqua in praesentia aliquot ethnicorum, venerunt postea alii gentiles ad ecclesiam; et cum nollent rem credere, statim praedictus Franciscus Mendes sumpsit aquam benedictam ex pila, et eam infudit in lampadem supra dictam, et exarsit ac si oleum haberet; et gentiles, qui aderant, magnopere obstupuerunt de hoc miraculo.

Scit ipse testis, ex publica voce et fama quae de hoc fuit et est, quod aliquot gentiles repentina morte ceciderunt, quia male egerunt et verberarunt mulierem ethnicam, ipsorum cognatam, quia illa vocaverat filium Francisci nomine, quem obtinuerat per merita P. Francisci Xaverii, cui se commendaverat dum esset sterilis et infoecunda; et, viso supplicio consanguineorum, statim se convertit ad fidem christianam, et baptizata fuit cum filio suo in dicta ecclesia Cottatae.

Et de alio miraculo, quod viderunt tres homines de Valle Valle, qui dormiebant in dicta ecclesia de Cottate, quod, dum esset noctu lampas dicti P. Francisci extincta, eam miraculose

viderunt iterum accendi ex se et ardere, ut referre poterit Alexander Correa, vicarius in eadem ora Travancoris.

Juxta 20.um, dixit quod, quando contigit miraculum incendii supra a se relatum, ipse testis accurrit ad dictum P. Mtrum. Franciscum, motus fama et opinione multorum miraculorum, quae de illo narrabantur; et, hac opinione adductus, sensit in suo corde solatium et laetitiam interiorem adeo magnam, ut prae gaudio magnam lachrymarum copiam profuderit.

Juxta 21.um et 22.um, testis dixit se scire quod omnes habent omnia miracula, quae dicuntur esse facta per merita et intercessionem dicti P. Francisci Xaverii, pro veris et non fictis, quia habent illum pro magno sancto; et ipse testis dicta miracula pro veris habet, ac pro tali eum aestimat.....

## DIE 10 SEPTEMBRIS ANNI 1616

### IN EODEM LOCO ET ECCLESIA SUPRA EXPRESSIS.....

### 103.us TESTIS

Antonius Vasconsellos Aguiar, natus in hac arce, coniugatus, et incola eiusdem, nobilis eques de domo regis, vivit suis expensis iuxta nobilium consuetudinem.....

Dixit se esse nominis et cognominis et patriae ut supra; et habere annos 50 incirca; et quod fuit capitaneus duorum navigiorum, quae fuerunt in defensionem Ceilani; et fuit provisor Misericordiae et quater judex ordinarius.....

Juxta XI.um, dixit testis se non cognovisse P. Franciscum Xaverium, sed audivisse saepe a suo patre, Francisco Netto da Silva, qui cognovit P. Franciscum et familiariter egit cum eo, quod nominabat illum virum sanctum, et virtutum amatorem et honoris Dei; et hoc scit ipse testis quia fuit notorium et publicum, quia fama dicti P. Francisci est antiqua et bene recepta communiter ab omnibus, sine contradictione alicuius personae.

Juxta 12.um, testis dixit se scire ex publica fama quod dictus P. Franciscus perlustravit omnes Indiae partes, et vixit vitam

laudabilem et sanctam: et haec est communis opinio omnium, dictum Patrem hanc habuisse vitam, sanctitatis plenam et virtutibus ornatam.

Juxta 13.um, dixit se audivisse saepe, et a longo tempore et a multis personis fide dignis, quod dictus P. Franciscus fuit unus ex primis sociis beati P. Ignatii.

Juxta 14.um, dixit se ex auditu scire quod dictus Pater discessit e vita in partibus meridionalibus in insula Sanciani, prope Sinas; et antequam a vita discederet, ei fuit revelata dies et hora suae mortis; et consalutando socios lusitanos, ultimum vale eis dixit. Et illius corpus fuit translatum Malacam, et inde Goam, ubi est integrum et incorruptum; et ibi fit concursus populi ad illum venerandum.

Juxta 15.um, dixit se scire ex visu quod, ubicumque est posita imago dicti Patris, habetur in magna veneratione, et populus ei se commendat, et ad suas necessitates eius auxilium implorant. Et haec devotio in dies magis augetur.

Juxta 16.um, scit quod universus populus orae Travancoris, nobiles et plebei, habent particularem devotionem erga beatum Patrem Franciscum; et hoc intelligit ipse testis de tota India, et partibus, ad quas pervenit nomen dicti P. Francisci.....

Juxta 19.um, testis dixit se scire ex certa scientia quod decem personae chistianae, noviter ad fidem conversae in ora Travancoris, qui acceperant in suis personis sanitatem et gratias per merita dicti Patris Francisci, et eaedem personae narrarunt ipsimet testi saepe, quod dictus Pater operatus est miracula in illis, scilicet: cum essent caeci, surdi, et muti, et claudi, ac aliis infirmitatibus oppressi, redditi fuerunt sani, nullo remedio humano adhibito, sed solum quia se unxerunt oleo lampadis dicti P. Xaverii, quae est in ecclesia oppidi Cottatae ante illius imaginem, ultra promontorium Commorini; inter quos fuit quidam Franciscus Perinal, vir poëta, et magister puerorum eiusdem oppidi Cottatae, qui mundatus fuit a lepra, ungendo se oleo lampadis dicti Patris; et se convertit propter hoc miraculum decem abhinc annis, et postea fuit sacristanus eiusdem ecclesiae.

Et inter hos fuit etiam mulier quaedam ethnica, quae obtinuit

filium per merita dicti P. Francisci, cum esset sterilis; et, quia vocavit puerum Franciscum, fuit aegre vexata a cognatis suis; sed illi propter hoc fuerunt oppressi morte subitanea; et, viso hoc miraculo, dicta mulier se convertit, et fuit baptizata cum filio suo. Et scit ipse testis quod dicta ecclesia est visitata a peregrinis et personis devotis, tum christianis dictae orae Travancoris, tum ethnicis finitimis, propter famam miraculorum dicti Patris, tum etiam a multis mulieribus, quae, cum essent steriles, eo veniunt ad offerendum suas elemosynas, et redduntur foecundae ob intercessionem dicti Patris. Quae omnia fuerunt et sunt publica et notoria in dicta ora et in hac arce, simul cum fama miraculorum dicti Patris, quae semper divulgatur, praecipue in dicta ecclesia Cottatae.

Juxta 20.um, dixit testis se scire quod miracula supra relata fuerunt facta repente. Et cum ipse testis esset in promontorio Comorini gravi febre oppressus et doloribus vehementissimis in toto corpore, sequenti vero die esset in magno timore pestis, quae ibi tunc grassabatur, venit quidam christianus indigena eiusdem Cottatae, qui a principio dictam ecclesiam ibi construi impediebat, et posteaquam fuit fabricata se convertit ad fidem christianam, et propter suos cognatos occultabat se esse christianum baptizatum, et exterius simulabat se esse ethnicum; sed ex devotione et signo ipsimet testi ostendit se esse verum et pium christianum, et quod gestabat coronam, simul cum medalia, in qua erat insculpta imago beati Patris Francisci. Et cum videret ipsummet testem ita oppressum morbo et afflictum, consolatus est ipsum, inquiens ne se affligeret; et dedit ipsi dictam medaliam ut eam collo gestaret; et admonuit ut exprimeret signum crucis dicta medalia in aqua, quam vellet bibere. Quod faciens ipse testis quinquies, bibit per aliquot vices a meridie usque ad noctem, et dormivit post; et sequenti mane surrexit sanus et valens, et prorsus ab illa febre et doloribus liberatus; quod credidit fuisse miraculum operatum per intercessionem dicti Patris, in quo habebat fiduciam et fidem magnam, et sensit particularem devotionem; et declaravit quod, cum incoeperit bibere dictam aquam, tunc cognovit febrem et dolorem magis augeri, adeo ut

vi febris et doloris obdormiverit, a quo somno mane experrectus, repente se sanum agnovit, prout iam dixit.

Juxta 21.um et 22.um, dixit se credere et reputare omnia supra dicta miracula fuisse facta divinitus et supra vires naturae, quia intelligebat ea naturaliter fieri non posse.....

### 104.us testis

Franciscus Texeda, indus, natione malabaris, natus in hac arce, oeconomus confraternitatis beatae Mariae Annuntiationis, quae sita est in collegio Salvatoris, Societatis Jesu, coniugatus, et incola [*sic*]; vivit suis expensis et comercio, more indiano.....

Dixit testis se esse nominis, cognominis et patriae ut supra, et habere annos 52 plus minus.....

Juxta 11.um, dixit testis se semper audivise loqui a christianis orae Travancoris de sanctitate P. Francisci Xaverii; et quod ille fuit primus, qui eo venit ad convertendum gentiles eiusdem orae, et eos ad fidem christianam adduxit et baptizavit; et propter hanc famam P. Andreas Buserio, Societatis Jesu, posuit imaginem dicti P. Francisci in ecclesia Cottatae supra promontorium Comorini.

Insuper, scit ex publica et generali voce inter christianos et ethnicos dictae orae, quod nomen dicti P. Francisci est in magna veneratione receptum apud omnes, sine contradictione alicuius personae.

Juxta 12.um, dixit se ex fama generali scire quod dictus Pater perlustravit oras Sinarum et totam Indiam et oram Piscariae et huius Travancoridis; et quod vixit vitam laudabilem et sanctam; et scit quod omnes generaliter illum habent in opinione viri sancti.....

Juxta 14.um, dixit se audivisse a multis Patribus Societatis Jesu et multis personis fide dignis, quod dictus Pater e vita discessit in expeditione quam faciebat ad Sinas; et quod eius corpus fuit asportatum in Indiam, et post eius mortem est in magna veneratione; et quod eius corpus est integrum et incorruptum, loculo clausum, et summitas nasi tantummodo erat consumpta paulisper. Et haec omnia audivit ipse testis dum esset puer, et

resideret in collegio eiusdem Societatis causa studendi; sed non recordatur nominum illorum, a quibus audivit hoc.

Juxta 15.um, dixit se scire ex visu quod, ubicumque est posita imago dicti P. Francisci, est habita in magna veneratione, et fit magnus concursus ad eam, et ei se commendant et eius auxilium implorant; et haec devotio semper accrevit, etiam inter ethnicos; et haec omnia videntur in dicta ecclesia, ubi dictus P. Franciscus est in magna veneratione apud omnes. Et non reperitur qui audeat iurare falsum; et cum iurant in dicta ecclesia, finiuntur lites et terminantur contentiones; et haec praecipua devotio non jurandi falsum videtur esse inter ethnicos, ut contigit multoties. Et aliquando successit quod, jurans quidam gentilis ante dictam imaginem P. Francici Xaverii, in ecclesia oppidi Manpulim, se non debere certam pecuniam, quam[b] revera debebat cuidam christiano, ex ecclesia discedens domum, statim, effundens multum sanguinem ex ore, vitam amisit; quod gentiles alii crediderunt contigisse propter falsum juramentum factum ante imaginem dicti Patris. Et hoc fuit et est etiam publicum in tota ora Travancoris.

Juxta 16.um, dixit se scire ex visu quod, tum populus huius arcis, tum orae Travancoridis, a tempore recordationis ipsius testis, habent in magna deuotione dictum P. Franciscum, et praecipue a tempore quo posita fuit ibi imago et altare beati P. Ignatii, ubi etiam fuit depicta imago P. Francisci Xaverii; et scit quod populus generaliter illud vocat altare P. Mtri. Francisci; et illud visitat suis eleemosynis et votis in suis necessitatibus; quae devotio quotidie augetur.....

Juxta 19.um, testis dixit se cognovisse ethnicum virum, Perimal Panical, natione chiavalcaire, natum in oppido Cottatae, et virum notum inter suos piscatores margaritarum, et praeceptorem puerorum, et poëtam, qui habitabat prope nostram ecclesiam Cottatae, et callebat res nostrae fidei christianae et apostolorum symbolum. Et decennio antequam illa ecclesia Cottatae aedificaretur composuit cantum et cantiones suo metro et idiomate in

---

[b] quae *ms.*

laudem nostrae sanctae fidei et P. Nicolai Spinolae, Societatis Jesu, qui tunc temporis erat rector huius collegii Societatis, eiusdem orae. Et P. Andreas Buserio, postquam fuit erecta dicta ecclesia Cottatae, posuit in illa imaginem dicti P. Francisci, et conatus est adducere ad Christi fidem supradictum ethnicum, qui erat ornatus tot qualitatibus, ut sub eius custodia et protectione dicta ecclesia esset magis tuta; et numquam illum potuit convertere. Sed, currente tempore, dictus gentilis factus fuit leprosus et pustulis plenus; et quia iam desperabat ab humano remedia, et ita erat captus membris ut se movere non posset, prostravit se ad fores dictae ecclesiae, et ibi composuit cantiones in laudem fidei christianae et beati P. Francisci Xaverii, et se unxit oleo eius lampadis, et statim coepit melius habere, et ad paucos dies perfectam recuperavit sanitatem, et a lepra fuit mundatus, ut ipse testis vidit, ob merita et intercessionem P. Francisci Xaverii; quo miraculo se convertit ad fidem, et fuit baptizatus ab eodem P. Andrea Buserio, quia voverat se accepturum fidem christianam si sanitatem recuperasset. Et postea dictus P. Andreas illum elegit sacristam ecclesiae, cum onere eleemosynas et oblationes recipiendi, quae ad illam afferebantur. Et in eadem ecclesia dictus P. Andreas Buserio celebrabat festum singulis annis die mortis P. Francisci Xaverii, et in dicto festo congregabatur maior pars christianorum dictae orae.

Scit etiam, ex visu et certa scientia, de quodam viro caeco, christiano oppidi de Morale, nominato Chiambaretecura, et fuit officialis ecclesiae Sanctae Crucis Colechae, cuius vultum fortuito accensus sulphureus pulvis combussit, et factus fuit ita caecus ob illam combustionem, ut nihil per aliquot annos viderit: inter somniandum vero, admonitus a P. Francisco Xaverio, venit ad ecclesiam Cottatae, duce illi dato ad iter, et ibi, cum esset positus in oratione ante imaginem P. Francisci Xaverii, repente lumen oculorum recepit per merita et intercessionem dicti Patris, et composuit postea in honorem illius carmina et cantiones idiomate malabarico; et ipse testis tunc illum vidit caecum, et postea illuminatum, in dicta ecclesia Cottatae; et quia adhuc vivebat, hoc ab eo etiam melius scire poterant. Insuper poterat de-

ponere in hac causa mulier quondam Pauli Vaz, quae ad praesens nupta est Thomae de Manapar, et vivit in Commorino, quae, cum esset sterilis et infoecunda, peperit per merita et intercessionem P. Francisci Xaverii.

Juxta 20.um, dixit se scire ex publica fama multa miracula dicti P. Francisci; et quod omnes, qui ei se commendant, accipiunt gratias. Et cum etiam ipse testis audiret octo abhinc annis, quod crux dictae ecclesiae Cottatae sudaverit sanguine, ipsemet testis illuc adivit, et vidit suis propriis oculis in tribus locis dictae crucis signa lactea et sanguinea, instar guttarum, quae manabant a superiori parte crucis usque ad mediam hastam, et sensit in suo corde magna cum suavitate illud esse miraculum, prout etiam omnes milites classiarii promontorii Commorini viderunt, qui concurrerunt ad videndum miraculosum prodigium, et pro miraculo habuerunt.

Juxta 21.um et 22.um, dixit se scire et credere dicta miracula esse vera et non ficta, et operata fuisse super vires naturales.....

### 105.us TESTIS

Christophorus Semedo, natus in hac arce ex parentibus lusitanis, coniugatus et incola eiusdem, scriba publicus judicialis per regem dominum nostrum, et scriba quondam sanctae Misericordiae; vivit ex suis proventibus sui muneris.....

Dixit se esse nominis et cognominis ac patriae ut supra; et habere annos 52; et quod vivit ex suo officio scribae, ut supra retulit.....

Juxta XI.um, dixit testis se semper audivisse loqui de P. Francisco Xaverio; et scit esse famam generalem de nomine illius sine contradictione alicuius personae.

Juxta 12.um, dixit se audivisse generaliter a multis annis, quod P. Franciscus Xaverius fuit in hac arce et ora Travancoris et Piscariae, et adivit in Japponiam et Sinas, et fuit Malacae; et opinionis et sanctitatis dicti Patris dixit esse publicam vocem et famam.....

Juxta 16.um, dixit se scire optime quod universus hic populus utriusque sexus habet magnam devotionem erga dictum P. Fran-

ciscum a multis annis, et eamdem devotionem habent christiani orae Travancoris, et etiam iidem ethnici; et haec devotio magis clare conspicitur in ecclesia Cottatae supra promontorium Commorini, ubi est fama quod omnes visitant dictam ecclesiam cum devotione magna, et offerunt sua vota et oblationes imagini dicti P. Francisci, quae est in dicta ecclesia.

Et scit etiam testis, quod in hac arce omnes habent magnam devotionem erga imaginem dicti Patris, quae est in capella beati Patris Ignatii; quae devotio semper crevit.....

Juxta 19.um, dixit testis se audivisse a fide dignis quod dictus P. Xaverius, deficiente aqua vectoribus ad bibendum [c] cuiusdam navis, qua vehebatur dictus P. Xaverius, enixe deprecatus est Deum, in quodam cubiculo navis clausus, ut dictae necessitati subveniret; et statim conscendit scapham, et iussit ut sumerent aquam de mari; et benedictione prius facta super aqua, jussit ut degustarent eam. Quo facto a vectoribus, invenerunt eam dulcem et suavem, et hoc miraculo subvenerunt suae necessitati. Et de hoc sciebat quidam Joannes Boteglio, natione sina, qui fuit praesens dicto miraculo, et adhuc vivit in hac arce.

Similiter ipse testis audivit a quodam Emanuele Joannes, qui adhuc est in hac arce, quod in quadam tempestate in insulis Ambuini dictus P. Franciscus immisit intra maris aquas quemdam crucifixum, quem collo gestabat; et quia, rupto filo quo erat alligatus, e manu dicti Patris cecidit in mare, ille moerore fuit affectus magno. Sed postea, cum dictus Pater ambularet cum altero viro lusitano prope littus, cancer marinus chelis elevatum dictum crucifixum, exiens e mari, attulit dicto Patri Xaverio. Quae res fuit et est etiam publica et notoria in India.

Insuper audivit ipse testis a suis maioribus, cum adhuc puer esset, quod viderunt in hac arce dictum Patrem, dum sacrum faciebat, divinitus elevatum a terra amplius cubito. Et hoc etiam audivit ab Antonia de Pina, quae adhuc vivit in hac arce. Et haec audivit a suo patre et a patruo.

Item etiam Petrus de Moraes, indus malabaris, et aliae perso-

---

[c] bibendi *ms*.

nae, scilicet Gaspar Gonsalvus, Joannes Correa, qui omnes adhuc vivunt in hac arce, narrarunt ipsi testi, quod dictus Petrus de Moraes infudit propriis manibus aquam in lampadem, quae ardebat ante imaginem dicti P. Francisci in supra dicta ecclesia Cottatae ad experiendum quod omnes dicebant; et nihilominus dicta aqua ardebat ac si oleum esset; et gens multa ad hoc factum videndum concurrit.

Juxta 20.$^{um}$, testis dixit se audivisse ex publica fama multa miracula, quae dictus Pater semper fecit in diversis partibus, et praecipue in ecclesia Cottatae.

Juxta 21.$^{um}$ et 22.$^{um}$, dixit se credere et habere dicta miracula, a se relata, fuisse facta super vires naturae; et scit ea esse vera et non ficta; et pro talibus ab omnibus habita.

Super articulo 58.°, dixit testis se audivisse nominari Cosmum Anes, procuratorem bonorum regis, virum nobilem et fide dignum in civitate Goae, necnon Emanuelem de Figueiredo, virum nobilem et magna fide dignum.....

## DIE 13 SEPTEMBRIS ANNI 1616

### IN ECCLESIA MATRICE HUIUS ARCIS SANCTI THOMAE COULANI.....

### 106.$^{us}$ TESTIS

Joannes Boteglio, natione sina, et natus in eodem regno Sinarum ex parentibus nobilibus, incola huius arcis, et vivit expensis sui generi, Petri Crucii, hic commorantis.....

Dixit se esse nominis et cognominis et patriae ut supra; et quod vivit expensis sui generi, Petri Crucii, ut iam retulit; et quod habet annos 85.....

Juxta XI.$^{um}$, testis dixit se cognovisse et vidisse P. Franciscum Xaverium, Societatis Jesu, qui erat homo, nec multum senex nec multus juvenis, et ipse testis cum eo navigavit ad Sinas in navi Sanctae Crucis, et inde ab insula machaënsi conscensus cum dicto P. Xaverio ad navigandum Japponiam versus, duce navis Aires Boteglio; et cum veniret ad Sinas, vidit miraculum quod inferius refert. Sed ad praesens scit ipse testis magnum esse nomen et famam sanctitatis dicti Patris.....

Juxta 16.um, testis dixit quod universus hic populus habet magnam devotionem erga dictum Patrem, et se comendant imagini illius, quae est in capella beati Patris Ignatii.

Juxta 17.um, testis dixit se scire ex visu quod dictus Pater Franciscus, zelo ductus salvandi animas, navigavit in Japponiam, cum quo erat ipse testis in eadem navi conscensus, et ibi multos convertit ad fidem christianam et baptizavit; et multos perpessus est labores, ac multa fecit miracula.....

Juxta 19.um, testis dixit quod, cum navigaret in navi Sanctae Crucis, prout supra dixit, contigit ut deficeret aqua viatoribus, cum essent in alto mari, magnaque esset malacia, ita ut a tribus diebus non coquerentur cibi in tota navi propter aquae penuriam, et vectores omnes essent in magno periculo vitae propter defectum aquae, et iam aliquot morerentur; quare, exiens dictus P. Franciscus e cubiculo in plateam seu fores navis, videns eos moestos, dixit eis: providentia Dei est magna; Deus est optimus. Et dicentibus illis quod omnes perituri erant, respondit: non estis perituri, non. Et dictus Pater, alloquutus ipsum testem, jussit accedere scapham, et ipse testis clamavit ut accederet scapha, quae iverat ad sumendum aquam ex quadam insula, sed non poterat accedere; et cum venisset scapha, ipse testis cum Patris puero descendit in illam, et sumpserunt ambo aquam ex mari; quo facto Pater iussit puero ut eam degustaret; qua degustata, ei dixit esse salsam; et tunc Pater, facto super illa signo crucis, elevatis ad coelum oculis, Deum oravit, et iussit ut iterum gustarent illam aquam; et cum eam degustassent, repererunt illam dulcem, et suavem, et bonam. Et rediens statim in plateam, seu foros novos, jussit navarcho et caeteris vectoribus et officialibus navis ut replerent aqua maris dolia, hydrias grandes, et vasa reliqua navis; quibus omnibus expletis, facto super illis crucis signo, reperta fuit aqua illa dulçis et multum suavis, ita ut dicerent esse suaviorem aqua insulae Bangani. Et omnes conclamarunt et dixerunt esse magnum miraculum, et dictum Patrem ut virum sanctum venerati sunt.

Et dixit ipse testis quod quidam Bartholomaeus Pereira, natus in partibus Indiae septemtrionalibus, quem ipse testis optime

cognovit, navigabat tunc in dicta navi; et sciebat etiam de hoc miraculo, quia facto adfuit: et mortuus est in arce hac; et mulier eius sciebat etiam de hoc miraculo, quia multoties illud audivit a dicto suo coniuge.

Juxta 20.um, dixit se audivisse de alio miraculo, quod contigit cuidam viro christiano, caeco, Morale, orae Travancoris, qui lumen oculorum recepit per merita et intercessionem dicti P. Xaverii, quia composuit cantiones lingua malabarica in laudes dicti Patris Xaverii; et hoc quidem miraculum audivit ipsa testis a Michaële Fernandez, indo, qui ad praesens vivit coniugatus in hac arce.

Juxta 21.um et 22.um, dixit se credere dictum miraculum aquae, quod vidit propriis oculis, esse verum miraculum, et omnes pro tali tunc habuerunt. Et alia miracula a P. Xaverio facta credebat esse vera miracula, divinitus et supra vires naturae facta.....

## INFORMATIO FACTA IN ORA TRAVANCORIS

### 107.us TESTIS

Thomas de Gouvea, indus, natione malabaris, indigena huius orae Travancoris, coniugatus, et incola huius arcis, qui vivit suis expensis et comercio, more indiano.....

Dixit se esse nominis et cognominis ac patriae ut supra; et vivere suis expensis, ut supra retulit; et habere annos 55; et quod fuit oeconomus confraternitatis Matris Dei et boni Jesu, huius arcis.....

Juxta XI.um, testis dixit se audivisse loqui de P. Francisco Xaverio in hac ora Travancoris a 40 annis ut de viro sancto; et ab illo tempore eius fama est recepta et aestimata, etiam ab ethnicis.

Juxta 12.um, dixit se audivisse ab oppidanis et indigenis eiusdem orae, quod dictus Pater fuit primus sacerdos, qui venit ad eos convertendos ad christianam fidem; et ille convertit et baptizavit fere omnem nationem machaarum, qui permanent in dicta ora Travancoridis; et parentes ipsiusmet testis illi narrarunt quod dictus Pater eos baptizavit.....

Juxta 16.um, testis dixit se scire ex visu, quod huius arcis populus et totius orae Travancoris habent magnam devotionem erga dictum Patrem Franciscum, nobiles et plebei utriusque sexus, etiam etnici, eiusdem orae, praecipue in ecclesia Cottatae, quae est supra promontorium Commorini, ubi est posita imago dicti P. Francisci; et semper in illa videtur magnus concursus populi et plura vota ac donaria in omnibus aliis Ecclesiis eiusdem orae. Et scit iam ipse testis quod haec devotio semper augetur; et tempore, quo P. Andreas Buserio, Societatis Jesu, permanebat in illis partibus, eleemosynis et oleo ecclesiae Cottatae sustentabat quinque alias ecclesias, quae erant in interioribus locis

dictae orae Travancoris, quae omnes labefactatae fuerunt causa belli; et haec tantum permanet propter devotionem et nomen dicti P. Francisci Xaverii.

Juxta 17.^um^, testis dixit se scire ex publica voce et fama de zelo et fervore dicti P. Francisci; et quod quidam vir christianus, parava, senio provectus, patangatinus et judex promontorii Comorini, vir christiana et optima vita et fide dignus, narravit ipsimet testi, 25 abhinc annis, se vidisse propriis oculis quod, cum naique de Madure inferret bellum adversus regem Travancoris et christianos promontorii Comorini, quos P. Franciscus Xaverius baptizaverat, illi receperunt se ad oppida dicti regis Travancoris: et quod hoc tempore et loco, in quo erat dictus P. Franciscus, viam fecit usque ad radices montis dicti Comorini, et cursum intendit in illam partem, qua exercitus dicti nayque veniebat ad destruendos christianos; sed milites dicti exercitus, qui erant badaguae bisnagarii regni, ubi primum dictum P. Franciscum conspexerunt, statim, illius aspectu perterriti et attoniti, steterunt, nec amplius progredi aut movere se ulterius potuerunt. Quam rem videntes duces exercitus, iusserunt militibus ulterius progredi cum bello; sed omnes responderunt uno ore se ulterius parere [d] non posse, quia erat e regione vir quidam magnus et maiestate terribilis, nigra veste indutus, qui illos increpabat, cuius ardorem ex vultu et oculis micantem ferre non poterant; et magnopere timebant illum, ideoque pergere non audebant. Qua re obstupefacti dicti duces nayque, voluerunt ipsi videre dictum Patrem; et viso illo in eodem aspectu horribili, etiam ipsi manserunt perterriti, et dixerunt statim militibus ut retro verterentur; et sic, quamvis feri, cursum statim verterunt, et totus exercitus est reversus per viam qua venerat. Quo facto, dictus Pater, ulterius progressus, offendit in itinere regem Travancoris, qui suis militibus veniebat ut se dictis hostibus opponeret; qui rex, certior factus quod hostes badagae cursum verterunt et de facinore memorabili a dicto Patre perpetrato, amplexatus est dictum P. Franciscum, inquiens: ego vocor Rex ma-

---

[d] parcere *ms*.

gnus, sed tu deinceps vocaberis magnus Pater; et ita dictus rex rediit cum militibus ad suam civitatem, unde exierat, et dictus Pater reversus est ad suos christianos, quos liberaverat a tyrannide badagarum hostium.

Dixit insuper testis, quod de hoc facto miraculoso fuit in tota ora Travancoris et Commorino publica vox et fama, prout adhuc viget. Et factum, eodem modo a se relatum, vidit etiam scriptum penes aliquot nobiles viros illius regni.....

Juxta 19.um et reliqua, testis dixit quod quidam christianus oppidi Morale orae Travancoridis, nominatus Chiambaretecura, qui hactenus vivit, cum in caecitatem incidisset ob combustionem pulveris, quae combussit vultum illius in quadam festivitate cuiusdam ecclesiae, et ipse testis illum vidit caecum, adeo ut nihil per aliquot annos viderit; et cum veniret ad visitandum ecclesiam Cottatae, ubi est imago P. Francisci Xaverii, in qua per novem dies fuit commoratus, et invocans ibi nomen et auxilium dicti Patris, et cantilenas malabarico sermone in laudes illius edens, quia erat poëta, dum in dicta ecclesia oraret ante imaginem dicti Patris, per intercessionem illius, visum oculorum recuperaverit, prout ipse testis vidit. Et hoc factum fuit ab omnibus tentum et habitum pro magno miraculo.

Item, Bellaire Joannes, sacrista dictae ecclesiae, qui ad praesens est sacrista alterius ecclesiae in promontorio Commorini, narravit ipsi testi quod multoties, deficiente oleo, infudit aquam in lampadem dicti P. Francisci, quae exarsit; quod tunc temporis, cum quaedam mulier christiana, quae oblationem diabolo voverat, sine confessione moreretur, dictus sacrista Bellaire eam sepelivit inscienter in dicta ecclesia Cottatae; et statim crux lignea, quae erat posita in altari, et vulgo vocatur crux P. Mtri. Francisci, sanguinem sudavit. Et cum certiorem facerent P. Andream Buserio, praesente ipsomet teste, omnes adiverunt dictam ecclesiam Cottatae, et viderunt tunc tantummodo venas, quae erant quatuor aut quinque, et videbantur expressae in hasta dictae crucis ad longum coloris sanguinis; et dictus sacrista et caeterae personae narrarunt, quod dicta mulier decessit e vita sine confessione, cum vovisset diabolo, et propterea viderunt

statim dictam crucem sanguinem sudare, prout iam dixit; et ipse testis propriis oculis cum multis aliis hoc viderunt.

Insuper, testis dixit quod patruus quidam suus, nomine Perimal Panical, natione chiavalacaire, ethnicus, cum nollet convertere se ad fidem christianam, licet, quia erat poëta et praeceptor puerorum, composuerat multas cantilenas in laudem nostrae sanctae fidei et etiam P. Nicolai Spinole, tunc temporis rectoris Societatis Jesu huius collegii, currente tempore, quater aut quinquies inter somnia vidit P. Franciscum Xaverium, qui, ex somno illum excitans et manibus tangens, ei jussit ut fieret christianus, et quod illum a lepra, qua laborabat, redditurus erat mundum et sanum. Qua de causa ivit ad ecclesiam dicti Patris, et ibi se unxit oleo lampadis eius, et fuit mundus a lepra, et postea se convertit ad fidem Christi; et duos inde menses fuit baptizatus a P. Andrea Buserio. Et haec omnia ipse testis audivit a dicto suo patruo, cui haec contigerunt, et modo vocatur Franciscus Perimal Panigal.

Praeterea, dixit testis quod filia quaedam Dominici da Silva, oppidi Alical, quae ibi vivit coniugata cum quodam Joanne in domo judicis, Andreae da Costa, cum periclitaretur difficultate partus per duos aut tres dies, iusserunt petitum a P. Andrea Buserio aliquam reliquiam, qui jussit ipsi testi dare medaliam, in qua erat expressa imago dicti P. Francisci, quam ipse testis collo gestabat; quae medalia cum in collo dictae mulieris poneretur, statim illa facilem partum habuit. Et hoc contigit hinc novem vel decem annis.

Item, cum in hac arce periclitaretur difficultate partus et doloribus magnis alia mulier, nomine Antonia Rodrigues; natione malabaris, quae postea nupsit Emanueli Rodrigues Picapedrae, postulavit ab ipso teste eandem medaliam; et cum eam [p]oneret in collo, statim sine periculo peperit, prout coniux ipsius testis sibi narravit, quae facto adfuit; sed amplius noluerunt reddere dictam medaliam.

Insuper, audivit ipse testis ex publica fama multa alia miracula, quae quotidie patrantur in dicta ecclesia Cottatae per merita et intercessionem dicti P. Francisci, etiam inter ethnicos, qui tan-

tam devotionem et venerationem habent erga dictam ecclesiam, ut non audeant conspuere in ea. Et persona quaedam fide digna narravit ipsi testi, quod tres mercatores ethnici voverunt oleum ad lampadem dicti P. Francisci, quae est in dicta ecclesia Cottatae ante imaginem illius, quia fuerunt admoniti quod mulier ipsius testis erat gravida, et illi erant amici ipsius testis. Et ita dixit ipse testis se credere et habere supra dicta miracula, a se relata, fuisse vera et esse patrata supra vires naturae, et ab omnibus habita et tenta pro talibus, et de illis fuisse semper et esse publicam vocem et famam.....

## DIE 15 SEPTEMBRIS EIUSDEM ANNI

### LOCO SUPRA EXPRESSO.....

### 108.us TESTIS

Franciscus Mendez, indus, natione malabaris, ladinus, natus in hac arce Coulani, et fuit oeconomus confraternitatis Matris Dei, qui vivit suis expensis et comercio mercaturae, more indiano.....

Dixit se esse nominis et cognominis et patriae ut supra, et habere annos 27.....

Juxta 12.um, dixit quod dictus P. Franciscus est habitus et tentus ab omnibus vir sanctus.....

Juxta 19.um, dixit quod a septennio, cum ipse testis esset in dicto loco Cottatae, venit ad visitandum dictam ecclesiam quidam Joannes de Alical, qui ibi vivit coniugatus, et portavit paululum olei; et poste[a]quam implevit illo lampades, quae ibi erant, cum illae arderent, consumptum est oleum; et venit tunc dictus Joannes et alius ex sociis illius, et dixit ipsi testi quod oleum fuerat consumptum, et postea infuderunt aquam benedictam in supradictas lampades, quae, aqua illa infusa, arserunt. Sed cum ipse testis hoc non crederet, et vellet experientiam facere de hoc, ingressus est dictam ecclesiam et vidit quatuor aut quinque lampades, quae aqua ardebant, et, ut melius rem comprobaret, ipse testis propria manu infudit aquam in aliam lampadem, quae ibi

erat vacua; et, posito stupino in illa sicco ac novo, eam accendit, et dicta aqua benedicta exarsit ac si esset oleum. Et hac fama moti multi ethnici et christiani confluxerunt ad hoc miraculum videndum, et omnes, tum ethnici tum christiani, qui erant in dicta ecclesia, viso miraculo, permanserunt magnopere admirati, et gratias maximas et reverentiam egerunt imagini dicti P. Francisci. Ethnici levabant manus ad coelum, et christiani, in genua pervoluti, Sancti nomen commendabant, dum supradictae lampades aqua benedicta per unius horae spatium et ultra arserunt, quia hoc miraculum contigit a septima noctis usque ad horam nonam. Et posteaquam omnes, et ipsemet testis simul, viderunt dictum miraculum, egressi sunt ab ecclesia, et portae illius fuerunt clausae. Et posteaquam ipse testis coenavit, rediit ad dictam ecclesiam ut ibi dormiret, et reperit omnes lampades extinctas; et nescit an fuerint per se extinctae, vel quia aqua et stupini fuerint consumpti.

Dixit etiam ipse testis, quod de miraculo supra dicto scit bene sacrista dictae ecclesiae et judex eiusdem loci, de quibus rationem reddet dictus Joannes aut cangar eiusdem oppidi Alical, qui est eius cognatus.

Insuper, dixit ipse testis quod, fama huius miraculi, postea oblatae fuerint plures eleemosynae, tum ethnicorum tum christianorum, a duodecim seu viginti leucis, quia ex omnibus illis finitimis locis concurrebant, exceptis multis aliis, qui devotionis et peregrinationis causa illuc adibant.

Ita etiam dixit ipse testis, quod poterant scire ab uxore quondam Antonii Fernandez Carambuleiro aliud miraculum, quod dictus P. Franciscus operatus est in quodam puero, nominato Francisco, nepote illius, quia illa vovit aestimationem et pretium dicti pueri, pro sanitate recuperanda, in cera, solvenda imagini dicti P. Francisci.

Juxta 20.$^{um}$, 21.$^{um}$ et 22.$^{um}$, dixit quod ipse testis, cum vidit ardere lampades aqua, prout iam retulit ipse testis, sensit in animo suo magnam suavitatem et consolationem, quia intelligebant illud miraculum esse factum a Deo per merita et intercessionem dicti P. Francisci; et hoc item credit ita esse. Et haec

omnia scit habita esse ab omnibus et reputata, uti etiam alia miracula dicti Patris, pro veris.....

DIE 22 SEPTEMBRIS 1616

IN EODEM LOCO SUPRA EXPRESSO.....

109.us TESTIS

Petrus Garcez, natus Coccini ex patre lusitano et matre inda, coniugatus et incola huius arcis, et ter fuit judex ordinarius, et sex annis thesaurarius bullae cruciatae in hac arce, et provisor defunctorum per tres annos, et dux propugnaculi [e] unius in hac arce.....

Dixit se habere annos 60 et ultra.....

Juxta XI.um, dixit se a 30 et etiam plus annis esse coniugatum in hac arce, et semper audivisse loqui de dicto P. Francisco Xaverio, qui fuit unus ex primis sociis beati Ignatii, et primus e Societate Jesu qui venit in Indiam; et scit quod fama est antiqua illius sanctitatis et ab omnibus recepta.....

Juxta 16.um, dixit se scire quod universus hic populus habet magnam devotionem erga dictum P. Franciscum, et multae personae se ei commendant et preces fundunt tanquam viro sancto. Et praecipue, cum ipse testis contenderet cum quodam Dominico Gomez, qui in hac arce vivit coniugatus, dixit supra dictus Dominicus, quod deprecaturus erat in suis precibus dictum P. Franciscum, tanquam virum sanctum, quia fecit miraculum in illius persona [f] oleo lampadis.

Ita etiam dixit ipse testis se scire, ex publico et notorio, quod in tota hac ora Travancoris habetur magna devotio erga dictum Patrem, etiam ab ethnicis, praecipue in ecclesia Cottatae supra Commorinum, ubi est posita imago dicti Patris; et ibi operantur multa miracula; quae devotio semper extitit.

Juxta 17.um, dixit se scire, ex publica voce et fama et in particulari, quod dictus P. Franciscus fuit zelantissimus salutis

---

[e] propignaculi *ms.* [f] personae *ms.*

animarum; et fuit primus qui dedit principium conversioni orae Piscariae, et in illa baptizavit numerum propemodum infinitum ethnicorum; et in regnis Japponiae hoc quidem [g] fecit.....

Juxta 19.[um], dixit quod filia sua, nomine Francisca, cum laboraret disenteria seu fluxu sanguinis per tres menses, ivit ad ecclesiam Societatis, et ibi, in genua pervoluta, se maxime commendavit imagini dicti P. Francisci, quae est depicta in capella beati Ignatii; et ibi, oppressa dolore ut consistere non posset, accipiens oleum lampadis dicti P. Francisci, manu se unxit, et vovit ei candelam longam pro eius mensura; et statim fuit liberata a dolore, et reddita fuit ab infirmitate sana, et usque adhuc non amplius incidit in infirmitatem; et ipse ad illam se refert, quae melius de hoc dicere poterit.

Dixit insuper, se scire quod Gasparus Gonsalves fuit sanus a tuberculo, quo oppresus erat, meritis ac intercessione P. Francisci, prout ille Gasparus Gonsalves sibi narravit.

Ita etiam scit ipse testis, ex publica fama, multa alia miracula, quae narrantur facta esse a dicto Patre, omnia habita et tenta pro veris.

Et de reliquis interrogatoriis nil aliud se scire dixit. Sed de personis relatis in articulis, super 58.° articulo dixit se audivisse, dum esset juvenis, Coccini, nominari Emanuelem Figueiredo, incolam Goae, hominem honestum et bonum christianum, et optimis disciplinis ornatum.....

### IIO.[us] TESTIS

Blaxius Godinho, lusitanus, natus in oppido Govea, colimbriensis, viduus, incola huius arcis, novies fuit judex orphanorum, et septies judex ordinarius; et vivit suis expensis et comercio, more indiano.....

Dixit se habere annos 88.....

Juxta XI.[um], dixit, a tempore quo commoratus est in India, semper audivisse nominari praedictum P. Franciscum Xaverium,

---

g *Sic; melius fortasse:* idem.

et esse famam publicam sui nominis et bene ab omnibus receptam.

Juxta 12.um, dixit esse publicum quod dictus P. Franciscus vixit vitam laudabilem et sanctam in omnibus Indiae partibus; et haec opinio sanctitatis divulgatur de illo.

Juxta 13.um, dixit se audivisse quod, ad instantiam regis Lusitaniae, missus fuit in Indiam dictus P. Franciscus, quia, videns rex eius virtutes, sperabat fore ut magnos progressus faceret in convertendo infideles ad christianam fidem, prout fecit, et multos baptizavit in ora Piscariae.....

Juxta 16.um, dixit se scire quod universus populus habet devotionem magnam erga dictum P. Franciscum, et ipse testis eandem habet erga illum. Et filia sua, Anna Godinha, in hora mortis suae invocavit dictum P. Franciscum et ei commendavit animam suam; et cum haberet imaginem dicti P. Francisci, eam deosculata est, et eam amplexata est in morte. Et haec devotio permanet etiam in ora Travancoris erga dictum Patrem; et iidem ethnici habent in magna veneratione imaginem illius positam in ecclesia Cottatae, ubi offerunt suas eleemosynas.....

Juxta 19.um, dixit se audivisse a Francisco Netto da Silva, multis abhinc annis, qui erat vir devotus et valde notus in hac arce, quia fuit pater Francisci Mendez d'Aguiar [h], praefecti eiusdem arcis, et erat habitus pro viro nobili, qui narravit ipsi testi quod P. Mter. Franciscus, cum concionaretur Malacae, dixit, praesente populo: fratres, recitate unum Pater et Ave propter victoriam, quam nostri lusitani retulerunt in hac hora de bumis in arce Diensi; quae res ita prorsus contigit sicut ipse revelaverat.

Insuper, audivit ipse testis a multis aliis lusitanis, qui sibi narraverunt hoc factum supra dictum, quod dictus P. Franciscus illud prophetizaverat ex suggestu. Et supra dictus Franciscus Netto narravit etiam ipsi testi quod, statim atque dictus P. Franciscus decessit e vita, omnes lusitani, qui ibi reperti sunt, scinderunt [i] tunicam illius in frusta, causa devotionis, et habenda pro

---

h da Guiar *ms.* i scinderunt *ms.*

reliquiis; et quod dictus Franciscus Netto habuit etiam quoddam frustulum ex illa.

Et de reliquis interrogatoriis dixit se audivisse tot ac tanta miracula, a dicto P. Francisco operata, quae, si scriberentur, possent magnum volumen conficere.

Et dixit praeterea ipse testis quod ex hominibus senioribus ipse minime scit; et nil aliud se scire dixit, quam ea quae supra deposuit.

Et de relatis in articulo 58.°, dixit se quadraginta abhinc annis cognovisse Gasparem Vaz, natione indum, et huius Coulani indigenam, scribam matriculae generalis, virum fide dignum et honestum.

Et etiam audivit testis nominari Cosmum Anes, procuratorem bonorum regis, hominem nobilem et fide dignum; necnon Emanuelem a Figueiredo, optimum christianum et fide dignum.....

## DIE 23 SEPTEMBRIS 1616

### IN LOCO SUPRA DECLARATO.....

### III.us TESTIS

Aloysius de Figuereido, natus Goae ex parentibus lusitanis, scilicet ab Emanuele Figueiredo et a donna Antonia Forõis, eius coniuge; coniugatus et incola huius arcis; et fuit in illa provisor defunctorum, et scriba orphanorum in civitate Coccini; vivit juxta conditionem nobilium suis expensis et comercio, more indiano.....

Dixit se habere annos 56.....

Juxta XI.um, dixit se audivisse a parentibus suis nominari P. Franciscum Xaverium, quia illi cognoverunt eum et familiariter egerunt cum illo; et maxime laudabant virtutes illius, opera, mores et optima exempla, quae multis dabat. Et ipse testis a sua pueritia scit quod haec fama semper viguit de dicto Patre bene recepta ab omnibus.....

Juxta 14.um, dixit se audivisse a multis personis, quod dictus P. Franciscus a vita discessit in Sinis; quod ad praesens corpus illius est integrum incorruptum Goae.....

Juxta 16.um, dixit se scire, de publica voce et fama, quod populus universus illarum partium, quos ipse testis audivit, habet devotionem erga dictum P. Franciscum, lusitani et indi cuiuscunque nationis sint, tam homines quam mulieres; et haec fama viget a tempore suae recordationis; et devotio ista in dies augetur.

Juxta 17.um, dixit se scire, ex publica voce et fama, dictum interrogatorium, et in particulari quod dictus P. Franciscus fuit zelantissimus salutis animarum, et ethnicorum conversionis; et quod multos convertit ad christianam fidem, tum in India, tum in Japponia; quae omnia ipse testis audivit a personis fide et auctoritate dignis.....

Juxta 19.um et reliqua alia, dixit se scire, ex publica voce et fama, multa miracula, quae narrantur de dicto P. Francisco; et specialiter audivit ipse testis a personis fide dignis, quod dictus Pater, cum concionaretur Malacae, ex suggestu dixit: agite gratias Deo propter victoriam, quam nostri reportarunt de acenis in hac hora; prout fuit postea verificatum.

Insuper, scit ipse testis quod imagines et medaliae dicti Patris sunt in magna aestimatione ac veneratione apud omnes, tanquam viri sancti; et ipse testis in eadem veneratione eas habet.....

Et de relatis in articulo 58.°, dixit se cognovisse Goae Antonium Diaz, calculatorem orphanorum, et suum vicinum Antonium Rodriguez, scribam orphanorum, scilicet lusitanum, et Gasparem Vaz, scribam matriculae, natum in India in oppido Cananoris; et eos fuisse homines fide dignos, honestos et optimos christianos; necnon cognovisse Catharinam de Chaves, uxorem quondam Didaci Martinez, et Hieronymam Pereira, viduam, mulieres nobiles et honestas, fide dignas; necnon Emanuelem de Figueiredo, ipsius testis patrem, et Lupum Pereira, fratrem Christophori Pereira, equitem nobilem e domo regis, magna fide dignum.....

## DIE 7 OCTOBRIS 1616

### IN EODEM LOCO SUPRA EXPRESSO.....

### 112.us TESTIS

Dominicus Gomez, natus in India, ex patre lusitano et matre inda, coniugibus, et incola huius arcis; vivit suis expensis et comercio, more indiano.....

Juxta secundum, testis dixit esse nominis et cognominis ac patria ut supra, et esse annorum 61.....

Juxta XI.um usque ad 15.um, dixit fuisse et esse publicam vocem et famam, quod dictus P. Franciscus adivit in Japoniam et hanc oram Travancoris, et convertit et baptizavit multos ethnicos, et aedificavit multas ecclesias juxta consuetudinem locorum.

Juxta 16.um, dixit se scire ex visu, quod universus hic populus, nobiles et plebei, habent magnam devotionem erga dictum P. Franciscum, et haec devotio etiam in dies augetur: et in particulari ipse testis illum habet in magna devotione, et semper ei se comendat, posteaquam accepit gratiam in sua persona, et vidit aliud miraculum, quod infra referet.

Juxta 17.um, dixit contenta in interrogatorio esse vera et publica voce et fama, quae de illis viguit et viget; et ipse testis ea audivit a multis personis et saepe in diversis locis.....

Juxta 19.um usque ad ultimum, dixit se audivisse ab octo annis ex hominibus fide dignis, quod, cum navigaret dictus P. Franciscus ex Japonia in Sinas, in quadam tempestate, procellae vi scapha fuit abrepta a navi; cuius casum deplorantes maris vectores, eos moestos dictus Pater solatus est, et bono animo esse iussit, et promisit fore ut filia remearet ad matrem, ut ita prorsus evenit, quia ad crastinam diem repente visa fuit dicta scapha venire recta ad navim, adducta precibus dicti Patris. Et a septem annis, cum ipse testis esset confessus et communicatus in die sancti Jacobi, se posuit ad speculandum in propugnaculo Sancti Francisci, cuius curam habebat, quia erat tempus belli: repente paralysi captus fuit et illo morbo correptus a pede sinistro usque

linguam: ita permansit ab illa parte immobilis et paralyticus, ut illis membris, nec pede, nec manu, nec lingua, quam blaesam et obliquam habebat, nullo modo uti potuerit; et adeo paralytica habebat illa membra, ut omnes affirmaverint malum illud esse prorsus sine ullo remedio, quia ipse testis erat paralyticus in parte sinistra. Et cum ad se curandum veniret medicus quidam, Petrus Fernandez, applicuit illis partibus paralyticis aliquot remedia et unctiones, sed minime profuerunt per aliquot dies. Tunc ipse testis, memor dicti P. Francisci sanctitatis et famae miraculorum, iussit postulatum a P. Antonio Tuscano, rectore Societatis Jesu, frustulum ligni crucis P. Francisci Xaverii, quae posita fuit in ecclesia Cottatae, et in frusta concissa; et, pulvere dictae crucis in aquam benedictam iniecto, recitato ab ipso teste, et modo quo potuit, uno Pater et Ave, magnopere ex corde se commendavit dicto Patri Francisco. Et accipiens dictum pulverem pollice, signum crucis in lingua expressit, et repente sensit linguam rectam, et incoepit loqui ut antea; et postea pulverem dictae crucis, in aqua iniectum, bibit, et cum illo et oleo lampadis dicti P. Francisci perunxit collum, brachium et pedem, et illam totam sinistram partem laesam et paralyticam; et redditus fuit sanus intra paucos dies, et sanitatem pristinam recuperavit, nullo alio adhibito remedio, praeter dictum lignum et oleum, per merita et intercessionem dicti P. Francisci. Quam rem omnes habuerunt pro miraculo, maxime ipse testis, [qui] erat iam senio provectus.....

### 113.us testis

Michael Fernandez, indus, natus in hac arce, coniugatus et sartor, vivit ex sua arte.....

Dixit se esse annorum 24.....

Juxta 20.um, ad quem fuit relatus, dixit testis se a tribus annis vidisse senem christianum, nomine Cambaretecura, oppidi Morale, orae Travancoris, et in praesentia Thomae Gomez, sartoris, narravit quod fuerat captus oculis, et caecus: et postea-quam in ecclesia Cottatae, ubi est posita imago P. Xaverii, eam visitavit, recepit lumen oculorum, et, sicut prius, ex illis vidit.....

DIE 12.ª OCTOBRIS ANNI 1616

EODEM LOCO SUPRA EXPRESSO.....

114.us TESTIS

Petrus de Moraes, indus, natione malabaris, natus in hac arce, qui vivit ex suo comercio, more sui oppidi.....

Dixit se esse nominis et cognominis et patriae super-expressorum, et esse annorum 32.....

Juxta 11.um, dixit se scire ex visu optimam esse famam sanctitatis, et bene receptam ab omnibus, nominis et miraculorum P. Francisci Xaverii.

Juxta 12.um usque ad 16.um, dixit se scire ex visu quod universus hic populus ex ora Travancoris habent devotionem et venerationem erga dictum P. Franciscum, et etiam erga imagines illius. Insuper scit ipse testis quod ethnici vovent et offerunt oleum dicto Patri Francisco in ecclesia Cottatae supra Commorinum et ora Piscariae.....

Juxta reliqua, dixit quod, cum esset in dicta ecclesia Cottatae, septem abhinc annis, in genua provolutus et orans, ingressus est ecclesiam quidam ethnicus, et interrogavit a muliere christiana, senio provecta, cui impendebat cura verrendi et aspergendi dictam ecclesiam, an verum esset quod, infusa aqua in lampadem dicti Patris, arderet. Et dicta mulier ei respondit verum esse, praesente ipso teste.

Insuper Amadorus a Silveira, natione parava, coniugatus et incola oppidi Manapar, a septennio narravit ipsi testi quod, cum illius mater esset valde ulcerosa et plagis infecta, vovit centum fanoos, scilicet auri nummos, dicto Patri Mtro. Francisco; et statim, voto facto, gratiam recepit et sanitatem per merita et intercessionem dicti P. Francisci.

Audivit etiam ipse testis, quod mulier Thomae de Amural, judicis promontorii Commorini, concepit et habuit filium, dum esset sterilis, per merita et intercessionem dicti P. Francisci; et hoc ex illa scire poterant.....

### 115.us testis

Francisca Rebella, filia Petri Garcez, quae vivit sub potestate dicti sui patris.....

Dixit quod habet annos 17.....

Juxta 11.um usque ad 17.um, dixit quod omnes habent magnam devotionem erga dictum P. Franciscum Xaverium.....

Juxta reliqua, dixit quod, a septennio incirca, cum ipsa testis per tres menses laborasset dissenteria seu fluxu sanguinis, et tumore ventris, et valde illius morbi causa periclitaretur, iam confessa et agens animam, quia multa medicamenta receperat absque ullo remedio aut signo salutis; et cum esset dies jovis hebdomadae sanctae et non posset visitare ecclesias, venit ad ecclesiam Patrum Societatis Jesu ad visitandum imaginem P. Francisci Xaverii, quae est posita in capella beati Ignatii. Et cum ingrederetur dictam ecclesiam, magno ventris dolore fuit oppressa, adeo ut subsistere non posset; et fuit admonita per Dominicum Riberium, ut maxime se commendaret dicto P. Francisco. Et cum ibi esset, enixe deprecatus [est] circa opem et auxilium illius pro sanitate habenda; et [illa] vovit unam candelam, quae esset aequalis eius staturae; et, ungens se oleo lampadis dicti P. Francisci, statim et repente dolor cessavit, et reddita fuit sana ab illa infirmitate, prout hodie est. Et declaravit quod, quando se commendavit dicto Patri Francisco, habuit magnam fidem et fiduciam in illo, ob cuius merita et intercessionem recuperatura erat salutem, ut vere contigit.....

### 116.us testis

Maria Pinta, vidua, uxor quondam Francisci Correa, lusitani, qui fuit in hac arce provisor Misericordiae, et judex ordinarius et orphanorum, et consul camerae; qui vivit ex sua industria et bonis, more indiano.....

Dixit se esse nominis et cognominis prout supra, et quod habet annos 55.....

Juxta XI.um, dixit se semper audivisse nominari P. Franciscum Xaverium generaliter virum sanctum; et posteaquam posi-

ta fuit imago illius in capella aedificata in collegio Societatis Jesu, omnes habuerunt devotionem magnam erga illum ad [*sic*] eius lampadem.

Dixit praeterea ipsa testis quod sua filia, Maria Pinta, cum esse virgo, per quinquennium laboravit morbo, quo totum corpus illi tumescebat, cum signis, instar cicatricum, quae etiam in lingua et oculis videbantur, quem morbum malabares vocant carapam, et lusitani bretoseja, propter quem comedere non poterat carnem, quia statim laborabat febribus, quibus valde vexabatur. Et cum multorum medicorum remedia sibi adhibita essent, numquam potuit recuperare sanitatem. Quod videns ipsa testis, maxime se commendavit dicto Patri Francisco, et visitavit semper imaginem illius, positam in capella beati Ignatii, et ei vovit missam, et quod filia sua visitatura erat imaginem illius multoties; et statim illa reddita est sana, et nunquam amplius reincidit in dictam infirmitatem per biennium, in quo tantum vitam habuit. Et hoc habuit pro miraculo sibi facto per merita et intercessionem dicti P. Francisci, propter fidem ac fiduciam, qua tunc temporis illi se commendavit.....

### 117.us TESTIS

Thomas Gomes, sartor, indus, coniugatus in hac arce, et vivit ex suo officio.....

Dixit se habere annos 25.....

Juxta 18.um et 19.um et alia, fuit interrogatus quid esset miraculum; et dixit se audivisse a quodam parava christiano, sene, nomine Cambaratecura, oppidi de Morale, orae Travancoris, quod, cum esset captus oculis et caecus, visitavit ecclesiam Cottatae, ubi est posita imago dicti P. Mtri. Francisci, et ibi dicto Patri se commendavit, et statim, per merita et intercessionem dicti Patris, recepit lumen oculorum, et vidit ut antea; quod habuit pro magno miraculo.

Et insuper, a tribus annis ipsi testi narravit Joannes Boteglio, natione sina, qui adhuc vivit in hac arce, quod, cum navigaret dictus P. Franciscus in quadam navi, qua vehebatur dictus Joannes Boteglio, deficiente aqua vectoribus navis ad bibendum,

dictus P. Franciscus fecit eam sumere ex mari, et repererunt omnes aquam dulcem et suavem, qua impleta fuerunt omnia vasa et hydriae navis.....

### 118.us testis

Hector Rodriguez, indus, natus in hac arce, coniugatus, qui fuit thesaurarius et oeconomus electus confraternitatis Matris Dei oppidanorum, et vivit ex suo comercio, more indiano.....

Dixit se habere annos 62.....

Juxta XI.um usque ad 17.um, dixit se semper audivisse nominari P. Franciscum Xaverium pro viro sancto, et hanc famam esse antiquam et ab omnibus receptam sine contradictione personae. Et quod hic populus et ora Travancoris habet devotionem erga dictum P. Franciscum, et ea in dies augetur, ut ipse testis scit ex visu. Et sibi narravit Augustinus de Pina, qui decessit a vita in oppido Manapar, et cum puer esset servivit dicto Patri Francisco, quod dictus Pater erat zelantissimus salutis animarum et honoris Dei.

Juxta 18.um et alia interrogatoria, fuit instructus quid esset miraculum; et dixit quod ipsi testi narravit dictus Augustinus de Pina, 30 abhinc annis, in ecclesia oppidi Manapar, quod, cum ille esset cum quodam puero, qui serviebat dicto P. Francisco, in quodam tugurio pagi Pandocal, prope Talle, et non longe distanti ab oppido Manapar, et ibi per totam noctem somno dediti requiescerent, contigit ut venenosus anguis de capello momorderit dictum puerum; et cum dictus Augustinus e lecto surgeret mane, vocavit dictum puerum ut etiam surgeret, qui et cum non responderet, illum manibus tetigit, sed mortuum invenit. Et obstupefactus, tollens storiam, qua iacebant, vidit dictum anguem fugientem; et dictus Augustinus accurrit statim ad P. Franciscum Xaverium, et eum admonuit de puero mortuo, et qua ratione obierit; cui dictus Pater respondit ridens, puerum non esse mortuum, et nihil esse; et statim Pater cum dicto Augustino venit ad locum, ubi erat puer mortuus; quem videns, tollens ad coelum oculos, cruce signavit et, manibus apprehendens eum, in nomine Jesu Christi surgere iussit; et statim dictus puer

surrexit vivus et sanus. Et affirmabat Augustinus de Pina quod ille vere fuit mortuus a nocte usque ad meridiem.

Dixit amplius testis, quod anno 1607, mense Decembris, filius suus, Franciscus Rodriguez, conscensus navigium, cuius erat dux, quod vocant pagel, cuiusdam Cocigandae, viri ethnici, cum solveret e portu Petta et altum maris teneret, ut solent, ut transire posset caput Godocrim, post quatuordecim dies adverso vento et vi aquarum pervenit ad portum obvium Carlingapatani, qui est ultra portum oppidi Petta plus triginta leucis, in quo coactus fuit subsistere per duos dies, moerore affectus et obstupefactus, quia idoneum tempus ad navigandum transactum iam erat, ideoque maxime se commendavit dicto P. Francisco, et vovit se daturum esse quasdam cortinas ecclesiae Cottatae ad honorem dicti Patris. Et, facto voto, statim habuit idoneum et tranquillum ventum ad navigandum; et cursum faciens juxta littora, quae navigatio est valde periculosa et extraordinaria, quia omnes altum maris tenent ad praetereundum promontorium Goducherim, praetervexit demum omnia alia navigia, quae solverunt e dicto portu Petta septem aut octo diebus priusquam dictus Franciscus Rodriguez e portu solveret, quamvis nullum ex illis coactum esset retrogredi, ut fecit navigium ipsius; tamen pervenit ad portum Coulani, quem petebat, prius omnibus aliis, et nullum ex aliis navigiis potuit tenere portum, quem petebant, sed in aliis portibus coacta sunt subsistere.

Et dictus Franciscus Rodriguez statim in hoc Coulano narravit factum pro miraculo, non continendo se a lacrymis, quia iam praeter[i]erat tempus ad dictam navigationem, et dedit cortinas, quas voverat dicto P. Francisco Xaverio, et ecclesiam illius visitavit. Et Andreas Saraiva, lusitanus, in hac arce coniugatus, qui profectus [est] nuper Bengalam, scit de hoc miraculo, quia veniebat in eodem navigio. Et ipsimet testi hoc factum etiam narravit: quod supradictus Franciscus Rodriguez illum, exanimatum et timentem, bono animo esse iussit, et habere magnam fidem in P. Francisco Xaverio, quia eius meritis perventuri erant Coulanum, ut ita postea contigit.

Audivit etiam ipse testis a supradicto Andrea Saraiva, lusita-

no, quod, cum ille navigaret in quadam navi Emanuelis da Silva, institoris Bengalae, et solveret a portu Cocini Bengalam versus, in eadem navigatione fuerunt adducti in ultimum vitae discrimen propter magnam tempestatem, in qua, fractis et diruptis fere omnibus navis armamentis, mercatores et nautae, iacientes merces suas in mare, sine ulla spe evadendi naufragium, incoeperunt magnis clamoribus invocare nomen P. Francisci Xaverii; et viderunt propriis oculis quod, aestuante mari, und[a]e, instar montium erect[a]e, minabantur navi ruinam; veruntamen, invocato magnis vocibus Xaverii nomine a viatoribus, extemplo und[a]e ill[a]e retrorsum abibant, et ab omni latere fugiebant navem. Cum deinde vectores nomen Francisci Xaverii non invocabant, denuo fluctus magis saeviebant adversus navem, et eam aquis obruebant; quae res fuit habita pro magno miraculo. Et ipse testis hoc etiam a suo filio et aliis audivit: et fuit et est publicum et notorium, et publica vox et fama.

Et scit amplius ipse testis, quod medaliae et imagines dicti Patris sunt habitae ab omnibus in magna devotione, et aestimantur tanquam reliquiae viri sancti.....

DIE 15 OCTOBRIS ANNI 1616

IN EODEM LOCO SUPRA EXPRESSO.....

119.us TESTIS

Antonia de Avellar, vidua, uxor quondam Antonii Fernandez Carampoleiro, qui saepe fuit oeconomus confraternitatis Matris Dei, quae vivit in hoc Coulano suis bonis et comercio, more indiano.....

Dixit se habere annos 54.....

Juxta 18.um usque ad ultimum, fuit instructa quid esset miraculum; et dixit quod, cum nepos suus ex filio, vocatus Franciscus, in morbum incideret periculosum, ipsa testis vovit [i] aestimationem illius dicto Patri Francisco Xaverio, in cera solvendam, et aliam eleemosynam promisit cruci sancti Alexii, quia

---

[i] fovit *ms.*

dictus puer Franciscus laborabat jam a quinque diebus ventris profluvio et oris vomitu frequenti; et statim dictus puer, factis votis iam relatis, redditus est sanus, et prorsus convaluit.....

### 120.us TESTIS

Antonia de Pina, uxor Antonii Vaz, incola huius arcis, quae vivit ex suis bonis et comercio sui viri, more indiano.....

Dixit esse nominis et cognominis, quibus supra; et dixit habere annos 48 plus minus.....

Juxta XI.um et reliqua alia interrogatoria illi lecta, dixit testis se audivisse a patruo suo, quondam Joanne de Pina, et a quondam Catharina de Pina, senio provecta, qui ambo ipsi testi narrarunt ipsos cognovisse P. Mtrum. Franciscum, et esse hominem sanctum. Et narrabant saepe dicti Joannes et Catharina ipsimet testi et aliis puellis historias et exempla sanctorum, et praecipue dicti P. Mtri. Francisci; et dicebant quod multoties viderunt dictum P. Mtrum. Franciscum, cum faciebat sacrum, quod amplius cubito divinitus elevabatur a terra. Et scit ipsa testis quod dicta Catharina de Pina cognovit dictum P. Mtrum. Franciscum Coccini et etiam Goae.

Scit etiam ex visu, quod multae personae habent devotionem erga dictum Patrem, et habent in magna veneratione medalias dicti P. Mtri. Francisci. Et scit ex auditu Mariae Pintae, uxoris quondam Francisci Correa, quod uxor quondam Francisci Netto da Silva habuit vestem dicti P. Francisci; et quando aegrotabat, dicta veste tangebat se, et repente reddebatur sana.....

### 121.us TESTIS

Antonia Rodriguez, uxor Emanuelis Rodriguez Picapetra, huius arcis incola.....

Dixit se habere annos 46.....

Sed interrogata circa interrogatoria illi lecta, dixit se meminisse tantum quod, cum periclitaretur in quodam partu, sibi posita fuit in collo quaedam medalia, et tunc peperit.....

### 122.us testis

Catharina Fernandes, uxor Thomae de Gouvea, huius arcis incola.....

Dixit testis se habere annos 42.....

Juxta XI.um usque ad ultimum, dixit se scire ex visu et certa scientia quod, cum Antonia Rodrigues, uxor Emanuelis Rodrigues Picapetra, viri malabaris, quae tunc erat coniux quondam Emanuelis Fernandes, viri similiter malabaris, periclitaretur difficultate partus per tres dies, et cum ipsa testis esset praesens, iussit afferri medaliam dicti P. Mtri. Francisci Xaverii, quam ipsa testis habebat domi, et eam dictae Antoniae collo ligavit; et statim illa [j] peperit sine periculo vel malo, quia dicebant illam laborare paralysi. Et hoc fuit habitum pro miraculo a marito illius, et ab ipsamet teste, et ab aliis, qui factum viderunt. Et ipsa testis fuit in baptismo mater spiritualis dicti infantis.....

## DIE 27 OCTOBRIS ANNI 1616

### in ecclesia oppidi rettora, orae travancoris.....

### 123.us testis

Antonius Fernandes Arie Perumanel Arel, loci Rectora, coniugatus, et incola eiusdem, qui vivit ex stipendio sui potangaminatus seu magistratus, et ex suis bonis et comercio.....

Dixit se habere annos 35.....

Et dixit quod scit ex visu et publica voce et fama, quod dictus P. Franciscus Xaverius est in maxima devotione apud omnes, et etiam in magna veneratione apud ethnicos in tota hac ora Travancoris; et haec devotio semper perseveravit usque adhuc.....

Juxta 19.um, dixit testis se scire ex visu quod Isabella Fernandez, sua coniux, et Catharina Lopez, sua soror, cum a 13 annis coniugatae filios non habuissent, admonitae de miraculis, quae patrabat dictus P. Franciscus in ecclesia oppidi Cottatae, iusserunt ire ad eam Joannem, fratrem ipsius testis, ut voveret

---

j statim illa statim *ms.*

ibi quasdam eleemosynas et dies ad visitandam dictam ecclesiam, et ibi peteret deprecationibus suis ut intercederet dictus P. Franciscus apud Deum pro filiis, quos habere desiderabant supra dictae mulieres. Quam rem dictus Joannes peregit, et attulit aliquam terram, susceptam a pede crucis dictae ecclesiae Cottatae, in qua est posita imago dicti P. Francisci in honorem et venerationem illius; et in dicta ecclesia promisit dicto Patri Francisco se impositurum esse nomen illius infantibus qui nascerentur. Et supra dictae mulieres biberunt dictam terram, in aquam infusam, et ambae in eodem mense conceperunt, et habuerunt filios, una marem, alia foeminam, quibus indiderunt nomen Francisci. Quae res fuit ab omnibus habita pro miraculo.

Et insuper, scit ex visu quod foemina quaedam ethnica, natione cegota, interrogavit supra dictas, suam uxorem et suam sororem, quo modo, cum essent steriles, conceperint; et, cum admonita esset de re, petiit ab illis ut sibi darent aliquid ex dicta terra; et cum esset annorum 30, et esset sterilis et infoecunda, accepit dictam terram, et eam aqua mixtam bibit, habens fidem dicto Patri Francisco, et statim concepit, et deinde peperit.....

### 124.ns TESTIS

Ludovicus Fernandez Racadacutti, coniugatus et incola huius Rettora, vivit suis expensis et comercio.....

Juxta primum usque ad decimum, dixit testis esse nominis et cognominis ut supra, et annorum 50.....

Juxta 19.um et reliqua alia, dixit quod, cum intra duodecim annos ipsius testis uxor non habuisset filios, socera ipsius jussit Emanueli Peramacutto, filio suo, ire ad ecclesiam Cottatae, et vovere ibi quandam eleemosynam P. Francisco Xaverio, si filia sua Isabella, ipsius testis uxor, foecunda redderetur. Quam rem fecit dictus Emanuel; et, rediens domum a dicta ecclesia, attulit aliquam terram, captam sub pede crucis dictae ecclesiae, propter magnam fidem, quam habebat in dicto P. Francisco Xaverio; quam, mixtam aqua, dicta Isabella bibit, et statim concepit, et postea peperit. Et quia promisit ducere dictum infantem ad offerendum eum dicti P. Francisci imagini, quae est posita in Cotta-

te, et voto non satisfecit, dictus infans, cum esset trium annorum, in morbum incidit; et cognoscens hunc morbum dicto puero evenisse quia non satisfecerat voto, statim duxit dictum puerum ad offerendum in supra dicta ecclesia, prout voverat; et, nullo alio adhibito remedio, statim bene coepit habere, et breviter convaluit.....

125.us testis

Isabella Lopes, uxor Petri Lopes, patangatini Rettora, quae vivit ex suis bonis et comercio coniugis.....

Dixit se esse annorum 40 plus minus.....

Juxta 19.um et reliqua, dixit quod a sex annis, cum laborasset disenteria seu fluxu sanguinis per tres menses, et medicamenta quae accipiebat non juvarent, vovit se visitaturam per tres dies ecclesiam Cottatae in honorem P. Francisci Xaverii; et, facto voto, statim bene coepit habere et breviter convaluit; et credit se accepisse hanc gratiam propter fidem, qua vovit se dicto P. Francisco.....

126.us testis

Emanuel Crucius Caretalocra Mutal Arel, judex christianorum Rettora, coniugatus et incola eiusdem oppidi; vivit ex munere sui patangatinatus et comercio.....

Dixit testis se esse annorum 40.....

Juxta XI.um usque ad ultimum, dixit quod, cum a septem annis sibi natus esset ex uxore quidam filius pene demortuus, qui nec plorabat nec respirabat, et habebat quoddam tuberculum super capite, ipsi capiti aequale; quod videns ipse testis, dolore maximo affectus, enixe deprecatus est P. Francisci Xaverii opem, et ei vovit duos fanoos auri ad eius ecclesiam Cottatae magna cum fide et fiducia, quam in illo positam habebat; et statim, voto facto, infans respiravit et suxit ubera, et ei indidit nomen dicti P. Francisci, prout antea promiserat; et ad tertium diem, nullo adhibito remedio, tuberculum illud comsumptum et ablatum fuit prorsus; quae res fuit habita pro miraculo.....

DIE 29 OCTOBRIS ANNI 1616

IN HAC ECCLESIA OPPIDI RETTORA.....

127.us TESTIS

Antonius de Moraes, coniugatus, et incola huius oppidi Rettora, qui vivit propriis expensis et comercio, more oppidano; annorum 30.....

Juxta XI.um usque ad ultimum, dixit quod a quinquennio, cum ipse testis esset in pago Peringalano finitimo, vidit multos boves ad laborandum aptos; et inter illos unus, morbo nescio quo correptus, ad terram cecidit, et magnas spumas ab ore fudit, ita ut videretur mori; et cum illius dominus, qui erat ethnicus, gentilicis ceremoniis uteretur, et dictum bovem suis idolis et simulachris commendaret, propter necessitatem quam habebat de dicto bove, dictus bos nulla signa praebuit intra duos dies sanitatis recuperandae. Ipse vero testis iussit tunc domino bovis illum commendare P. Mtro. Francisco Xaverio, quia ille redditurus erat sanum illum bovem; quod fecit dictus vir ethnicus, et vovit quinque fanoos ecclesiae dicti P. Francisci oppidi de Cottate, et rogavit etiam ipsummet testem ut vellet implorare dicti P. Francisci auxilium et opem. Et statim dictus bos surrexit, redditusque est sanus, et incoepit pasci; ob quod miraculum omnes ethnici, qui praesentes aderant, maxime obstupuerunt, et laetitiam ex hoc habuerunt. Et, transacto mense, ipse testis, cum rediret in illum locum, interrogavit vtrum satisfecerit voto facto. Responderunt se non satisfecisse dicto voto, quia mortuus est dictus bos, quando dictus vir ethnicus erat paratus ad implendum votum. Ideoque ipse testis cognovit quod dictus bos, qui iam erat redditus sanus et laborabat sicut alii, mortuus fuit, quia illius dominus votum non adimplevit.....

DIE 5 NOVEMBRIS ANNI 1616

IN HAC ECCLESIA OPPIDI COTTATAE.....

128.us TESTIS

Franciscus Peremal Panical, natus, coniugatus et incola huius oppidi Cottatae, qui vivit suis expensis et comercio, more oppidano.....

Juxta primum usque ad X.um, testis dixit se esse nominis et cognominis ut supra; et habere annos 73 et ultra; et decem abhinc annis, iam adultum, fuisse baptizatum.....

Juxta XI.um usque ad ultimum, dixit quod fuit conversus et baptizatus a P. Andrea Buserio, quia meritis et intercessione P. Mtri. Francisci fuit mundatus a lepra, qua erat plenus; et, ab illo monitus inter somnia, adivit ecclesiam, et se unxit oleo lampadis illius, et statim fuit mundatus a lepra; et propter hoc miraculum se convertit; et exinde ad duos menses fuit baptizatus a P. Andrea Buserio, qui ipsum testem instituit sacristam huius ecclesiae, ut sibi promiserat.

Et dixit testis quod, cum aliquando magno dolore ventris esset oppressus, conquestus est cum dicto P. Mtro. Francisco Xaverio, quod permitteret se habere illum dolorem ita vehementem, cum tamen ei inserviret in sua ecclesia; et in eadem hora, qua fuit conquestus cum dicto Patre, statim cessavit dolor, et nunquam amplius illo laboravit.

Insuper, cum mus quidam pergrandis conopeum altaris dicti P. Francisci Xaverii rosisset tribus in locis, frustula illa corrosa et pendula manserunt. Quod videns ipse testis conquestus fuit cum dicto P. Francisco: dicunt te discessisse a vita apud Sinas; et quia fuisti sanctus, tuum corpus est Goae integrum et incorruptum; et ego sacristanus tuae ecclesiae: non convenit tui nominis famae, quod quidam mus corrodat conopeum tui altaris, ideoque debes mihi ostendere hunc murem mortuum. Et sequenti mane ipse testis, petens ecclesiam et accipiens aquam benedictam, vidit murem magnum, instar felis, in pila mortuum, quem ipse testis ostendit ethnicis et christianis, narrando eis factum, quo omnes obstupuerunt.

Insuper, cum esset sacrista, et ethnici illi obiicerent quod in suis templis ardebat aqua loco olei, voluit ipse testis hoc experiri in ecclesia dicti P. Francisci Xaverii, ut cognosceretur a gentilibus eius sanctitas. Et bis seu tertio assumpsit lampades novas, et implens eas aqua benedicta, stupinos in eis positos accendit; et exarserunt, quousque aqua fuit consumpta, ac si esset oleum. Quam rem voluit experiri ipse testis, quia ethnici illum irridebant quod se converterit ad fidem Christi et baptizatus fuit; et dicebant quod, cum ipse esset poëta, et bene instructus de rebus ac legibus ethnicorum, quidnam boni repererit in lege christianorum. Quibus ipse testis respondit, quod nostra lex christiana non erat ficta et falsa, ut erant illorum idola; quia, quando ipse testis erat ethnicus, sibi dicebant quod idolorum templis ardebat aqua, loco olei, et compererat hoc esse falsum: verum in ecclesia P. Mtri. Francisci ipse ostensurus erat hoc miraculum. Quamobrem ipse testis fecit hanc experientiam in praesentia multorum ethnicorum, qui viderunt hoc factum, et maxime fuerunt admirati, et illud narrarunt omnibus. Et per idem tempus quidam parava oppidi Manapar, cuius nominis non recordatur, audiens famam huius miraculi et nolens de hoc credere ipsi testi, dictus parava assumpsit 15 lampades novas, et, aqua benedicta plenas, et positis novis stupinis, omnes eas accendit, quae omnes arserunt quousque aqua fuit consumpta. Super quo miraculo ipse testis composuit cantiones, quas cecinit, et eas audiverunt et sciunt, tum christiani, tum ethnici, usque ad praesentem diem.

Dixit amplius ipse testis, quod tempore, quo ipse testis habebat curam dictae ecclesiae, videns noctu lumen lampadis dicti P. Francisci esse extinctum, et volens illam accendere, vidit multoties repente redire lumen ex se, et ardere ita usque ad crastinam lucem. Et hoc idem ipsi testi narrarunt saepe multi juvenes, qui dormierunt in dicta ecclesia, et viderunt palam dictum miraculum.

Item, dixit ipse testis, quod scire poterant de uxore Thomae de Moraes, promontorii Commorini, quae peperit per merita et intercessionem dicti P. Francisci, cum antea esset sterilis et infoecunda, quia dicta mulier se unxit oleo lampadis dicti P. Fran-

cisci, quando venit ad visitandum hanc ecclesiam, ut assequeretur filium, cum ipse testis esset sacristanus.

Insuper, dixit ipse testis quod multae personae tunc temporis veniebant ad dictam ecclesiam, etiam ethnici, et ipsi testi narrabant multa miracula et facta miraculosa, quae dictus P. Franciscus operabatur in illis. Et scit ipse testis, ex visu et certa scientia, quod octo ecclesiae, quae fuerunt aedificatae in interioribus locis dictae orae Travancoris, omnes fuerunt labefactatae et extinctae prorsus, et haec tantum perseverat nomine dicti P. Mtri. Francisci, et est insignis peregrinationibus, et votis ac donariis, quibus illum venerantur omnes.....

### 129.us testis

Emanuel Gago Belandem, parava, coniugatus et incola huius Cottatae, cuius est modo sacrista; vivit ex suo munere et bonis.....

Dixit se habere annos 74 et ultra.....

Juxta X.um usque ad 16.um, testis dixit se cognovisse, dum esset puer, P. Mtrum. Franciscum; et scit quod ille aedificavit ecclesias, quae sunt in locis promontorii Commorini. Et Emanuel Mutanus, canacopula, et Antonius Henriques, canacopula seu vicarius tradendae doctrinae, incola Mutani, et alius canacopula oppidi Perumanel, homines senio provecti et magna fide digni, qui erant comites dicti P. Mtri. Francisci tradendae doctrinae, ipsi testi narrarunt quod viderunt dictum Patrem aedificare has ecclesias et facere multa miracula.

Insuper, testis scit ex visu quod, posteaquam labefactata fuit et corruit ecclesia Perumanel, cum populus illam vellet facere minorem, dixit, prout ipse testis ab eo tunc audivit, Pater Emanuel de Almeida, Societatis Jesu, vicarius eiusdem promontorii Commorini: hanc ecclesiam, quam P. Franciscus aedificavit, non minorem facturi sumus, sed maiorem.

Item, scit ex visu, quod in hac ora magna devotio erga dictum P. Mtrum. Franciscum viget; et quod, posteaquam posita fuit eius imago in hac ecclesia Cottatae, quia est magna fama multorum miraculorum, quae ibi per merita dicti P. Francisci patran-

tur, hac de causa populus universus huius orae in suis [a]erumnis et necessitatibus maxime se dicto Patri Francisco commendant, et nullum alium Sanctum habent in tanta devotione.....

Juxta 19.um et reliqua alia, dixit testis se audivisse ab Andrea, filio judicis huius Cottatae, quod ille vidit semel lampadem dicti P. Francisci, quae est posita in dicta ecclesia, quod ardebat aqua benedicta ac si oleum haberet.

Ita etiam audivit ipse testis multoties a personis, quae factum viderunt, quod crux dicti P. Francisci, quae est in dicta ecclesia, sanguine sudavit propter mulierem quamdam, quae ibi fuit sepulta in dicta ecclesia, sine confessione mortuam.

Item, scit ipse testis ex visu, quia facto adfuit, quod dictus P. Mter. Franciscus, dum esset in loco Mutani, promontorii Comorini, suscitavit puerum quendam mortuum, qui pestilenti febre fuit correptus, et jam, veste funerali indutus, sepulchro erat tradendus magno luctu parentum. Quem tunc temporis videns Xaverius, cum illum sepulchro tradere volebant, miseratus parentum orbitatem, tollens ad coelum oculos, ibi prope mortuum genibus flexis oravit Deum pro vita defuncti; et, signans corpus illius cruce, aqua benedicta iniecta, nomine Jesu vivere jussit; et, rescissa funebri veste, statim dictum puerum ad vitam revocavit, et surrexit vivus; quae res ab omnibus qui aderant fuit habita pro magno miraculo, et ipse testis eam habet pro tali.

Vidit insuper ipse testis, cum esset in hac ecclesia Cottatae, virum quemdam, nomine Stephanum Concem, natione caream, graviter afflictatum morbo, quia illum duxerunt ad dictam ecclesiam iam morti proximum, et in illa fuit per duos dies; et, statim ac venit, bene incoepit habere et aliquid cibi capere, quem ante fastidiebat, et ad sex dies redditus fuit sanus prorsus, et liberatus febribus. Et quidam comes dicti Stephani, cum esset domi vexatus daemone, clamores faciebat magnos, et a supra dicto Stephano, qui ibi aeger erat, postulabat sacrificia gallorum more gentilico; et statim atque dictus Stephanus, aeger, fuit ductus in ecclesiam, socius daemone vexatus cessavit a furore, et ab spiritu illo diaboli fuit liberatus per merita dicti P. Francisci Xaverii. Et dictus Stephanus, cum redditus fuit sanus, obtulit dictae

ecclesiae P. Francisci Xaverii unum fanoum olei pro gratia et sanitate, a Sancto sibi data. Et declaravit ipse testis, quod dictus Stephanus recuperavit salutem nullo adhibito remedio humano, sed solum meritis dicti P. Francisci.

Item, dixit ipse testis ut scirent ex Andrea Vaz Puduaddiara huius Cottatae de quodam miraculo, quod Deus operatus est in socera illius, meritis et intercessione dicti P. Francisci; quod, cum dicta mulier esset in vitae periculo, ita ut non posset iam loqui, propter difficilem partum trium dierum, quia habebat infantem mortuum et caput illius iam videbatur, eius gener eam vovit dicto Patri Francisco; et ipse testis dictae mulieri dedit aquam benedictam ad bibendum, quam illa bibens, statim loquuta est, et meritis P. Francisci peperit filium mortuum, sine periculo. Quae omnia ipse testis vidit cum dicto Andrea Vaz.

Et dixit amplius ipse testis, quod abhinc sex annis est sacrista huius ecclesiae, et quotidie veniunt ad eam christiani et ethnici ad offerendum oleum et eleemosynas, et ipsi testi narrant: Pater Mter. Franciscus Xaverius mihi fecit tale miraculum; alius: mihi tale; et alius: mihi tale; et sunt infinita. Et omnes affirmant, praecipue ethnici, quod non est ecclesia huic similis, nec alius Sanctus huic similis. Et etiam ethnici, quando transeunt prope dictam ecclesiam, erga illam faciunt reverentiam.....

DIE DECIMA NOVEMBRIS 1616

IN HAC ECCLESIA OPPIDI MANACORI.....

130.us TESTIS

Joannes Anddicondam, natione parava, coniugatus, et incola in promontorio Comorini, qui vivit ex suis bonis et arte piscatoria margaritarum.....

Dixit se habere annos 70 et ultra.....

21. Al veynte y vno dixo que no saue de los milagros, y se remite á su historia.

22. Al veynte y dos interrogatorio dixo que se remite á todo lo sobre dicho.

ARTÍCULOS

1. Luego incontinenti, preguntado por el primer artículo del dicho rótulo, dixo, remitiéndose á lo dicho y depuesto de la par-

---

[s] connido ms.

te de arriba, [*que*] sabe que el dicho castillo de Xauier está sito en las faldas de los montes Pirineos, reyno y obispado sobre dicho, y siete leguas de Pamplona, porque lo a handado muchas vezes; y que es cassa y familia, como tiene depuesto, de los Xauieres deste reyno de Nauarra; y que de sus padres y agüelos saue poco más de que todos son gente prinçipal, y caballeros y fieles y cathólicos xpianos.; y que no saue otra cossa; y esto responde teniendo lo sobre dicho voz común y fama pública.

2. Al segundo artículo dixo que se remitía á lo que tiene depuesto; y esto responde.

3. Al terçer artículo dixo que se remite, en lo de la carta də la hermana, monja de Gandía, del P. Francisco Xauier, á lo que tiene arriba depuesto, en poder de quien la vió, y que la leyó este testigo, y la tubo en sus manos vna vez en el mismo castillo de Xauier, y se le restituyó al dicho Padre prior Ozta. Que después acá no saue qué se a hecho la dicha carta, y no saue otra cossa; y esto responde.

61. Al artículo sesenta y vno dixo que todo lo que dicho tiene como lo tiene espeçificado, y lo a leydo y oydo y entendido, ha sido y es voz y fama pública, común opinión y reputaçión, sin hauer jamás sauido, oydo ni entendido lo contrario; y en esta su deposición, hauiéndosele leydo, se afirmó, ratificó y firmó en presençia de sus Illmas. pro tribunali sedentes, y firmaron; de que doy ffee yo, el dicho notario y secretario, que también firmé.

*Así lo e dicho yo,*

Don Fermin Cruzat y Sabalza.

F. P. obispo de Pamplona. T. obispo de Jacca.

Ante mí,

Alonso del Maço, *notario.*

## 41

BREVE BEATIFICATIONIS

## P. FRANCISCI XAVERII

25 OCTOBRIS 1619 [1].

## PAVLVS PAPA QUINTVS

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

In sede principis apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, a Domino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in seruis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis.

Sane pro parte dilectorum filiorum praepositi generalis, ac presbyterorum Societatis Iesu, nobis nuper expositum fuit, quod bon. mem. Franciscus Xauerius eiusdem Societatis dum vixit presbyter, multis et eximiis virtutum, gratiarum et miraculorum donis a Domino illustratus fuit. Quapropter praepositus et presbyteri praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt vt, donec canonizationis honorem [2], quem dicto Francisco Xauerio ob eius excellentia merita aliquando diuina aspirante gratia habitum iri sperant, ab apostolica sede impetrent, idem Franciscus Xauerius beatus vocari, ac de eodem officium et missa, vt infra, recitari et celebrari respectiue possit.

Quare nos, re prius per venerabiles fratres nostros sanctae romanae ecclesiae cardinales sacris ritibus praepositos, quibus eam examinandam mandauimus, mature discussa, de eorumdem cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati, vt ipse bon. mem. Franciscus Xauerius in posterum beatus nuncupari, atque de eo die secunda Decembris, qua obdormiuit in Do-

---

[1] Ex manuscriptis S. J.

[2] Nimirum, erat dudum in votis sodalibus universis, ut clarissimus carissimusque Xaverius, una cum excelso Ignatio parens Societatis, una etiam cum eo, et quam primum, honore caelitum cumularetur. Ita apparet in decreto 71 Congr. Gener. V (habitae 3 Nov. 1593-18 Jan. 1594), et in decreto 3 Congr. Gener. VI (21 Febr.-29 Mart. 1608).

mino, ab omnibus religiosis dictae Societatis vbique terrarum existentibus in eorum ecclesiis, necnon in omnibus regnis Indiae orientalis, in quibus per vndecim continuos annos christianam religionem disseminauit, ac longe lateque propagauit. Item et in oppido Xauier nuncupato, pampilonensis dioecesis, unde ipse Franciscus Xauerius oriundus esse asseritur, ab omnibus vtriusque sexus regularibus, ac etiam presbyteris et clericis saecularibus iuxta rubricas breuiarii et missalis romani de communi confess. non pontif. officium recitari et missa celebrari respectiue libere et licite valeat, apostolica au[c]toritate, tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus [5]. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod praesentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die vigesima quinta Octobris, millesimo sexcentesimo decimonono, pontificatus nostri anno decimoquinto.

S. Cardinalis S. Susannae.

L. ✠ S.

Antonius Columna,

Curiae causarum camerae apostolicae notarius.

Concuerda con el transumpto de las letras originales, firmado de Antonio Columna, notario de la curia de las causas apostólicas de Roma.

M. Ant.[s] Basilius, Abb.

L. ✠ S.

---

[5] Hanc concessionem ad omnes ecclesias locorum, in quibus sunt domus S. J. extendit Gregorius XV, 25 Octobris 1621.

## 42

## EPISTOLA ADMODUM REVERENDI PATRIS MUTII VITELLESCHI PRAEP. GEN. SOC. JES.

26 OCTOBRIS 1619 [1].

*Beatificationem Patris Francisci Xaverii eidem Societati gratulabundus nunciat.*

Placuit diuinae bonitati, singulari munere miniman uisitare Societatem suam, ac novum ei solatium ac decus, nouum praesidium atque ad omnem perfectionem calcar adiungere. Sanctissimus D. Paulus V, Octobris die 25, post solemnem cognitionem, quae summa cum approbatione et honorificentissimis iudiciis, tum dominorum Rotae auditorum, tum illustrissimorum cardinalium ex congregatione Rituum, rite i[n]stituta et confecta est, in B. Patris Xauerii honorem, missarum solemnia et diuinorum officiorum per totam Societatan concessit; et externos quoque in cuncta orientali India et in castello Xauerio eius beneficii participes fecit [2].

Missam interim delegimus primam de Comm. Conf. non Pontif., quae incipit *Os justi.*

Ceterum, quia beatus hic Pater noster, praeter heroicam sanctitatem et spiritum, et opera plane apostolica, quae uberrimus ubique fructus animarum, tamquam frequentia et illustria miracula sequebantur, e primorum decem Patrum numero fuit» et Societatem ipsam, non solum in tanta terrarum orbis parte fundauit, sed etiam mirum in modum uniuersam nobilitauit et auxit exemplis, litteris, et gloria nominis sui, uisum est, magno cum assensu Patrum assistentium, peculiarem ei uenerationem a Societate deberi, atque adeo, non officium modo duplex, sed etiam cum octaua celebrandum.

---

[1] Es apographo, in codice *Epist. Communes (1565-1567)*, pags. 654-655, prius fol. 212, et etiam 108. Exstat exemplum in bibliotheca Patrum Bolland., differentiis nonnullis, sed iis parvi ponderis.

[2] Vid. n. 41.

Vna cum his litteris diploma pontificium perferetur. Erit curae V. Rtiae. ut cum omnibus prouinciae suae domiciliis quam celerrime communicetur, ne quod huius consolationis et auxilii per temporis breuitatem fiat expers.

Omnes praeterea admonebit, ut in sanctis hisce primitiis, in quibus praecipuam indulgentiam a Deo per dilectum eius sperare par est, praesentes totius Ecclesiae necessitates, itemque Societatis nostrae ei commendare meminerint, et singulari studio conseruationem atque propagationem christianae fidei in India, Molucis, Japonia, Sinarum regno, ubi vir Dei tot laboribus ut eam fundaret et proueheret, insudauit.

Meminerint etiam fideli gratoque animo Bmi. Patris Pauli V, qui singulari clementia ac praeclara cum existimatione meritorum beati, suscepit hanc causam ac studiose transegit.

Postremo, aequum est nouum omnes concipiamus ardorem ad nostram perfectionem et proximorum sedulo curandam, ut spiritui talium Patrum, quoad eius fieri potest, respondeamus, memores in cunctis actionibus nostris, quoniam filii sanctorum sumus; et, ut ait S. Leo, ipso maiorum suorum lumine soboles indigna confunditur.

*Titulus.* De B. Xauerio. 26 Septembris [a] 1619.

*In altero exemplo.* Litterae Rdi. Admod. P. N. Mutii Vitellesci, generalis, quibus vniuersae Societati significat beatificationem B. Francisci Xauerii.

*Et ad illius calcem.* Romae 26 Octobris 1619. Subsignatum erat: Mutius Vitellescus. = Concordat cum suo originali, quod attestor. Jacobus Wynsius, superior.

---

[a] *Evidens mendum: lege* Octobris, *ut infra; et cfr. breve supra positum.*

## 43

## EPISTOLAE SEX

### EJUSDEM P. MUTII VITELLESCHI

ROMA 18 MAJI 1620 [1].

*Ad primates regni Navarrae; secundo ad proregem ejus; tum ad civitatem pampilonensem; deinde ad capitulum ecclesiae cathedralis: postea ad vicecomitem de Zolina, cognatum Xaverii; tandem, ad Patrem Petrum Maldonatum: quibus praeter alia benivolentiae signa, favorem in petitione juris recitandi officii divini in honorem B. Xaverii, atque ipsius reliquias sacras nonnullas pollicetur.*

Al Reyno de Navarra, sus Diputados y Síndicos q. N. S. guarde, etc. (18 de Mayo 1620).

Bastantísimo título es para mí ser sabedor del gusto de V. S. Ilma. para haberme de emplear en su seruicio; y añadiéndose lo mucho que interesa la Compañía en lo que V. S. Ilma. me hizo merced de escribirme en la de 23 de Enero que pocos días ha llegó á mis manos por las de su agente, le ofrecí que en lo del rezo del B. P. Francisco Xavier, haría de mi parte las diligencias necesarias para conseguir el deseado efecto. Hiciéronse, mas como el estilo de las cosas de la corte tienen sus términos, juzgaron los Illmos. Sres. cardenales de la congregación de los sacros ritos alargar algo más la concesión, la cual confío se alcanzará como desea V. S. Ilma. [2]. A quien yo sirviera con la reliquia que pide del beato para la capilla del Sr. visconde de Çolina su sobrino, si la tuviera; pero escribo de ello á Portugal, y si la hubiere, se le enviará sin falta como manda V. S. Ilma., á quien el Sr. prospere en todo, como sus siervos le quedamos suplicando. Roma, &.

---

Al Illmo. y Exmo. Sr. el Sr. de los Cameros, conde de Aguilar, Virrey y Cap.ⁿ Gral. por su Mag.ᵈ en el reyno de Navarra, etc., mi Sr. en X.° (18 de Mayo 1620).

Con particular gusto mío acudí al que entendí ser de V. Ex.ª

[1] Ex regestis S. J.

[2] Vid. n. 41, annot. 3. Et idem intellige dictum in seqq. epist.

en lo del rezo del B. P.e Francisco Xavier, significándome con su carta de 25 de Enero que poco ha he recibido; y aunque no se ha podido, por ahora, conseguir por tener las cosas desta curia sus términos; confío que se saldrá con ello, y quedará V. Ex.a satisfecho, y la Compañía muy agradecida á las veras con que V. Ex.a le hace siempre merced. Yo la recibiera en servirla con la reliquia del beato que pide para la capilla que en su nombre va labrando el Sr. visconde de Çolina su sobrino; pero certifico á V. Ex.a que no la tengo, y así aviso de ello á Portugal para que, habiéndola, se acuda al gusto y servicio de V. Ex.a á quien guarde N. S. muchos años, &.

---

A la ciudad de Pamplona, cabeza del reyno de Navarra, que N. Sr. guarde (18 de Mayo de 1620).

Estimara yo mucho poder satisfacer á la petición de V. S. Ilma., por lo que deseo servirle, y por ser tan favorable á ese nuestro colegio de la Compañía, enriqueciéndole con la insigne reliqua del B. P. Francisco Xavier que V. S. Ilma. para él pide en una de 24 de Enero que poco ha se me dió; pero no teniéndola (como no la tengo) suplico á V. S. Ilma. que se satisfaga de mi voluntad, y se asegure que habiéndola en Portugal, á donde tengo escrito deste particular, se hará cuanto manda V. S. Ilma.; á quien guarde y acreciente la divina Mag.d como puede y sus siervos le quedamos suplicando. Roma, &.

---

Al deán y cabildo de la Sta. iglesia de Pamplona, que N. S. guarde, etc. (18 de Mayo 1620).

Por mano del doctor Dn. Miguel Cruzat recibí estos días la de V. S. Ilma. escrita en 23 de Enero, y habiéndome informado de la pretensión tocante al rezo del B. P. Franc.o Xavier en esa Sta. iglesia, hice lo posible para salir con ello por mandarlo V. S. Ilma., y por lo mucho que en ello interesa la Compañía; pero no se ha podido por ahora, por seguirse en esta curia los términos y estilo que en semejantes negocios se suelen usar; con todo eso espero que se conseguirá presto á satisfacción de V. S Ilma., á quien holgara yo mucho poderla dar en lo de la

reliquia del beato para ese colegio; mas no la tengo, cierto; si en Portugal la huviere (á donde ya he escrito) procuraré acudir al muy cristiano y piadoso deseo de V. S. Ilma.; á quien guarde y acreciente la divina magestad como sus siervos se lo quedamos suplicando. Roma, &.

---

Al vizconde de Çolina, que N. Sr. guarde, etc. Pamplona. (18 de Mayo 1620).

Al B. P. Fran.co Xavier tiene nuestra mínima Compañía las obligaciones debidas, como á uno de los más principales y primeros compañeros de su beato fundador; tiénelas también su casa [a] por haberle dado un varón tan insigne; y finalmente ella y todos sus hijos nos reconocemos por muy siervos de V. S. como á cabeza de la casa Xavier; y á la par de eso, recibiremos muy particular merced siempre que se ofreciere la ocasión de servir á V. S., á quien holgara yo grandemente poder enviar la reliquia del beato, que pide para la capilla que manda labrar dedicada á él; pero cierto, señor, que no la tengo: á Portugal escribo de ese particular; y en caso que la haya, serviré con lo que se pudiere á V. S., cuya persona guarde N. Sr. muchos años con el acrecentamiento de los celestiales dones que sus siervos le quedamos suplicando. Roma, &.

---

Al P. Pedro Maldonado, Rect. de Pamplona (18 Mayo 1620).

Las cartas referidas en la de V. R. de 24 de enero se han recibido poco ha, y con este ordinario se responde á todas ellas. Lo del rezo del B. Francisco Xavier en ese reyno no se ha podido recabar, por ahora; pero el tiempo lo allanará con el favor del Sr.

Quisiera poder consolar á V. R. y á todo ese colegio con la reliquia que del B. pide; mas cierto que no la tengo, y el brazo está engastado de suerte en el bulto [*sic*] de plata, que no hay remedio sacar nada; si se pudiera haber algo de Portugal (en caso que allá la haya) procuraré que no carezca ese colegio de cosa tan deseada de sus moradores. En los SS. SS. &.

---

[a] *Sic ms.; forsan diceret archetypus* á su casa.

## 44

## FRANCISCI MARIAE CARDINALIS A MONTE

RELATIO FACTA IN CONSISTORIO SECRETO
CORAM GREGORIO PAPA XV

19 JANUARII 1622 [1].

## 45

ACTA IN CONSISTORIO SEMIPUBLICO

## GREGORIO XV PONTIFICE SUPREMO

QUOD AD CANONIZATIONEM

## SANCTI FRANCISCI XAVERII

16 FEBRUARII 1622 [1].

### A.—SUMMI PONTIFICIS ALLOCUTIO PRIOR

Beati Francisci Xauerii uirtus tanta fuit in aggregandis Deo nationibus, ut quod Isaiae dictum est, merito in illum transferre possimus *(Isaiae, 49):* «Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae». Xauerius enim tam longe lateque euangelii lucem protulit inter gentes, ut usque ad extremum terrae, in Japoniam ipsam, ultimam orientis oram, romanae fidei nomen inuexerit. Cum igitur in hunc admirabilem uirum, uere Indiarum apostolum, et uitae sanctitas et claritudo miraculorum, et populorum uota concurrant, illum inter sanctos referre consilium est.

Vos interea, fratres charissimi, sententiam uestram nobis aperite.

---

[1] Haec «relatio» typis edita est: exemplar vidimus Matriti in Bibliotheca Nationali sect. Mss., adjunctum volumini quod signatur. «Ee, 28», signatura vero recentiori «9716», et quod continet acta canonizationes S. Ignatii, unde illud describemus in *Monum. Ignat.*, ser. IV. Titulus autem nostri documenti hic est: *Relatio facta in consistorio secreto coram S. D. N. Gregorio Papa XV, a Francisco Maria Episcopo Portuensi, S. R. E. Card. a Monte, die 19 Januarii M. DC. XXII, super vita, sanctitate, actis canonizationis et miraculis B. Francisci Xavier, e Societate* IESV.

[1] Ex apographis coaevis, in manuscriptis Societatis.

*In margine.* Papae Gregorii XV.—Consistorio.
*Inscriptio.* De beato Francisco Xauerio [a].

## B.—SUFFRAGIA CARDINALIUM

### I. CARDINALIS A MONTE [2]

Franciscus Xauerius, tot virtutum meritis, totque miraculorum splendore coruscat, ut si recensere singula aggrederer, locum aliis dicendi nullum relinquerem. Liceat mihi id solum in medium afferre, hunc, ex praecipuis eius virtutibus admirandisque rebus gestis quae in mea relatione [3] explicatae, et apud Rotae auditores et sacram Rituum congregationem comprobatae fuerunt, ueri Indiarum apostoli nomen et facta apud omnes gentes sortitum fuisse, proptereaque maxime dignum esse ut in sanctorum numerum per sanctitatem vestram cooptetur.

*A tergo.* Monti.

### II. CARDINALIS PERETTI [4]

Si hominum meritis par ratio tribuenda est, nihil sane tam conuenit, quam decernere ut Xauerii nomen, sanctum apud omnes gentes habeatur; ille enim Christi nomen in ultimas ac remotissimas solis orientis regiones, summis cum vitae periculis intulit.

### III. CARDINALIS BANDINI [5]

Indiarum ac noui orbis acquisitione, antiquitati incognita et posteritati semper inuidenda, magnum saeculo nostro decus at-

---

[a] *Quae inscriptio, vel parilis alia, postea saepe repetita, omittenda visa est.*

---

[2] Franciscus M. de Monte, tunc episcopus portuensis, ut constat in docum. n. 44; *postea* ostiensis (Corrige Ciaconium-Oldoinum, IV, 194: nam bullam canonizationis S. Ignatii, 6 Augusti 1623, De Monte signavit «episcopus portuen.»; Ostiam non apparet translatus nisi 13 Octobris 1623).

[3] Cf. dictum n. 44.

[4] Alexander (an Andreas ?) Perettus. Est ratio dubitandi, quia ejusdem temporis uterque. Cfr. annot. 24. Porro nomina cardinalium desumimus ex Ciaconio-Oldoino.

[5] Octavius Bandinus.

que ornamentum accessit, tot populorum ac regnorum dato incremento. Sed, beatissime Pater, quid hoc profuisset, nisi Franciscus Xauerius, diuino impulsus numine, in uastissimas illas regiones descendisset, nisi ille efferatas gentes inibi ad humanitatem et christianam charitatem traduxisset, nisi miraculis innumeris ac apostolicis documentis dura illorum hominum corda ad ueram fidem flexisset [?]. Haberemus certe infinitum populi numerum, non solum idolorum cultorem, sed nobis hostem, Ecclesiae sanctae infestum ac Deo optimo maximo rebellem, quem modo amicum, socium, ac in religione unanimem habemus. Tantum Francisci opus, inter alia, facit, B. P., ut nemo sit, qui illum apud Deum inter beatos triumphare [b], et apud nos sanctorum cultum mereri, ut sanctitas vestra cogitat, iure optimo non existimet.

*A tergo.* Illustrissimi domini cardinalis Bandini.

## IV. cardinalis ginnasii [6]

Inoffenso currat pede Franciscus Xauerius, uerus Dei apostolus nuncupatus; infirmos sanabat, mortuos, uirtute Dei, ad uitam reuocabat, linguis loquebatur uariis, ita ut unusquisque lingua sua illum loquentem audiret, intelligeret, perciperet. Haec enim apostolica sunt; et uestra [c] apostolica authoritate ut inter sanctos Dei reputetur censeo atque judico.

*Inscriptio.* Vota Illmi. et Rmi. D. cardinalis Ginnasii.

*A tergo.* Del signor cardinale Ginnasio.

## V. cardinalis millini [d 7]

Beatissime Pater.

Beatus Franciscus Xauerius, Christi miles indefessus, et, ut sanctitas vestra dixit, illustris Indiarum apostolus, extitit amore in Deum et proximum exestuans, nulla non adiit pro catholica

---

[b] triunfare *ms.* —[c] nostra *ms.*: *lapsus videtur manifestus.* —[d] Mellini *ms.*

---

[6] Dominicus Ginnasius.

[7] Joannes García Millinus.

fide pericula, nullis pro animarum salute pepercit laboribus, nihil ei fuit difficile, nihil inuium, nihil intentatum quod Dei gloriam uel sanctam proximi saperet institutionem. Tanta denique clarum hoc Ecclesiae lumen vitae sanctimonia claruit, tot et tantis miraculis effulsit, ut communi Ecclesiae bono et exemplo, sanctorum catalogo absque ulla haesitatione a sanctitate uestra adscribendum esse censeam.

### VI. CARDINALIS MADRUTII [8]

Aequum est ut eximia charitas beati Xauerii, diu miraculis primi et secundi gradus illustrata in Indiis, ob quam nomen apostoli merito fuit consequutus, hodie in alma Urbe solemni canonizatione decoretur.

*A tergo.* Vota Ill.[mi] domini cardinalis Madrutii, tridentini, in canonizatione SS. Ignatii et Francisci Xauerii.

### VII. CARDINALIS LANTIS [9]

Pater beatissime: Tanta est rerum gestarum copia, quibus beatus Franciscus Xauerius apud indos, sinas atque japonios inclaruit, et quibus, cum huius palatii apostolici auditores, tum sacrorum Rituum congregatio post diuturnam consultationem suum calculum apposuit, ut iam pridem huc exterorum uota hominum peruenerint, ipsum in sanctorum classem referri postulantium. Enimuero Paulus V plenos ei beatorum honores conferre studuit [10]; sed tibi certo Dei consilio res tanta, Pater sancte, reseruata est, ut quae Societas Gregorium XIII amplificatorem terreni census habuit, coelestem a decimoquinto consequeretur.

### VIII. CARDINALIS BORGIAE [11]

Franciscus Xauerius, Ignatii filius, atque optimo suo parenti in virtutum praestantia ac laboribus pro Dei gloria ac fidei propagatione susceptis quam simillimus, dignus est ut ei cuius vestigiis felicissime institit, in honorum gradibus associetur.

---

[8] Carolus Madrutius, episc. trident., unde mox vocatur tridentinus.
[9] Marcellus Lantes. [10] Vide n. 41.
[11] Gaspar Borgia, S. Francisci Borgiae pronepos.

*Inscriptio.* Vota Illmi. ac Revmi. domini mei domini Gasparis de Borgia et Velazco, titulo sanctissimae Crucis in Hyerusalem, presbyteri cardinalis, in canonizatione sanctorum Ignatii a Loyola fundatoris Societatis Jesu, et Francisci Jauier, eiusdem Societatis, apostolici athletae, coram sanctissimo D. D. nostro Gregorio XV, ex redundantia cordis, magis quam praemeditatione prolata.

*Additio in fine voti.* De mandato Illmi. domini mei, D. Petri Ponce de León, magistri camerae.

*A tergo.* C.lis Borgiae.

### IX. cardinalis ubaldini [12]

In beati Francisci Xauerii rebus gestis primaeuam agnoscimus nascentis Ecclesiae sanctitatem: apostolicum plane uirum, imo apostolum nobis ostendunt gesta, uirtutes, miracula. Profecto, beatissime Pater, ab hac sancta sede nulli iustius sanctorum honores decerni possunt, quam illi qui eiusdem sedis fidem et auctoritatem ad extremos usque terrarum fines, uerbo docuit et firmauit exemplo.

*A tergo.* Card.is Ubaldini

### X. cardinalis sabelli [13]

Beato Xauerio, christianae fidei propugnatori ac propagatori, qui coelesti ardore incensus uastas oceani undas dimensus est, nouoque nascentis euangelii sole Orientem ipsum illustrauit, cui apostolatum obeunti ad eumdem oceanum et muta ipsa animantia, tacito diuini numinis imperio ducta, inauditum praestitere famulatum, huic, ut humanum quoque genus, apostolica edicente uoce, cultum deferat apostolico uiro debitum, religioni, pietati, iustitiaeque maxime consentaneum censeo &.

*A tergo.* Voto del Illmo. e Revmo. Sig. Card. Sauello, per la canonizatione del beato Xauerio.

### XI. card. bentivoli [14]

Beatissime Pater:

Quod beatus Franciscus Xauerius apostolice vixerit, aposto-

[12] Robertus Ubaldinus.

[13] Julius Sabellus.

[14] Guido Bentivolus.

lice obierit, et miracula apostolo plane digna patrauerit, ex iis quae de illius uita, morte et miraculis narrata fuerunt apertissime constat. Itaque gratulandum arbitror vestrae beatitudini, quod tam sanctum uirum inter sanctos collocare pontificatus sui tempore sibi contigerit.

*A tergo.* Bentiuoglio.

XII. CARDINALIS SFORTIAE [15]

Franciscum Xauerium Indiarum apostolum iamdiu sanctorum honoribus destinatum, dignissimum iudico qui in sanctorum numerum inferatur &.

*A tergo.* Cardinalis Sfortiae.

XIII. CARDINALIS BARBERINI [16]

Tenebris idololatriae fugatis, beatus Franciscus Xauerius ab occidente in orientem lumen inferens euangelii, non minus longinquis peregrinationibus quam laudibus per hominum ora uagantibus, orbem peragrauit. Eius integritatem ac innocentiam et gesta mirabiliter, mortalemque conditionem supergressa, diligens perquisitio et matura deliberatio more maiorum comprobauit. Quamobrem uidetur titulis et honoribus sanctorum cohonestandus, ut sancta mater Ecclesia, quam potest exhibeat grati animi significationem optime de se merito in sacra militia filio. Suscepit illa quidem plures a B. Ignatio, qui fuerunt ei clypeus quo parta [sarta ?] tueretur; beatus vero Xauerius datus est, ut esset gladius quo nouis aucta uictoriis, christiani fines imperii longe lateque protenderet, etc.

XIV. CARDINALIS ALDOBRANDINI [17]

Beati Francisci Xauerii, apostolici in India nuncii, totiusque Orientis apostoli, laudabilis uitae tenor actionesque sanctitate praestabiles et miracula insignia eius intercessione a Deo morta-

---

[15] Franciscus Sfortia.

[16] Maphaeus Barberinus, qui postea, summus pontifex creatus, nomen sibi indidit Urbani VIII. Cf. autem n. 50, et ejus annot. 2.

[17] Hippolytus Aldobrandinus *(junior)*.

libus exhibita, suo mihi uidentur iure deposcere ut a sanctitate vestra eius canonizatio more maiorum celebretur.

*Inscriptio.* Votum Illmi. Cardinalis Aldobrandini.

*A tergo.* Aldobrandino.

### XV. cardinalis estensis [18]

Quae beato Xauerio nomen apostoli dedere in India, digna sunt ut nomen sancti idem habeat in Ecclesia.

*A tergo.* Este.

### XVI. cardinalis philonardi [19]

Beatissime Pater:

Satis clara et euidens est beati Francisci Xauier, e Societate Jesu, uitae innocentia et eximia sanctitas, tot tantisque sanctissimis actionibus et praeclarissimis miraculis, tam in vita quam post mortem, undequaque praefulgens, ut admirabilem illam declarauerit etiam ipse Deus, qui admirabilis est in sanctis suis. Huius enim beati intercessione caeci uiderunt, claudi ambulauerunt, leprosi mundati sunt, mortui resurrexerunt, pauperes diuersis morbis oppressi euangelizauerunt [*sic*]. Hic, tanquam nobilis planta ex bene culto uiridario Societatis Jesu exorta, non tantum in uita eousque suauissimum sanctitatis odorem dederit, sed post eius gloriosissimum obitum tanta fragrantia ex eius corpore emanauit, ut omnium suscitaret et confortaret spiritus; et non tantum ab hominibus; sed a mare, a uentis et a piscibus meruerit honorari; apostolus Indiarum iure optimo meruit appellari, ex quo apostolico sane spiritu nomen Domini remotissimis illarum partibus portauit, et apostolorum miraculis simillimus Ecclesiam exaltauit. Quamobrem, cum nulla sit natio in xpno. orbe, quae Xauerium enixe sanctum non praedicet, et celeberrima illius opera non admiretur, illaque etiam in actis ordine redactis apud hanc sanctam sedem plenissime constat, censeo sanctitatem vestram debere deuenire ad illius canonizationem, satisfaciendo

---

[18] Alexander Atestinus, sive Estensis.

[19] Philippus Philonardus.

communi Ecclesiae desiderio ad gloriam Dei et haereticorum confusionem.

*Alia manu.* Del Sign. Card. Filonardo.

## XVII. CARDINALIS VERALLI [20]

Si supremae uirtuti honores supremi tribuendi sunt, profecto beatus Xauerius reponi debet in concilio sanctorum. Nihil terrenum, nihil humanum sapiunt omnia admirabilia ac plane diuina opera, quibus ille Ecclesiam in remotissimis mundi regionibus fundauit ac propagauit. Sane, quod initio nascentis Ecclesiae praestiterunt apostoli, ita Franciscus exhibuit in Oriente, ut eum concionantem diuersarum nationum homines audientes, dicerent quod in Actis Apostolicis habetur: audiuimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus; et, quod admirabilius uidetur, marinae aquae dulcedinem impertitus est, praesentibus futura praedixit, abscondita cordium penetrauit, infirmis sanitatem, caecis uisum restituit; et, quod plus est, mortuos etiam ipsos ad uitam reuocauit. Nemo igitur dubitare potest quin coelo receptus, apostolorum societate gaudeat Xauerius, qui dum uiueret apostolica uocatione ductus, apostolico munere functus, merito communi apud omnes uocabulo Indiarum apostolus appellatur, etc.

*Inscriptio.* Votum Illmi. D. Card. Veralli pro canonizatione beati Francisci Xauerii.

## XVIII. CARDINALIS CAMPOREI [21]

Beatissime Pater: Franciscum Xauerium nouum apostolum a Deo missum fuisse, eius praeclara ac innumera opera testantur. Eius enim ore in omnes fines orbis terrae transmissa sunt sancti euangelii uerba; eius precibus multi infirmi ad sanitatem restituti, plures mortui ad uitam reuocati; totque alia miracula patrata, ut non alio nomine, etiam uiuus, nisi sanctus ab omnibus uocaretur. Unde cum illum ad coelestem uitam euectum fuisse, tam

---

[20] Fabritius Verallus.

[21] Petrus Camporeus.

credere fas sit quam dubitare nefas, illum inter sanctos a sanctitate vestra recensendum arbitror.

*A tergo.* Cardinalis Campori.

## XIX. cardinalis valerii [22]

Mirabilia sunt, beatissime Pater, quae de sanctitate et miraculis serui Dei Francisci Xauerii undique perferuntur; sed profecto pauca sunt si comparentur cum iis quae uere operatus est Dominus eius meritis atque doctrinis, ita ut fortasse non satis dictum uideatur si apostolicum tantum appellauerimus illum, qui dum erat in humanis fuit apostolicus nuncius missus in omnem terram, cunctis operibus usque ad extremum apostolice se gessit, totiusque populi communi consensu apostoli nomen sibi mirifice comparauit et dignitatem. Tantum ergo virum, beatissime Pater, iam fide, spe, caritate, humilitate ceterisque uirtutibus toto orbe clarissimum, hodierna die in sanctorum confessorum numerum solemniter adscribi iure merito omnino posse censeo.

*A tergo.* Card.[is] Valerii.

## XX. cardinalis rivarolae [23]

Franciscus Xauerius, beatissime Pater, uere nostris temporibus apostolus, sancti euangelii in uastissimis orientis et occidentis prouinciis praedicator, tantam gratiam a Domino obtinuit, ut mereretur, dum uiueret, fieri trium mortuorum suscitator magnificus. Huic sanctitatis insignia concedenda esse censeo.

*A tergo.* Vota Illmi. D. cardinalis Riuarolae.

## XXI. cardinalis lenii [24]

Franciscus Xauerius noui orbis nouum iubar, xpiani. nominis uere apostolicus propagator, rebus supra consuetas naturae leges

---

[22] Petrus Valerius.

[23] Dominicus Rivarola.

[24] Joannes Baptista Lenius: in fine voti habes nomen alius Peretti (Cf. annot. 4). An forte unus est atque idem, cujus nomen *a tergo* casu in alio voto adsignatur?

praeclare gestis [e] illustris, exposcit ut ei tamquam emerito athletae in coelesti regno iam triumphanti, debiti tandem honores in terris a sanctitate vestra decernantur.

*A tergo.* Leni et Pere[tti].

## XXII. CARDINALIS TRESSII [25]

Franciscum Xauerium, Ignatii filium, ob feruentem eius in Deum ac proximum charitatem, qua tot regna, prouincias, insulas, regiones ac maria, vt Christi fidem efferatis ac barbaris gentibus, quibus nondum euangelica lux effulserat, an[n]unciaret, indefesso animo perlustrauit, apostolis haud dissimilem fuisse communis populorum vox et consensus, illum apostolum appellantium, ac miracula ab eo edita [f] declarant. Quibus huius sanctae sedis ac sanctitatis vestrae auctoritas, praedictum Franciscum vniuersae Ecclesiae vt sanctum atque apostolicum virum proponentis, tutissime potest accedere.

## XXIII. CARDINALIS SACRATI [26]

Beatissime Pater:

Sanctitatis excellentia, magnitudo laborum, gentium ad Dei cognitionem traductarum multitudo, miraculorum claritas et numerus, quae in beato Francisco Xauerio, Indiarum apostolo, omnes admirantur, meumque in primis erga hunc seruum Dei singulare studium exposcerent, ut longa sane oratione disserem de coelestibus honoribus decernendis homini optime merito de xpiana. religione, quam usque ad extremum terrae propagauit; de huius sanctae sedis amplitudine, cui tam multos populos regesque submisit; de omni hominum genere, cui benefaciendo labores omnes, marium terrarumque difficultates, naturae hominumque pericula, uitam denique ipsam laetissime dedicauit; sed temporis el loci rationibus aliter suadentibus, breuissime me expedio, asseroque beatum Franciscum Xauerium uideri dignum

---

[e] gestas *ms.* —[f] aedita *ms.*

---

[25] Gabriel Tressius (Trejo Paniagua, hispanice).

[26] Franciscus Sacratus. Vid. n. 40, annot. 8.

qui populis omnibus xpiano. ritu colendus a sanctitate vestra proponatur.

*A tergo.* Cardinalis Sacrati.

### XXIV. cardinalis gozadini [27]

Sanctitas uitae et claritudo miraculorum beati Francisci Xauerii, et uota populorum paulo ante sanctitati vestrae recensita, me inducunt, beatissime Pater, ut iudicem illum dignum publico honore et cultu, qui ab hac sancta sede benedictis a Domino concedi solet.

### XXV. cardinalis pignatelli [28]

Apostolus insignis et hominum egregius piscator fuit, beatissime Pater, Pater Xauerius: summis namque laboribus et ignita charitate totum fere orientale oceanum Xpo. Domino adiunxit, et piscando uenatus est. Quare si sanctitas vestra tam sanctae uitae uirum in sanctorum numerum referre decernit, consilium approbo et laudo.

*A tergo.* Vota Illmi. cardinalis Pignattelli.

### XXVI. cardinalis gherardi [29]

Sileat humana lingua, cum de beato Francisco Xauerio agitur, quoniam os Domini locutum est. Etenim dum nuncius apostolicus ab hac sancta sede missus, mox apud cunctas ferme nationes celebratur apostolus; dum sententias nostras consensus populorum anteuertit; dum ecclesiae in idem conspirant uniuersae, os Domini locutum est. Locutum est in propheticis Xauerii praedictionibus, in propagatione fidei, qua coecum Orientem usque ad ultimas terras illuminauit, in corpore a cetera mortalium conditione uendicato, in tot mortuis ad uitam reuocatis, in prodigiis uariis. Merito igitur a sanctitate uestra sanctus renunciabitur qui, utraque sui parte meliori sorte superstes, iam ubique praedicatur apostolus. Quod ego ad apostolicae sedis dignitatem, ad

[27] Marcus Antonius Gozadinus.
[28] Stephanus Pignatellus.
[29] Caesar Gherardi.

catholicae fidei incrementum et ad gloriam omnipotentis Dei pertinere censeo.

*A tergo*. Cardinalis Gherardi.

### XXVII. CARDINALIS LUDOVISII [30]

Beatum Franciscum Xauerium, sanctissimo cuique parem meritis, aequalem laudibus, uitae sanctimonia similem, miraculorum non secundum, quem, linguis hominum loquentem et angelorum, Oriens habuit apostolum euangelicae ueritatis, catholicis templis ac caelestibus honoribus merito colendum esse existimo.

### XXVIII. CARDINALIS DE SOURDIS [31]

Beatissime Pater: Bonum uinum seruasti usque adhuc! Xauerius, uinum germina[n]s uirgines, germen ipse castitatis et charitatis dicendus, filiusque dexterae Excelsi nuncupandus. Excelsa enim opera annuntiantur de illo. Quid dicam? Virginem praedicabo, confessorem nominabo, pontificem pronuntiabo, martyrem, prophetam, apostolum[?]Vere virgo est corpore; opere, confessor; pontifex, sanctae sedis legatione; martyr, voto; spiritu prophetiae afflatus; sed certe apostolus dicendus, cuius in omnem terram exiuit sonus, qui uelut nubes uolauit, et sicut columba ad fenestras meditatus est in lege Dei die ac nocte. Signa apostoli sunt tot regna ad Christi fidem conuersa. Nonne Dominum uidit? Vidit in terris laborando, gaudet nunc in coelis fruendo. Volo, beatissime Pater, ut scribatur in generatione altera, quoniam mirificauit Dominus sanctum suum sanctissimi pontificis ore sacro [32].

### C.—SUMMI PONTIFICIS ALLOCUTIO POSTERIOR

Audiuimus quid uos, fratres dilectissimi, uestris suffragiis sentiatis, nec dubitamus quin uobis huiusmodi mentem iniecerit Deus; cui gratias agimus immortales, quod tam liberaliter illos

---

[30] Aloisius Ludovisius.

[31] Franciscus (d' Escoubleau) de Sourdis.

[32] Vid. n. 46, II. Episcoporum vota exstant nonnulla; sed non omnium; unde ea omittenda existimamus.

remuneretur, qui ei omnibus uiribus deseruiunt. Itaque, ut uos sensistis, et nos quoque sentimus; ac propterea, implorata diuina ope, diem duodecimam Martii mensis, qui dies diuo Gregorio sacer est, huic negotio, quod omnium maximum est, decernimus [35]. Vos interim, fratres, iteratis precibus, ieiuniis, eleemosinis, aliisque supplicibus uotis Deum orate, ut nobis propitius ac misericors adsit, ne aliquid contra eius honorem Ecclesiae suae sanctae proponamus.

## 46

### DOCUMENTA NONNULLA

### CANONIZATIONEM AUT CULTUM SPECTANTIA

### S. IGNATII DE LOYOLA ET S. FRANCISCI XAVERII

[Nobis illa, Dei juvante ope, edituris in *Monum. Ignat.*, ser. IV, satis erit eorum elenchum proposuisse; sc.:]

I. Auctoris anonymi narratio, cui titulus: «Memoriale eorum, quae contigerunt intra 4 menses, circa canonizationem 4 BB., Ignatii etc. [sc. et Xaverii, Isidori Agricolae et Philippi Nerii], ubi continentur gesta apud summum pontificem nomine regum Galliae et Hispaniae; aliqua etiam adduntur de B. Theresia. . . . . 17 Dec. 1621 [1].

II. Catalogus episcoporum assistentium consistorio, de quo supra, n. 45. . . . . 16 Febr. 1622 [2].

III. Stephani Saulii, protonotarii apostolici, testimonium referens acta in eodem consistorio. . . . . 18 Febr. 1622 [3].

[35] Vid. n. 50, annot. 4, et n. 46, IV.

[1] Ex apographo coaevo, in manuscriptis Societatis, duplici folio.

[2] Ex apographo coaevo, quod reperitur in eodem folio ac votum cardinalis Ludovisii (vid. n. 46, XXVII). Cfr. ibid. annot. 32.

[3] Ex apographo coaevo, duplici fol., in manuscriptis Societatis.

IV. Gregorii XV, Pont Max., decretum canonizationis SS. Isidori, Ignatii, FRANCISCI XAVERII, Theresiae et Philippi Nerii. . . 9 Mart. 1622 [4].

V. Gregorii XV breve, indulgentiam plenariam concedens christifidelibus, qui, consuetis conditionibus, visitaverint aliquam ecclesiam Patrum Societatis Jesu, in die quo ipsi celebraturi sunt festum canonizationis S. Ignatii et S. FRANCISCI XAVERII. . . . 11 Mart. 1622 [5].

VI. Gregorii XV breve, indulgentiam plenariam concedens, servatis servandis, diebus 31 Julii et 2 Decembris, quibus respective festum agetur S. Ignatii et S. FRANCISCI XAVERII. . . . . 8 Jun. 1622 [6].

VII. Epistola Philippi IV, Hispaniarum regis, ad marchionem de Castel Rodrigo, petens officium sacrum S. Ignatii et S. FRANCISCI XAVERII in universam Ecclesiam extendi. . . . . 31 Mart. 1639 [7].

VIII. Sacrae Rituum Congregationis decretum, quo approbatur electio SS. Ignatii et FRANCISCI XAVERII in patronos minus principales civitatis Sulmonae. . . . . 22 Aug. 1699 [8].

IX. Sacrae Rituum Congregationis rescriptum, sodalitio in oppido Ortigii, Marsorum dioecesis, erecto, sub invocatione Deiparae ac SS. Ignatii et FRANCISCI XAVERII, indulgentias concedens. . . . . 19 Dec. 1743 [9].

X. Clementis XIII, Pont. Max., decisio

---

[4] Ex apographo coaevo, 2 ff., in manuscriptis S. J. Decretum hoc promulgatum fuisse 12 Martii 1622, admodum notum est. Cf. n. 50, annot. 4.

[5] Ex collectione bollandiana.

[6] Ex apographo, in manuscriptis S. J.

[7] Ex archetypo, duplici folio, in manuscriptis S. J.

[8] Ex elencho bullarum, brevium, decretorum pro Societate Jesu. Cfr. P. DELPLACE, *Synopsis actorum S. sédis in causa S. J.* pag. 425.

[9] Ex Bullario S. J. Cfr. DELPLACE, l. c., pag. 466.

privata de indulgentiis transferendis festorum S. Ignatii et S. Francisci Xaverii pro missionariis S. J. Marylandiae. . . . . 16 Febr. 1759 [10].

## 47

## PATRIS MUTII VITELLESCHI

### PRAEP. GEN. SOC. JES.

### EPISTOLA AD REGNUM NAVARRAE

### ROMA 3 OCTOBRIS 1622 [1].

*De electo S. Francisco Xaverio in caelestem patronum regni Navarrae.*

Al Reyno de Navarra q.e N. Sr. guarde (3 Octubre 1622).

El P. Rector Valentín de Herice me ha dado cuenta de la nueva obligación en que Vtra. Sria. Ilma. nos ha puesto, haciendo tan grandes demostraciones de su mucha piedad en la fiesta de las canonizaciones de nuestros gloriosos PP., y tomando á san Francisco Xavier por particular patrón y protector del reyno; conque se ha echado bien de ver la grande devoción que V. Sria. Ilma. tiene al Sto., y la singular merced que hace á su Religión; la obligación con que quedamos es tan grande, que con razón pudiéramos temer no haber de corresponder á ella; pero tenemos tan buen fiador en el mismo Sto., que nos prometemos mediante su intercesión y ayuda saldremos de este empeño, y que como tan agradecido á los que son tan fieles devotos suyos, intercederá en el cielo, cumpliendo muy bien con el oficio de intercesor y abogado, y con las obligaciones que tiene á ese reino por haber nacido en él, título, que también obliga á la Compañía, y á mí muy en particular á emplearnos siempre en el servicio de V. Sria. Ilma., como deseamos hacerlo, y á suplicar á la divina Mag.d en nuestros sacrificios y oraciones, guarde y prospere á V. Sria. Ilma. con mucho aumento de sus celestiales dones.

---

[10] Ex Bullario S. J. Cfr. Delplace, l. c., pagg. 481-482.

[1] Ex regestis S. J.

## 48

## EJUSDEM EPISTOLA

### AD CAPITULUM PAMPILONENSIS ECCLESIAE

ROMA 3 OCTOBRIS 1622 [1].

*De electo S. Francisco Xaverio patrono ac vindice ecclesiae pampilonensis.*

Al deán y cabildo de Pamplona (3 Octubre 1622).

En todas las ocasiones que se ofrecen muestra bien V.ª S.ª el grande afecto y devoción que tiene á la Comp.ª; y muy en particular la hemos esperimentado en la singular piedad conq.e V. Sría. ha celebrado las fiestas de las canonizaciones de nuestros gloriosos PP., y ha tomado á san Francisco Xavier por su particular patrón y protector; estoy cierto que ambos santos corresponderán muy bien con su intercesión á la grande devoción q.e V. Sría. les muestra, y á la particular obligación que tienen á esa Sta. Iglesia por haber nacido en su diócesis; de parte de la Compañía y mía doy á V. Sría. las debidas gracias por la grande merced y favor que en esta ocasión hemos recibido, de que estamos tan reconocidos como obligados, y con mucho deseo de q.e V. Sría. nos mande en que la sirvamos, para tener ocasión de poder satisfacer en algo á nuestra obligación. Guarde N.º Sr. á V. Sría. como se lo suplico.

## 49

## EJUSDEM EPISTOLAE DUAE

### AD RECTOREM TOLL. PAMPIL. S. J.

ROMA 3 OCTOBRIS 1622, ET 1 APRILIS 1623 [1].

*De electione S. Xaverii in patronum regni Navarrae, et capituli cathedralis pampilonensis; tum et pampilonensis civitatis.*

[I.] Al P. Valentín de Herice. Pamplona (3 de Octubre 1622).

Muy bien ha hecho V. R. en disponer las fiestas de nuestros

[1] Ex regestis S. J.

[1] Ex regestis S. J.

santos en la forma que me dice en esta de 24 de Julio, celebrándolas con mucha solemnidad, sin exceder del orden que el P. provincial había dado [2]. Paréceme que es justo, agradezcamos al Reyno y al Cabildo la gran devoción que tienen á san Francisco Xavier, y el juramento de patrón que le han hecho; yo les escribo sobre este punto: con esta van las cartas, para que V. R. las dé y diga más por estenso la nueva obligación en que nos han puesto, á que procuraremos corresponder en todo lo que se ofreciere según nuestras cortas fuerzas.

Guarde N. Sr. á V. R., en cuyos SS. SS., etc.

---

[II.] Al P. Valentín Herice (1.° de Abril de 1623). Rect. de Pamplona.

No quisiera que de parte de ese colegio se hubieran hecho diligencias en orden á que la ciudad jure por su patrón á nuestro P. San Francisco Xavier; que alcanzándose por estos medios, pienso que no es de gloria para el santo ni de reputación para la Compañía; si la ciudad de suyo, sin que los nuestros interviniesen, saliese á ello, fuera de más estima, y le hubiera estado mucho mejor á ese colegio [3]...

---

[2] Notanda epistola Patris Vitelleschi, quae in eisdem regestis reperitur data 1 Aprilis 1623 ad Patrem Melchiorem Pedrosa, praepositum provinciae castellanae, in qua haec: «No deje de dar V. R. capelo público y penitencia á los superiores que en las fiestas de nuestros santos excedieron del orden que envió; y escríbame lo que en esto hiciere, que lo mismo he encargado á otros provinciales.»

[3] Reliqua huc non spectant.

## 50

## URBANI VIII, PONT. MAX.

### BULLA CANONIZATIONIS BEATI FRANCISCI XAVERII CELEBRATAE PER GREGORIUM XV [1].

URBANUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Rationi congruit et convenit aequitati, ut ea quae de romani pontificis providentia processerunt, licet eius superveniente obitu litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Dudum siquidem fel. rec. Gregorius Papa XV, praedecessor noster, pie praemeditans, quod unigenitus et coaeternus aeterni Patris Filius, cum de regalibus sedibus in hunc mundum, ut salutem humani generis operaretur, descendisset, semen bonum verbi sui in agro orbis terrarum seminaverat, ut omnium coelestium virtutum et ad extremum aeternae vitae fructum credentibus germinaret; quodque, cum pro divinae huius segetis incremento pretiosissimum sanguinem suum, ignominiam crucis voluntarie subiens, effudisset, ac perfecto demum opere ad quod missus fuerat, super omnibus coelorum sublimitatibus ad dexteram Patris in saeculorum aeternitate consessurus ascendisset, plurimos servos et amicos suos in terris reliquerat, qui laboribus vigiliis atque, ad ipsius exemplum, proprii sanguinis effusione, divinam hanc excolentes sementem, messem quam uberrimam in horreum eius congregarent, eiusque fines eousque dilatarent, donec juxta promissionem Patris omnes gentes et termini terrae darentur ei in haereditatem et possessionem; et quamvis verbum eius semper a generatione in generationem prosperatum esset, attamen, quando ab aeternis temporibus praedestinatum beneplaciti eius tempus advenerat, ut abundare faceret, quasi imbrem

[1] Ex bullariis Societatis. Hic sequimur ut normam Institutum S. J., editionem Florentiae, vol. I, pagg. 155-168.

inundantem, misericordiam suam magnam super universum semen filiorum Adam, gloriamque crucis suae usque ad ultimum terrae et in mari longe propagaret, vere admirabilis facta erat potentia ipsius, cum revelatis incognitis antea tribubus et linguis ac populis et nationibus, messem magnam atque uberem aperuerat, atque in ea operarios multiplicaverat; tantaque fructuum abundantia labores eorum compleverat, ut ipsis annuntiantibus, evangelicae praedicationis sonus usque ad extremos orbis terrarum fines penetrasset, et a solis ortu usque ad ocassum, ab aquilone et mari, magnum nomen Domini Dei nostri in universis gentibus, redditum esset; inter caeteros vero, quos ad perficiendum voluntatis suae sacramentum in tantarum gentium vocatione Dominus praeordinaverat, egregius servus eius Franciscus Xaverius, novus Indiarum apostolus, gloria sanctitatis et meritorum splendore praecipue emicuerat; qui, cum a iuventute sua perfecte coram Deo ambulasset, spretisque ac conculcatis divitiis ac saecul dignitatibus, ac semetipso iuxta verbum Domini abnegato, animam suam pro nomine Domini nostri Jesu Christi tradidisset, dignus inventus erat, qui a Spiritu Sancto in tam insigne opus assumeretur, ac tamquam aliorum dux divina providentia constitutus, apostolicis charismatibus affluenter decoraretur, etiam ob signa apostolatus, quae in eo in omni patientia, in signis et prodigiis ac virtutibus manifesta facta erant, novarum gentium apostolus unanimi totius christiani orbis consensu meruerat appellari; ac propterea decebat, ut tantum Dei famulum (qui pro gloria eius, et animarum Domini nostri Jesu Christi sanguine redemptarum salute, innumeros maximosque labores atque aerumnas perpessus erat, ingentiaque terra marique subiverat pericula; quem Deus adeo magnificaverat, ut nomen eius honorabile esset apud omnes gentes), idem Gregorius praedecessor, pro suo pastoral munere, vere sanctum et electum Dei in militanti Ecclesia declararet, eiusque virtutes, tanquam eximias et praecellentes, universis Christi fidelibus imitandas proponeret, ut populus christianus actiones suas ad honorem Dei, ipsius exemplo dirigens, eum apud Deum et Dominum Jesum Christum in eius necessitatibus habere mereretur intercessorem; atque, ut omnes Christi

fideles promptius ad laudandum Deum omnipotentem secundum multitudinem magnitudinis eius excitarentur, devotionisque ardor erga tantum Dei famulum augeretur, dum eius in terris coelestem et laudabiliter actam vitam orbi terrarum explicaret et patefaceret; in primis et ante omnia praemitteret,

Quod natus erat insignis hic Dei servus Navarrae, in oppido Xaverio pampilonen. dioecesis maternae ditionis loco, nobilibus ac piis progenitoribus. Qui cum ipsum ab infantia timere Deum ac ab omni peccato abstinere edocuissent, ubi aetas demum adoleverat, Lutetiam Parisiorum, studiorum gratia, eumdem miserant. Quibus cum alacriter operam daret, post haud multum temporis de eo domum revocando pater cogitare coeperat. Quod cum tunc in humanis agens Maria Magdalena eius soror, quae monasterium monialium oppidi civitatis nuncupati Gandiae, ordinis S. Clarae discalceatarum nuncupatarum, Valentin. dioecesis, non sine ingenti sanctitatis fama tunc regebat, persensisset, fratris vocationem divinitus edocta, per litteras cum patre vehementius egerat, ut Francisci studia omni ope, etiam cum rei domesticae detrimento, foveret: eum enim incognitarum gentium apostolum divina providentia praeordinatum esse praevidebat. Cumque Lutetiae commoraretur, in familiaritatem S. Ignatii insinuatus, ac postmodum in socium ipsius, qui id ardentibus precibus a Deo ad ingentem Ecclesiae utilitatem praestandam postulaverat, adscriptus, eoque duce ingressus erat arctam viam, quae ad vitam ducebat: ut enim spiritu vivificaretur, carnem suam, ad antiquorum sanctorum Patrum exemplum, severissime mortificaverat. Interdicto enim sibi, non solum carnis et vini, sed panis etiam triticei usu, vilibus tantummodo ac insulsis cibis, iisque quam parcissime usus erat; quin etiam frequenter integro biduo triduoque ab omni cibo prorsus abstinuerat; aliquando vero omnes maioris hebdomadae dies usque ad sabbatum paschatis ieiunus transegerat; somnoque brevissimo vires reficere consueverat, humi vel lectulo vilissimis stragulis contecto iacens. Corpus suum ferreis flagellis adeo diverberabat, ut saepe copiosus sanguis efflueret; aliquando autem, funiculis arctissime constrictis lacertis et coxendicibus, iter aggressus erat; cumque plu-

res dies in eo cruciatu perseverasset, vincula adeo corpori eius infixa erant, ut prae doloris magnitudine viribus destitutus, in via concideret; ac, nisi praecipuo Dei beneficio, absque ulla humana ope, disrupta fuissent, de eius vita omnino desperatum fuisset. Quam praeclare vero in eius animo reliquae christianae virtutes effulsissent, quam potenter scuto fidei protectus omnia nequissimi ignea tela exstinxisset, et quam firmiter in Deo sperasset, et sacramentorum frequentia, quibus non solum semetipsum, sed et alios etiam summa cum devotione ac indefessa assiduitate pascebat, et verbi Dei assidua praedicatio, qua tam ingentem orbis terrarum partem illuminaverat, insigniter attestabantur. Sed inter caeteras eius virtutes, quasi sidus matutinum, praecipue resplenduerat charitas; quae in omnibus quidem eius actionibus, praesertim tamen cum aegrotis inserviret, manifestabatur. Eo etenim dilectionis ardore erga inopes infirmos, qui in domibus vel hospitalibus morabantur, se gerebat, ut raro ab eis discederet; tantaque sensuum mortificatione quantumvis sordidissima ministeria peragebat, ut aquam saepius, qua horribilia et incurabilia ulcera laverat, ebibisset. Cum vero de vita periclitarentur, tunc, cibi somnique prorsus oblitus, et praeter proprias vires a Deo confortatus, veluti a commissa custodia nec die nec nocte discedebat, illisque sanctissima Ecclesiae sacramenta caeterasque spirituales alimonias praebebat. Quae adeo libenter atque hilariter exsequebatur, ut deliciae eius deservire aegrotis ac morientibus esse dicerentur, et quasi aliquod talentum sibi divinae benignitatis munificentia creditum negociaretur; assiduamque hanc erga aegrotos curam ac vigilantiam toto vitae suaet empore, ubicumque moraretur, exercuerat. Sed et per eamdem charitatem, quae per Spiritum Sanctum diffussa erat in corde ipsius, adeo ad Deum accedebat, tantoque spiritus fervore in oratione perseverabat, ut huiusmodi cibo intentus, quo interiorem hominem reficiebat, noctes integras transigeret; nec, cum in navi esset, atque in aperto vitae discrimine in summis tempestatibus versaretur, desisteret, aut quidquam animo commoveretur; fieretque aliquando talis super eumm entis excessus, ut, oculis in coelum defixis, divina vi a terra elevaretur, vultu adeo inflamma-

tus, ut angelicam prorsus charitatem repraesentaret, nec divini amoris perferre valens incendium, saepius exclamaret: *Satis est, Domine, satis est.* Cum vero sacrosanctum missae celebraret sacrificium, saepenumero a sensibus usque adeo abalienabatur, ut nec ministri, vestem succutientes, nisi post diuturnam moram excitare possent. Quin etiam aliquoties, altius cubitu a terra elatus, ab universa adstantium multitudine, miraculi magnitudinem obstupescente, ac servi Dei sanctitatem suspiciente, conspectus fuerat. Nec solum vigilans vir sanctus Deum in corde et ore habebat, sed et dormiens in ipso requiescebat. Frequenter enim in somnis sanctissimum nomen IESU cum summa mentis dulcedine proferre audiebatur. Cumque tam singularibus floreret virtutibus, atque in dies a Deo potioribus augeretur muneribus, non modo non extollebatur, sed crescebat in eo semper virtus humilitatis; adeo ut infima quaeque domus officia semper tamquam omnium postremus obiret. Vestibus vero adeo pannosis ac vilibus utebatur, ut pueris quandoque de ridiculo esset. Venerabatur autem eximie vir Dei non episcopos modo, sed sacerdotes quoscumque; sancto vero Ignatio, tunc praeposito suo, non nisi flexis genibus scribebat. Honores vero ac laudes hominum adeo horrebat, ut amplissimam apostolici nuntii dignitatem, qua instructus in Indias a summo pontifice missus fuerat, quam studiosissime occultaret, nec nisi semel ea potestate, necessitate coactus, usus fuerat. Caeterum tantus vir insigne stadium a Deo consequutus erat, in quo gloriose, usque ad consummationem cursus et coronam iustitiae, decertaret.

Cum etenim clarae mem. Ioannes Lusitaniae rex a piae mem. Paulo papa III, tunc dicti Gregorii, nunc etiam nostro respective praedecessore, nonnullos ex Ignatii sociis postulasset, quos ad orientales Indias, ut in vastissimis illis regionibus verbum Dei disseminarent, transmitteret, idem pontifex, S. Ignatii hortatu, ad tantum opus peragendum Franciscum Xaverium elegerat; quem etiam apostolici nuntii dignitate et amplissima potestate decoraverat. Cumque viatici nomine plurima ei a praetore regio parentur, homo, qui pro viatico ac pera, de Dei benignitate, in cuius evangelii opus segregabatur, praesumebat, nunquam addu-

ci potuerat, ut quidquam, praeter vilissimum centonem, acciperet; et in navi super funem nauticum dormiebat, ac emendicato vivebat; aegrotis in vilissimis ministeriis indefessa charitate noctu diuque serviebat. In Indiam ut pervenerat, statim, nec modico quidem tempore ad quietem post longissimam ac difficillimam navigationem sumpto, ad praedicandum illis gentibus evangelium se accinxerat, et indutus virtute ex alto, apostolico spiritus fervore, ministerium, quod sortitus erat, tanto cum fructu exsequebatur, ut gratia Dei efficaciter verbo eius cooperante, non solum chistianorum mores depravatos ad meliorem frugem passim toto Oriente revocaret, sed multa centena hominum millia, qui in tenebris et in regione umbrae mortis ambulabant, ad agnitionem verae lucis perducti, regenerationis lavacro mundarentur. Nam praeter indos, brachmanos et malabares (in quorum regnis apostolica praedicatio, quae antiquis temporibus illic viguerat, sed hostis humani generis fraude ex omnium memoria prorsus abolita erat, Xaverii praedicatione revixerat), ipse primus paravis, malais, iais, acenis, mindanais, malacensibus et japonibus evangelium Christi annuntiaverat, nonnullique illarum nationum reges et magni principes, ingenti cum fidei nostrae emolumento, suavi Christi iugo colla subdiderant. Incredibilia autem videbantur, quae propter nomen Domini nostri Jesu Chisti toleraverat. Per diversa etenim regna, in vastis illis orbis terrarum spatiis, semper pedibus et saepius nudis, per arenas calidas pergebat, per spinas longissima itinera conficiebat; contumeliis saepe numero, probris et illusionibus, quin etiam verberibus et lapidibus appetitus, in periculis hostium, in periculis itinerum versatus, saepe naufragus, vigilias, frigus et nuditatem, sitim famemque perpessus erat, contractis ob assiduos ac intolerabiles labores gravissimis morbis; nec enim, apostoli exemplo, animam suam faciebat pretiosiorem quam se, dummodo consummaret cursum suum, et ministerium verbi, quod acceperat, testificari evangelium gratiae Dei.

Signa vero et prodigia, quibus Dominus apostolorum suorum sermonem in nascentis Ecclesiae exordiis confirmavit ad illius novae sobolis incrementum, in manu etiam servi sui Francisci misericorditer renovaverat. Subito enim a Deo diversarum ac in-

cognitarum gentium linguas, quas non noverat, edoctus, disertissime, quasi in iisdem terris educatus esset, loquebatur; et acciderat quandoque ut eum, ad diversarum nationum populos concionem habentem, unusquisque eodem tempore lingua sua, in qua natus erat, magnalia Dei loquentem cum stupore et exstasi audiret; eoque miraculo multitudo magna commota reciperet verbum Dei.

Hinc, post praemissa, ad Christi fidelium aedificationem, aliqua ex insignioribus prodigiis et signis, quibus praedicationem et gesta ipsius Dominus illustraverat, recenseret. Et primum illud memorandum videbatur, quod, cum numerosus badagarum exercitus, in exitium christianorum a Francisco baptizatorum immineret, atque omnia atrocitatis exempla se in christianos editurum minaretur, ipse solus fide armatus procedens obviam, ac severe eorum impietatem increpans, steterat illico immobili vestigio universus exercitus, deterritus, ut milites ducesqus referebant, ab homine quodam magno, nigris vestibus induto, qui juxta Franciscum stabat; cuius maiestatem ac splendorem, vultu oculisque micantem, ferre non poterant: itaque vir sanctus, quos Christo pepererat, a caede ac direptione liberaverat.

Successive apud Comorinum promontorium, cum in quadam ecclesia servus Dei infidelibus concionaretur, ac propter duritiam cordis eorum nihil proficeret, facta oratione, iussit sepulcrum, in quo pridie defunctus tumulatus fuerat, aperiri; ac populo significans, ad comprobandam christianae fidei veritatem, mortuum illum Dei voluntate rursum victurum, linteo, quo cadaver involutum erat, rescisso, ac rursus precibus ad Deum fusis, mortuo, ut viveret imperaverat; qui statim, stupentibus omnibus, surrexerat vivus; quo tam insigni miraculo commoti qui aderant, tum alii multi, crediderant in Deum.

Eodem postea loco mendicus quidam beato viro occurrerat ulceribus plenus; cuius plagas Franciscus magno charitatis affectu lavans, atque aquam, qua eas laverat, ebibens, ac deinde Deum Patrem misericordiarum, ut illius pauperis misereretur, orans, e vestigio ab omni plaga atque ulcere, Dei munere, pauper ipse omnino liber surrexerat.

Sed et puer quidam Mutani in orientali India pestilenti febre vita sublatus, ac linteo insutus de more gentis, viginti quatuor horis asservatus, flentibus parentibus ferebatur ad sepulcrum; quos, ut vir Dei vidit, misericordia motus super eos, Deum omnipotentem, ut puerum vivificaret, genibus flexis precatus fuerat, atque aqua benedicta aspersum, rescisso linteo, signo crucis signaverat, apprehensaque manu eius in nomine Domini Jesu Christi vivum atque incolumem parentibus restituerat: erecta illo in loco, ad tantae rei memoriam conservandam, ab incolis magna cum celebritate cruce.

Et successive apud oppidum Combuturae in ora Piscariae puer alius in puteum delapsus, suffocatusque, maximo cum matris et cognatorum eiulatu efferebatur; cumque ex proxima ecclesia Franciscus occurrisset, misertus eorum, in genua provolutus, oculisque in coelum fixis, Deum pro vita pueri precatus, eum apprehensa manu in Nomine Domini Jesu Christi surgere iusserat, et confestim puer surrexerat vivus: quem sanctus vir reddiderat matri suae, stupentibus omnibus, ac maximo cum clamore Deo gratias agentibus: quibus ipse praecepit, ne cui rem gestam narrarent.

Insuper dum in Japonia insula Franciscus Christi fidem praedicaret, accesserat ad eum mercator quidam, a multis annis caecus, petens, ut sibi a Deo, ut videret, impetraret; Franciscus, recitato super eum evangelio, signum crucis oculis eius impresserat; qui eodem temporis momento lucem amissam recuperaverat.

Postero vero die reversus ad eum cum uxore ac universa familia, genibus advolutus gratias agens, et christianam fidem professus, ad bapstismi gratiam una cum suis omnibus pervenerat. Exierat autem tam illustris miraculi fama per omnem terram illam, ac multi relictis idolis suis conversi erant ad verum Deum, et Jesum Christum Filium eius.

Cumque servus Dei ad Sinas in magna navi, qua quingenti vehebantur, navigaret, cessaverant adeo venti, ut quatuordecim diebus navis eodem loco haesisset immota. Cumque inter caeteras difficultates, aquae penuria valde laboraretur, multique iam siti deficerent, vir sanctus omnia navis vasa marina aqua impleri

iusserat, fusisque instanter ad Deum precibus, super ea signum crucis fecerat; ac repente aqua illa salsa dulcis salubrisque effecta erat. Quo miraculo, plures qui in navi erant infideles crediderant in Deum: quin etiam aquae illius, quae abunde superfuerat, potu, plurimi per multas Indiarum provincias, variis, quibus vexabantur, morbis sanati fuerant.

Ad eosdem sinas contendens, cum saevissima orta tempestate omnes de se actum existimarent, et gubernator navis, ne repentinae vis procellae scapham auferret, validis eam rudentibus ad onerariam alligari iussisset; non multo post, abruptis retinaculis, scapham tempestas abstulerat tanto impetu, ut pene temporis momento omnium conspectum effugisset; et prout quisque cognatos et necessarios in scapha habebat, certatim eorum casum deplorare coeperant. Franciscus ergo universos collacrymantes bonum eos habere animum iusserat, ac praedixerat fore ut ante triduum filia remearet ad matrem, significans scapham ad onerariam reddituram; prout, Deo dante, apparere visa fuerat, et recte ad onerariam tendere et sponte ad illius latus accedere, atque ita apte se applicare, ut illi omnes, qui in ea erant, commode excepti fuissent: quae etiam in mediis fluctibus, nemine illam retinente, tam diu steterat, quoad religaretur ad navim, attonitis omnibus ex miraculo remanentibus. Ad Molucas insulas etiam Franciscus advenerat, ubi magno spiritus fervore verbum Dei primus annuntiabat: atque in urbe Tolo viginti quinque millia hominum baptizaverat: qui cum suasu tyranni cuiusdam Christi fidem deseruissent, ecclesiam solo aequassent, cruces sanctorumque imagines confregissent et conculcassent: Franciscus, zelum Domini zelatus, viginti lusitanos ac quadringentos circiter indigenas ad ultionem tanti sceleris incitaverat: eoque duce ac victoriae sponsore, tam parva militum manus adversus urbem munitissimam, Christi rebellem, expeditionem aggrediebatur; sed cum prope urbem pervenissent, substiterat vir Dei ac orationi se dederat: statimque vicinus mons magnum emiserat incendium, adeoque ingentem cineris ac pumicum vim eructaverat, ut urbis atque arcis, quae in edito sita erat, muros aequasset; horribilisque propterea terrae motus totam urbem concusserat, plurimasque domos sub-

verterat; quibus malis exterriti incolae, deserta urbe, in proximas silvas confugerant: urbs itaque a Francisci militibus facile capta erat; cives vero ad eius pedes prostrati, acceptaque salutari poenitentia, delicti veniam impetrarant.

Ulterius, cum inter easdem insulas Franciscus navigaret, ac saevissima orta esset maris tempestas, ad eam sedandam, Crucifixi imaginem, quam collo appositam gestare solebat, undis immiserat; quae vi procellae e manibus excussa, in profundum maris, non sine magno eius moerore, delapsa erat; sed laetificaverat Dominus animam servi sui: nam cum ad terram applicuisset ac secus littus iter faceret, marinus cancer ex undis subito prosiluerat, atque ante pedes ipsius steterat, eamdem crucem morsibus elevatam gerens; et Franciscus in genua provolutus eam devote susceperat, ac diuturna oratione ob tam egregium munus Deo gratias egerat.

Prophetico etiam spiritu Deus servum suum, quem in lucem gentium dederat, illuminaverat, atque adeo insigne donum plurimis manifestaverat exemplis. Atque inter caetera, cum acen populi, inter quos etiam turcae erant multi, sexaginta navium classe vecti, christianorum naves concremassent, ac multos crudelissimis suppliciis affectos enecassent, ducenti ac triginta milites in octo naves distributi, Francisco suadente, ac in nomine Domini exercituum victoriam promittente, classem barbarorum insecuti erant; transactoque iam mense, cum nullus ab ipsis nuntius adveniret, consternatis omnibus, iamque de civium suorum salute desperantibus, Franciscus in ipsa conflictus hora, classium congressum ac insignem christianorum victoriam, haud secus ac si praesens esset, in concione narraverat; ac diem, quo tantae rei nuntius adventurus esset, praedixerat. Quae omnia, cum ingenti omnium admiratione, eo ipso quo designaverat tempore, certis nuntiis approbata fuerant.

Cumque duae naves eodem tempore e portu solvissent, praedixerat Franciscus, suborta magna in navi tempestate, alteram naufragium passuram; alteram vero, et in hac ipse reperiabatur, extra omne maris periculum in navali dissolvendam; quam praedictionem utriusque exitus comprobaverat, cum alterius fragmen-

ta non multo post conspecta fuissent, altera vero, multis tute peractis itineribus, cum, publicato vaticinio, sancti Patris navis vocaretur, ac, ubicumque appelleret, cum plausu exciperetur, demum post multos annos in navali, ut reficeretur subducta, sponte corruerat.

Grassante quoque pestilentia in lusitanorum ac hispanorum classibus, quae ad Amboinam insulam appulerant, cum sanctus vir aegrotis de more ministraret, a Joanne de Arausio, ut vinum sibi ad eorum usum elargiretur, petierat; quod Arausius gravatim, timens ne sibi deesset, miserat; quem Dei servus admonuerat ut in charitatis operibus largior esse vellet: brevi etenim fore, ut vita defungeretur, eiusque omnia bona in usus pauperum cederent. Cumque post non multum temporis spatium, ad Ternatem insulam, quae ducentis amplius milliaribus a loco distabat, adventasset, ac missae sacrificium celebraret, versus ad populum: orate, dixerat, pro anima Joannis de Arausio, qui modo exspiravit. Stupentibus omnibus, post duodecimum demum diem supervenerat qui visionem sancti viri verissimam fuisse, nuntiata Arausii morte, declaraverat.

Mercatori cuidam, Meliapore discessuro ac munusculum aliquod tanquam benevolentiae signum a se postulanti, servus Dei B. Mariae Virginis coronam precariam e collo detractam elargitus erat, affirmans fore ut, quandiu illam penes se haberet, ab omni maris periculo incolumis esset evasurus. A portu itaque mercator solvens, naufragium fecerat; cumque in tabulata, ex lignis raptim composita, cum nonnullis aliis vectoribus exsiliisset, et in alto mari, alienato a sensibus animo, visus esset sibi cum ipso servo Dei Francisco in eo loco, in quo coronam precariam praedictam acceperat, colloqui, quinto demum die, ex quo desilierat in illa tabulata, ab ea animi exstasi, velut ab alto somno experrectus, cum neque tabulata, neque socii umquam comparuissent, in littore Negapatani prope Meliaporem salvum et incolumem se repererat.

Petro Vellio autem, qui summa voluntate in quoddam charitatis opus pecuniam viro Dei elargitus fuerat, promiserat fore ut numquam ei necessaria deesent, ac mortis horam divinitus prae-

cognosceret; quorum utrumque acciderat. Nam, quamvis Petrus maxima perpessus esset rei familiaris detrimenta, semper tamen ab omnibus summam liberalitatem expertus erat, ac transactis demum multis annis, revelata sibi mortis hora, se in ecclesia in feretro composuerat, auditaque missa ac precibus, quas pro animae suae salute recitari iusserat, ibidem statim in pace obdormiverat.

Demum vir Dei, consummato feliciter peregrinationis suae cursu, fama sanctitatis clarus et bonis operibus plenus, cum ei benedictionem patriarchae Abrahae Dominus spiritualiter elargitus esset, ut multarum gentium pater efficeretur, et filios, quos Christo Jesu genuerat, super stellas coeli et super arenam, quae est in littore maris, multiplicatos videret, et ex eis plurimos proprio sanguine laureatos ad coelestia regna praemisisset: orientalium Indiarum apostolus ab universis Indiae regnis totoque christiano orbe appellatus, dum aditum evangelio in vastissimo Sinarum imperio quaerebat, assiduis laboribus, quos ultra humanas vires pro gloria Dei toleraverat, confractus, in insula prope Sinas, die secundo Decembris anni Domini MDLII, ad coelestem gloriam, perpetuo cum Deo regnaturus, evolaverat. Defuncti corpus viva calce perfusum, ut exesa carne ossa in Indiam exportarentur, inclusumque arca lignea sepultum fuerat; quod post quatuor menses effossum, ita recens ac tractabile, vestimentisque adeo integris, ac si nuper esset tumulatum, repertum exstiterat. Et quamvis nullo odoramentorum genere curatum fuisset, divino tamen munere eam odorum fragrantiam spirabat, ut esset super omnia aromata. Calce itaque rursus iniecta, Malacam, quae in orientali India urbs est celeberrima, delatum exstiterat. In qua, cum saevissima pestis plurimos quotidie conficeret, ingenti beneficentia adventum eius Deus insigniverat. Nam sacro corpore in urbem illato, adeo omnis contagio desierat, ut ea deinceps nullus omnino correptus fuisset. Arca itaque rursus aperta, integrum, sicut antea, eamdemque odoris suavitatem diffundens, repertum etiam fuerat. Cumque in novo loculo conderetur, ex humero, ob arculae brevitatem paulum compresso, recens sanguis effluxerat. Nono demum post obitum mense, sepulcro iterum

patefacto, rursus ut antea divina virtute a corruptione immune ac coelestibus perfusum aromatibus inventum, velo, quo facies eius operta fuerat, ob ingestae terrae pondus, recenti cruore consperso. Nova itaque arca, sericea aureaque veste contecta, pretiosissimum pignus inclusum, in Indiam ac Coccini portum delatum erat, confluentibus undique ad honorandum communis in Christo Iesu parentis corpus, plurimis earum gentium populis. Inde Goam insigni celebritate translatum, a prorege ac omnibus civium ordinibus maxima frequentia ac devotione exceptum, et in ecclesia Societatis Iesu, ut populorum devotioni satis fieret, validis cancellis inclusum, omnium oculis per triduum expositum remanserat; eiusdemque proregis iussu ab insigni medico, deindeque a vicario goano visitatum ac pertentatum, omni ex parte incorruptum, integris etiam intestinis compertum fuerat, manante etiam ex parvo inflicto vulnere recenti cruore.

Quo tempore, cum mulier quaedam affectu devotionis incitata, specie osculantis, pedis digitum, ut illum abscinderet, morsu apprehendisset, statim sanguis effluxerat. Sed Altissim benignitas non his modo mirabilibus sanctum suum in conspectu omnium populorum mirificaverat; sed omni tempore ingentia praestabat beneficia his, qui eius intercessionem fideliter implorabant: ut plurimis exemplis, praesertim vero infra insertis, manifestum erat.

Puer quidam Goae natus, qui utrumque pedem a nativitate adeo aridum et crura sicca habebat, ut illis non posset insistere, sed manibus reptare cogeretur, ad servi Dei sepulcrum ab educatrice perductus, singulis novem diebus visitare statuerat. Cumque votum coepisset adimplere, tertia iam die, qua sepulcrum visitabat, puer in eius gremio exsistens, repente ferream sepulcri cratem manibus apprehendens, suis exstare pedibus et ambulare coeperat, et statim omnino sanus evaserat; et intra novem dies quos promiserat, crura carne repleta fuerant, et sic semper valens et sanus deinde vixerat.

Cottatae, Indiae orientalis civitate, unius mensis infans mortuus ad sepulturam delatus erat. Voverant itaque cum ingenti fide parentes, se insigne donum, si puer reviveret, sepulcro ser-

vi Dei oblaturos, ac Francisci nomem ei impositurosque. Repente infans aperire oculos, brachia pedesque movere ac vagire coeperat; ac paulo post non vivum modo, sed et omnino sanum atque incolumem filium receperant; redditisque cum ingenti gaudio votis, tan insigne miraculum per totam illam regionem divulgarant.

In eadem urbe caeco cuidam sanctus per quietem apparuerat, eumque monuerat, ut ad ecclesiam eius visitandam, oculorum lumen ibi recepturus, pergere non differret. Paruerat fideliter homo; ac, dum per novem dies ante Francisci imaginem orabat, repente, discussa omni caecitatis caligine, sanatus erat et perfecte viderat.

Quin etiam leprosus quidam in eodem loco magna fiducia ad sancti intercessionem confugerat; proprioque corpore, oleo lampadis, quae ad eius imaginem ardebat, peruncto, dum prostratus orabat, repente a lepra mundatus atque omnino sanus effectus erat.

Eamdem virtutem experta erat Francisca Rebelles, quae a multo tempore sanguinis fluxum ac ventris tumorem cum ingenti dolore patiebatur. Lampadis enim, ante eius imaginem pendentis, identidem se oleo ungens, statim adeo perfecte convaluerat, ut nullas amplius eorum morborum sensisset reliquias. Frequenter enim acciderat, ut lampades ad eamdem servi Dei imaginem appensae, aqua tantum benedicta infusa, haud secus ac si oleo plenae essent, arderent lucerentque: stupentibus etiam infidelibus, quos ad tantae rei miraculum conspiciendum, non sine magno fidei nostrae incremento christiani invitabant.

Cum frustra omnes medicae artis opes expertus esset Gundisalvus, coccinensis civitatis incola, ut inveterato cancri morbo, qui pectus eius assiduis doloribus vexabat, mederetur, ad divinam opem conversus, omnipotentis Dei misericordiam, ut se B. Francisci meritis sanum faceret, imploraverat. Imaginem igitur eius aere excusam ulceri applicaverat, eodemque momento ab omni plaga incolumis evaserat.

Eiusdem urbis civis Emmanuel Rodríguez pedes habebat ulceribus plenos et ob nervorum contractionem adeo debiles, ut

illis insistere non valeret: quibus malis gravis et periculosa dysenteria accesserat. Medicis itaque de eius vita diffidentibus, cum ad intercessionem famuli Dei Francisci aeger confugisset, eadem imagine corpus suum in formam crucis signaverat, et aquam, in qua eadem mersa fuerat, ebiberat; talemque divinae virtutis senserat effectum, ut intra tridui tempus ab omnibus morbis incolumis integram consecutus fuisset sanitatem.

Eiusdemmet servi Dei imaginis praesentem agnoverat virtutem Maria Diaz; septem etenim annis caecitatem ac paralysim perpessa, signum crucis debilitatis membris impresserat, eaque eiusdem imaginis immersione aqua sanctificata laverat; necdum septem praeterierant dies, cum oculorum lumen, ac totius corporis coelesti dono acceperat incolumitatem.

Hincque factum erat, ut cum tot tantisque signis servum suum omnipotens Deus in brachio excelso clarificaret, et per universum iam terrarum orbem tot mirabilium praeconia longe lateque diffunderentur, ac propterea non solum Christi fidelium erga ipsum devotio magna susciperet incrementa, sed multorum etiam infidelium corda ad cognoscendum Deum et Dominum nostrum Iesum Christum illuminarentur, Ioannes, Lusitaniae rex praedictus, zelo devotionis accensus, institerat, ut a diversis locorum ordinariis super eius sanctitate et miraculis processus fierent. Qui cum diligenter munus suum explevissent, ac procedentibus temporibus omnia acta ad hanc sanctam sedem trasmissa fuissent; recol. mem. Paulus Papa V, etiam praedecessor noster, tunc suus, instante pro servi Dei canonizatione etiam clarae mem. Philippo III, Hispaniarum rege catholico, deputavit bonae mem. Horatium Lancellottum, tunc Rotae auditorem, eoque ad cardinalatus honorem sublimato, dilectum filium magistrum Ioannem Baptistam Coccinum eiusdem Rotae decanum, et pariter bonae mem. Franciscum Sacratum, tunc archiepiscopum damascenum et auditoris Rotae locum tenentem, ac deinde S. R. E. cardinalem: qui et antiquos processus examinarent, et novos auctoritate apostolica faciendos, quatenus ipsis videretur, decernerent, atque omnia eidem Paulo praedecessori una cum eorum sententia referrent. Qui litteras remissoriales ad diversos praelatos in I.

niarum, Lusitaniae ac Indiarum regnis constitutos decreverant, atque ipsi interim in curia novos testes examinarant. Cumque praedicti iudices partibus suis perfuncti essent, eisdem auditoribus processus a se confectos transmiserant. Qui omnibus summa cum maturitate per plurimum temporis spatium, ut negotii gravitas postulabat, consideratis ac perpensis, eidem Paulo praedecessori retulerant, iuxta canonicarum sanctionum decreta, abunde constare de vitae sanctimonia ac eximiis virtutibus servi Dei Francisci, deque miraculis, quae tam eo vivente, quam post felicem eius obitum, eius meritis et intercessionibus Deus omnipotens operari dignatus erat; dignumque videri, si eidem placeret, ut in SS. confessorum catalogo adscriberetur. Cumque interim praedictus Paulus praedecessor, humanitatis debitum persolvisset; et praedictus Gregorius praedecessor ad sacri apostolatus apicem divina providentia assumptus fuisset; ac pro parte charissimi in Christo filii nostri, tunc sui, Philippi III, Hispaniarum regis catholici, instanter requisitus esset ut negotium huiusmodi promovere ac ad ulteriora procedere dignaretur, accederentque aliorum principum et praelatorum, et totius Indiae cleri, idem suppliciter exposcentium, preces, praedictus Gregorius praedecessor, ut in re tam gravi ea, qua decebat, maturitate progrederetur, praedictorum auditorum relationem ad S. R. E. cardinales sacris ritibus praefectos, ut rursus totum negotium quam diligentissime discuterent, remisit.

Quod cum illi accurate perfecissent, ac pro servi Dei canonizatione omnes unanimiter censuissent, bonae mem. Franciscus Maria episcopus portuen., S. R. E. cardinalis de Monte nuncupatus, totius processus summam, et suam collegarumque sententiam, coram dicto Gregorio praedecessore, et venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, S. R. E. cardinalibus, de quorum numero tunc eramus [2], in consistorio suo secreto exposuit. Quibus auditis, reliqui cardinales ad ulteriora fore procedendum, communi suffragio pronuntiarunt. Igitur cum in publico consistorio quondam Iulius Zambeccarius, tunc aulae consistorialis advoca-

[2] Nimirum, cardinalis Maphaeus Barberinus. Cf. n. 45, annot. 16; cf. et n. 44.

tus, plurima de huius servi Dei vita et virtutibus enarrasset, atque eiusdem Hispaniarum regis catholici preces pro eadem canonizatione exposuisset, utque ad eam procedere dignaretur humiliter supplicasset, dictus Gregorius praedecessor, praedicti regis pietatem et religionis zelum plurimum in Domino commendans, super re tanta eosdem S. R. E. cardinales atque episcopos in romana curia praesentes consulendos esse respondit. Atque interim cardinales et episcopos praedictos intimo cordis sui affectu vehementer in Domino hortatus est, ut in omni humilitate et lacrymis, in ieiuniis et eleemosynis exposcerent ab eo, qui est via et veritas, ut dirigire dignaretur gressus suos in semitis suis, ut ingrederetur in veritate sua, ut quod beneplacitum esset in conspectu eius, intelligere et perficere eo auxiliante valeret. Sequenti itaque semipublico consistorio [3], ad quod non cardinales modo, sed etiam patriarchas, archiepiscopos, atque episcopos in curia praesentes convocari mandavit; praesentibusque etiam sedis apostilicae notariis, necnon sacri palatii apostolici causarum auditoribus, cum plurima de egregia viri Dei Francisci Xaverii vita ac miraculis enarrasset; quanta insignis hic Dei servus pro nomine Domini nostri Iesu Christi pertulisset, quantoque cum proventu, Domino incrementum dante, per incognitas nationes verbum eius disseminasset, exposuisset; commemoratis etiam instantiis, quae coram dicto Gregorio praedecessore, tum a rege catholico, tum ab aliis etiam reipublicae christianae regibus et principibus fiebant: cum singulorum sententias requisisset: omnes uno ore benedicentes Deum, qui honorificantes se glorificat, servum eius Franciscum Xaverium canonizandum esse, atque inter SS. confessores adscribendum censuerunt. Quorum omnium audito consensu, exsultavit in Deo salutari nostro, gratias agens ei, qui est gloria virtutis nostrae, in cuius beneplacito contra omnes adversarias potestates exaltatur cornu nostrum, qui Ecclesiam suam in diebus istis hoc lumine illustrare ac novo patrocinio munire dignatus esset. Canonizationis itaque publicavit diem infra scriptum; eosdemque fratres et filios nostro paterna charitate mo-

[3] Vide n. 45.

nuit, ut bonis operibus inhaerentes, precarentur Deum misericordiarum, ut super eos sereno vultu respicere, et eorum actiones ad voluntatem eius perficiendam dirigere dignaretur.

Demum, peractis omnibus, quae ex sacris constitutionibus ac romanae ecclesiae consuetudine peragenda erant, quarto idus Martii [4], pontificatus sui anno secundo, in sacrosancta principis apostolorum basilica, cum eisdem cardinalibus, nec non patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, romanae curiae praelatis, officialibus et familiaribus suis, clero saeculari et regulari, maximaque populi frequentia convenit. Ubi repetitis pro canonizationis decreto, nomine eiusdem charissimi in Christo filii nostri Philippi, Hispaniarum regis catholici, a dilecto filio nostro, tunc suo, Ludovico tituli S. Mariae Transpontinae cardinale Ludovisio nuncupato, eius secundum carnem nepote, per Iulium Zambeccarium, advocatum praedictum petitionibus, decantatis sacris precibus ac litaniis, et Spiritus Sancti gratia humiliter implorata, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ac fidei catholicae exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ac BB. Petri et Pauli apostolorum, ac sua, de eorumdem S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in romana curia praesentium consilio ac unanimi consensu, gloriosae mem. Franciscum Xaverium, de cuius vitae sanctitate, fidei sinceritate, ac miraculorum magnitudine ac frequentia plene constabat, sanctum esse definivit, et in sanctorum confessorum catalogo adscribendum esse decrevit, et adscripsit; illumque ab universis Christi fidelibus, tamquam vere sanctum honorari ac venerari mandavit.

Ac ut ab universali Ecclesia in eius honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari et consecrari; et singulis annis die secundo Decembris, qua ad coelestem gloriam vocatus est, eius officium, ut de sancto confessore, ad praescriptum romani breviarii celebrari posse, statuit.

Eademque auctoritate omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui singulis annis eodem festo die ad se-

---

[4] Cfr. n. 46, IV, cum annot. 4.

pulcrum, in quo corpus eius requiescit, visitandum accederent, unum annum et unam quadragenam; iis vero qui in eiusdem festi octava, quadraginta dies de iniunctis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

Postremo gratiis Deo cum exultatione actis, quod sanctum suum in conspectu omnium gentium honorificasset, ac tam insigni splendore Ecclesiam suam decorasset, cantata in S. Francisci honorem solemni sanctorum confessorum oratione, ad altare principis apostolorum missam celebravit cum eiusdem sancti confessoris commemoratione; omnibusque Christi fidelibus praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam elargitus est.

Ne autem de definitione, decreto, adscriptione, mandato, statuto, relaxatione, aliisque praemissis, pro eo quod super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae, eius superveniente obitu, confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, volumus, et apostolica auctoritate decernimus, quod definitio, decretum, adscriptio, statutum, relaxatio, impartitio, aliaque praemissa a dicta die, quarto idus Martii, suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae sub datum eiusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes litterae ad probandum plene definitionem, decretum, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem et alia praemissa ubique sufficiant; nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Caeterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCXXIII, octavo idus Augusti, pontificatus nostri anno primo.

✠ EGO URBANUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS

✠ Ego Dominicus tit. S. Laurentii in Lucina, Presb. Card. Ginnasius.

✠ Ego M. [5] tit. SS. Quirici et Iulittae, Presb. Card. Lantes.

✠ Ego P. [6] tit. SS. Nerei et Achillei, Presb. Card. Crescentius.

✠ Ego A. [7] tit. S. Petri in vinculis, Presb. Card. Capponius.

✠ Ego G. [8] tit. S. Crucis in Ierusalem Presb. Card. Borgia.

✠ Ego Tib. [9] tit. S. Priscae, Presb. Card. Mutus.

✠ Ego Rob. [10] tit. S. Alexii, Presb. Card. Ubaldinus.

✠ Ego Iulius tit. S. Sabinae, Presb. Card. Sabellus.

✠ Ego Guido tit. S. Mariae de Populo, Presb. Card. Bentivolus.

✠ Ego Iulius tit. S. Mariae super Minervam, Presb. Card. Roma.

✠ Ego F. Desiderius [11] tit. S. Clementis, Presb. Card. de Cremona.

✠ Ego Cosmus tit. S. Pancratii, S. R. E. Card. de Torres.

✠ Ego C. [12] S. Nicolai in Carcere, Diacon. Card. Pius.

---

[5] Marcellus.
[6] Petrus Paulus.
[7] Aloisius.
[8] Gaspar.
[9] Tiberius.
[10] Robertus.
[11] Fr. Desiderius Scalia, O. P., cremonensis.
[12] Carolus

✠ Ego Hippolytus S. Mariae Novae, Diacon. Card. Aldobrandinus, S. R. E. Camerarius.

✠ Ego A. [13] S. R. E. Diac. Card. de la Cueva.

## 51

## DE CULTU SANCTI FRANCISCI XAVERII

### DIPLOMATA NONNULLA

### I. URBANUS VIII. — 22 DECEMBRIS 1638 [1]

*De festo S. Xaverii incidente in dominicam adventus.*

Vrbanvs papa VIII, ad fvtvram rei memoriam.—Alias felicis recordationis Gregorius papa XV, praedecessor noster, omnibus et singulis praesbyteris et clericis Societatis Iesu, ac aliis vtriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Societatis ubique existentibus in festo sancti Francisci Xauerii deuote visitassent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit, prout in literis desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut praepositus generalis dictae Societatis nobis nuper exponi fecit, festum Sti. Francisci Xauerii praedicti quandocumque in dominicam primam adventus incidat, cupiatque propterea illud in aliam nobis beneuisam diem, ut infra transferri, nos, ad augendum eorum praesbyterorum, aliorumque utriusque sexus christifidelium, deuotionem, et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, quotiescumque de caetero festum huiusmodi in dictam primam dominican aduentus inciderit, celebrationem festi huiusmodi in unum ex diebus infra octavam festi praedicti Sti. Francisci, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo transferimus; iisdemque presbyteris, ac aliis christifidelibus praedictis, aliquam ex di-

---

[13] Alphonsus.

[1] Ex Romae typis edito exemplo (quod intellige et de tribus sequentibus). Cf. annot. 11, 3.

ctis ecclesiis Societatis huiusmodi visitantibus et praemissa peragentibus, die in quam celebrationem festi huiusmodi transferri contigerit, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.—Dat. Romae apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die XXII Decembris MDCXXXVIII, pontificatus nostri anno decimosexto.—M. A. MARALDUS.—*Loco ✠ annuli piscatoris.*

## II. SACRA RITUUM CONGREGATIO.—28 APRILIS 1663

*Officium divinum in honorem S. Xaverii, universae Ecclesiae praescribit.*

Decretum.—Romana.—Eminentissimi domini sacrorum rituum congregationi praepositi censuerunt, ab omnibus Christi fidelibus, tum secularibus, tum regularibus, qui ad horas canonicas persolvendas tenentur, in posterum officium sancti Francisci Xauerii Societatis Iesu, de Ecclesia catholica late per Orientem evangelio propagato optime meriti, recitandum tertia Decembris, sub ritu semiduplici confessoris non pontificis, si ita sanctissimo visum fuerit. Sanctitas sua, relatione sibi facta, benigne annuit, et executioni mandandum statuit.—Die 28 Aprilis 1663.—I. EPISC. SABINEN. CARD. SACCHETTUS.—*Loco ✠ sigilli.*—BERNARDINUS CASALIUS, *Sac. Rit. Congreg. Secr.*—Gratis etiam quoad scripturam.

## III. ALEXANDER VII.—18 JULII 1663

*Translato festo S. Xaverii, transferuntur et indulgentiae.*

Alexander papa VII, ad perpetvam rei memoriam.—Cum, sicut accepimus, alias foelicis recordationis Gregorius papa XV

praedecessor noster, volens omnes et singulas ecclesias presbyterorum Societatis Iesu vbique existentes aliquo spirituali munere illustrare, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisus, omnibus et singulis vtriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus, et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex dictis ecclesiis presbyterorum Societatis Iesu vbique existentes in sancti Ignatii vltima Iulii, ac sancti Francisci Xauerii secunda Decembris mensium celebrari solitis festis diebus, a primis vesperis vsque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis deuote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino perpetuo concessit, prout in eiusdem Gregorii praedecessoris litteris in simili forma breuis, die VIII mensis Iunii MDCXXII desuper expeditis, quarum te nor praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, vberius continetur; cum autem sicut praedicti presbyteri Societatis Iesu nobis nuper exponi fecerunt quod officium et festum praedicti sancti Francisci Xauerii die secunda ad tertiam diem mensis Decembris apostolica auctoritate per nos translata sint; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt praedicti presbyteri Societatis Iesu, vt indulgentias et peccatorum remissiones a praedicto Gregorio praedecessore ecclesiis presbyterorum Societatis Iesu huiusmodi die festo eiusdem sancti Francisci Xauerii die secunda mensis Decembris vt praefertur celebrari solitis concessas, ad tertiam diem eiusdem mensis Decembris etiam transferre, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem presbyteros Societatis Iesu spiritualibus fauoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, indulgentias et peccatorum remissiones a praedicto Gregorio praedecessore ecclesiis presbyterorum Societatis Iesu die festo praedicti Francisci Xauerii, die secunda mensis Decembris singulis annis celebrari solitis, concessas, ad tertiam diem eiusdem mensis Decembris, seruata tamen in reliquis omnibus et singulis dicti Gregorii praedecessoris litte-

rarum huiusmodi forma, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo transferimus, et perpetuis futuris temporibus translatas esse decernimus, ita vt in posterum Christi fideles aliquam ex ecclesiis presbyterorum Societatis Iesu vbique existentium visitantes, indulgentias et peccatorum remissiones a praedicto Gregorio praedecessore alias concessas, non amplius secunda, sed tertia die mensis Decembris huiusmodi lucrabuntur. Non obstantibus eiusdem Gregorii praedecessoris litteris praedictis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non cancellariae apostolicae regulis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. Dat. Romae apud Stam. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die XVIII Iulii MDCLXIII, pontificatus nostri anno nono.—S. Vgolinus.—*Loco* ✠ *sigilli.*

## IV. SACRA RITUUM CONGREGATIO

### 22 septembris 1663

*Elogium S. Xaverii inserendum martyrologio romano.*

Formula die 3 Decembris imprimenda primo loco in martyrologio romano, ac legenda, annunciando festum Sti. Francisci Xaverii, Soc. Iesu, Indiarum apostoli, iuxta infrascriptum decretum Sac. Rit. congregationis.—Romana.—«In Sanciano, Sinarum insula, Sti. Francisci Xaverii e Societate Iesu, Indiarum apostoli, multitudine infidelium, quos convertit ad Christum, et magnitudine miraculorum, praesertim in suscitandis mortuis, et spiritu prophetiae toto orbe conspicui. Qui confectus laboribus pro fide susceptis, plenus meritis, obdormivit in Domino die secunda Decembris; eius tamen festum, iussu Alexandri papae VII, hac die celebratur».—Sacra Rituum congregatio supradictam formulam, qua festum Sti. Francisci Xaverii romano martyrologio die 3 Decembris inserendum est, mature perpensam approbavit, et in novis editionibus iuxta dispositionem eiusdem martyrologii, pri-

mo loco ac initio lectionis die 3 Decembris apponi mandavit, eo quia de eodem sancto ab ecclesia universali in posterum recitandum sit officium. Hac die 22 Septembris 1663.—M. EPISC. SABINENSIS, CARD. GINETTUS.—*Loco* ✠ *sigilli.*—BERNARDINUS CASALIUS, *Sac. Rit. Congreg. Secr.*

## V. INTERNUNCIUS PONTIFICIUS

### BRUXELLIS 14 NOVEMBRIS 1663 [2]

*Documentum superius,* II, *communicat rectori universitatis duacensis.*

Lettre de monseigneur le reverendissime et illvstrissime internonce apostoliqve a monsievr le rectevr magnifiqve et a la florissante vniversité de Douay, tovchant le cvlte et veneration de S. François Xavier, apostre des Indes.—Magnifice Domine. Crebrescentia in dies D. Francisci Xaverii miracula sanctissimum D. N. permouerunt, vt eius festum in omnibus ecclesiis 3 Decembris obseruari decerneret, dignum censens vt sanctum hunc virum, qui tot prouinciis ad euangelicae fidei veritatem perductis de catholica Ecclesia tam luculenter meritus est, quemque Dominus Deus tot signis tum in vita, tum ac magis post mortem illustrare voluit, publico in commune cultu veneremur. Hoc certe tempore quo res publica christiana tot bellis ac dissidiis agitatur, merito diuum hunc thaumaturgum orauerimus, vt in confractione stet ante conspectum Domini; quo placata eius intercessionibus diuina iustitia, quassatio cesset: quem in finem, operae pretium duxi exemplar tam missae quam officii de eodem indicti, hisce acclusum R.ae V.ae transmittere, quo accedente ipsius zelo, pia sanctissimi D. N. constitutio eo melius suum isthic sortiatur effectum. Interim R.ae V.ae fortunatissima quaeque animitus exopto. Bruxellis 14 Nouembr. 1663.—Mag.cae D. V.—Addictissimus et officiosissimus.—H.s Abb. M.s R. [3].

---

[2] Ex typis dato Duaci exemplo.

[3] Adduntur hic elogium inserendum martyrologio romano (vide IV), et oratio propria S. Xaverii; in altera columna, utriusque, et epistolae supra positae, versio gallica apponitur; tum concludit:

## VI. CLEMENS X.—14 junii 1670 [4]

*Officio divino in honorem S. Xaverii ritus duplex assignatur.*

Clemens Papa X, ad perpetuam rei memoriam.—In eminenti principis apostolorum sede, meritis licet imparibus, divina disponente clementia, constituti, muneris nostri esse arbitramur, ut sanctorum in caelis regnantium, illorum praecipue, quibus annunciantibus, evangelicae praedicationis sonus usque ad extremos orbis terrarum fines penetravit, cultum et venerationem in terris, quantum nobis ex alto conceditur, augere sattagamus. Itaque, pro peculiari nostra erga S. Franciscum Xaverium, Societatis Iesu, qui, apostolicis charismatibus affluenter decoratus, nouarum gentium apostolus, unanimi totius christiani orbis consensu meruit appellari, deuotione, eius venerationem condignis honorum incrementis ampliare cupientes, auctoritate apostolica tenore praesentium iubemus, ut eius officium, de mandato felicis recordationis Alexandri papae VII praedecessoris nostri in kalendario romano sub ritu semiduplici appositum, in posterum sub ritu duplici de praecepto in eodem apponatur, ab omnibus qui ad horas canonicas tenentur, tum saecularibus, tum regularibus utriusque sexus, ubique de praecepto recitandum. Non obstantibus consti-

---

Disticha Romae inscripta labaro canonizationis SS. Conf. Ignatii et Xaverii.

SVNT PLVRIMA, ET SVNT MAXIMA
XAVERII MIRACVLA;
IGNATII MIRACVLVM
EST MAXIMVM: XAVERIVS

Simul vero cum hoc documento exstat Bruxellis in bibliotheca regia, *Mss.*, n. 8963, quod sequitur: Festum sancti Francisci Xaverii confessoris Societatis Iesu, sub ritu duplici perpetuo celebrandum in Dioecesi Hispalensi, die secunda Decembris; ex concessione SS. D. N. D. Urbani Papae VIII.—*Missa,* Os Iusti, *de communi Confes. non Pontific. praeter sequentes orationes approbatas a foelic. recordat. Greg. XV P. M.*

[Ponuntur hic oratio, secreta et postcommunio; tum sequitur:]

Officivm *duplex de eodem commu. Confess. non Pontif.—Oratio propria:* Deus qui glorificantes, etc. *Ut supra.—Ad Matut. in 1 Noct. lec.* Iustus si morte, etc.—*In 2., lect.* Beati N. dies.—*In 3. Noct. Homil. in Euang.* Sint lumbi vestri, etc.—*Et festum S. Bibianae transfertur.*

[4] De exemplari typis excuso Romae; id quod etiam intelligendum de duobus sequentibus.

tutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis, vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae, munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Dat. Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die XIV Iunii MDCLXX, pontificatus nostri anno primo.—I. G. SLUSIUS.

## VII. SACRA RITUUM CONGREGATIO.—9 OCTOBRIS 1670

*De lectionibus recitandis in 3.° nocturno officii S. Xaverii.*

Apponenda sequentia verba in Breviario die 3 Decembris festi sancti Francisci Xaverii post tertiam Lectionem 2 Noct.—In tertio nocturno.—Lectiones ex Homilia S. Gregorii in euangelium: Euntes in mundum universum; quae habentur in festo SS. Cyriaci, Largi, et Smaragdi, die 8 Augusti.—Sacra Rituum congregatio, habita die 7 Octobris currentis, ad enixas preces eminentissimi D. cardinalis Sfortiae, referente eminentissimo D. cardinali Azzolino, supradictam missam Sti. Francisci Xaverii Societatis Iesu, Indiarum apostoli, ex praecepto celebrandam a sacerdotibus, tam saecularibus quam regularibus; necnon supra assignatam homiliam pro tertio nocturno officii, ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, tum saecularibus, tum regularibus utriusque sexus, etiam de praecepto recitandam, censuit posse approbari, ac in missali, et breuiario romano respectiue apponi et imprimi, si sanctissimo visum fuerit. Et facta de praedictis sanctissimo relatione per me secretarium, sanctitas sua benigne annuit, et sensum eiusdem sacrae congregationis confirmauit et approbauit. Hac die 9 Octobris 1670.—M. EPISC. PORTUENSIS, CARD. GINETTUS.—*Loco ✠ sigilli.*—BERNARDINUS CASALIUS, *Sac. Rit. Congr. Secr.*

## VIII. SACRA RITUUM CONGREGATIO.—15 decembris 1691

*Officium votivum in honorem S. Xaverii, Patribus S. J. in Indiis occidentalibus concedit.*

Societatis Iesu.—Indiarum occidentalium.—Sacrorum Rituum congregatio ad preces PP. Societatis Iesu prouinciarum Indiarum occidentalium per P. Ioannem Caneda, earumdem provinciarum et assistentiae Hispaniae procuratorem in Urbe porrectas, benigne concessit, ut iidem oratores, qui ad horas canonicas tenentur, in posterum recitare, et respectiue celebrare possint officium et missam de S. Francisco Xaverio, eiusdem Societatis, Indiarum apostolo, sub ritu semiduplici semel in hebdomada, die alio officio duplici vel semiduplici non impedita, exceptis tamen diebus adventus et quadragesimae, ad instar concessionis alias factae ab ipsa sacra congregatione, sub die 4 Decembris 1688, pro Patribus praefatae Societatis Indiarum orientalium provinciae goanae. Die 15 Decembris 1691.—Et facta de praedictis sanctissimo D. N. Innocentio papae XII per me secretarium relatione, sanctitas sua annuit. Die 29 eiusdem mensis Decembris et anni 1691.—A. cardinalis Cybo.—*Loco ✠ sigilli.*—I. Vallemanus, *Sac. Rit. Congr. Secr.*

## IX. SACRA RITUUM CONGREGATIO.—30 martii 1697 [5]

*Privilegium modo dictum, toti assistentiae Hispaniae conceditur, semel vero tantum in mense usurpandum.*

✝

[Petitio].—Eminentissimi et reverendissimi domini.—Patres Societatis Jesu, prouinciarum Europae assistentiae Hispaniae, EE. VV. devotissimi oratores, reverenter exponunt quod, cum ipsi non minus quam Patres eiusdem Societatis provinciarum Indiarum occidentalium eiusdem assistentiae, sub speciali tutela ac patrocinio Sti. Francisci Xauerii, Indiarum apostoli,

---

[5] Petitio, ex apographo, Romae in «Archivio di Stato».—*Canonizaciones, caxon 15.°*, unico folio; concessio autem, typis mandata Romae.

sint, imo ob eius ortum, non minoris devotionis vinculo constricti, humillime supplicant EE. VV. vt ipsos etiam participes facere dignentur indulti, ab hac sacra congregatione concessi Patribus Indiarum occidentalium eiusdem assistentiae die 15 Decembris 1691, ad eiusdem sancti operam frequentius ac maiore cum fiducia implorandam, vt semel in hebdomada officium ac missam praedicti sancti recitare ac celebrare possint, die alio officio duplici aut semiduplici non impedita, exceptis tamen feriis temporis adventus et quadragesimae. Et Deus etc.—*A tergo.* Sacrae Rituum congregationi. Pro extensione indulti concessi Patribus Soc. Jesv Indiarum occidentalium assistentiae Hispaniae, recitandi officium Sti. Francisci Xauerii, ad Patres Hispaniae eiusdem assistentiae.

[CONCESSIO].—Societatis Iesu.—Assistentiae Hispaniae.—Sacrorum Rituum congregatio ad supplices preces PP. Societatis Iesu assistentiae Hispaniae per Patrem Ioannem Irigoyen assistentiae Hispaniae procuratorem in Urbe porrectas, et ab eminentissimo et reverendissimo domino cardinale de Iudice relatas, benigne indulsit atque concessit ut iidem oratores semel in mense, prima die non impedita, necnon vigiliarum diebus ac adventus et quadragesimae temporibus exceptis, officium recitare, missamque de sancto Francisco Xauerio sub ritu semiduplici celebrare possint et valeant. Romae 30 Martii 1697.—A. CARD. CYBO.—*Loco ✠ sigilli.*—B. INGHIRAMI, *Sac. Rit. Congr. Secr.*

## X. PRAEPOSITUS PROVINCIAE BAETICAE S. J.

HISPALI 29 JANUARII 1704 [6]

*Rectorem granatensis collegii S. J. monet de facta a Clemente XI concessione quod ad festum S. Xaverii.*

†

Pax Xpti. etc. Nuestro santísimo Padre Clemente XI se a dignado de hacer a la Compañía nueua gracia en orden al culto y celebración de la fiesta de S. Francisco Xauier; porque, auien-

[6] Ex originali apud nos asservato, unico folio. Cf. vero annot. 11, 14.

do concedido la santidad del papa Gregorio XV por su breue de 8 de Junio de 1622 el jubileo ó indulgencia plenaria para el día 2 de Diciembre, en que la dicha fiesta se hacía entonces; y después auiendo la santidad de Vrbano VIII por sus letras de 22 de Diciembre de 1638 transladado la dicha fiesta con la misma indulgencia á cualquiera de los días infraoctauam de ella quando caiese la dominica 1.ª aduentus en el dicho día 2 de Diciembre; y auiendo después la santidad de Inocencio X, en letras de 21 de Octubre de 1651, man[da]do que, en el dicho caso de incidencia de dicha fiesta en la sobredicha dominica, su çelebración se transfiriese á la feria 2.ª inmediate siguiente con la indulgencia sobredicha; y auiendo finalmente la santidad de Alexandro VII, en sus letras de 18 de Julio de 1665 [a] transladado la dicha fiesta con su indulgencia al día 3 de Diciembre para que en él se celebrase perpetuamente, sin hacer mención del caso de incidencia sobredicha, se dudó si, en orden á dicha indulgencia permanecía el decreto y sanción de la santidad de Inocencio X, ó si deuía estarse al decreto último de Alexandro VII, de que podía naçer alguna diferencia en la dicha celebración y culto; y el Padre procurador general de nuestra Compañía, porque en toda ella aia vniformidad de rito, suplicó á nuestro santísimo Padre que, así para el año pasado [b] de 1702, como para todos los venideros, se dignase de determinar y declarar la inteligencia de dichos decretos en la dicha disposición de ser el día 3 de Diciembre el propio de dicha fiesta, de suerte que, quando la dominica 1.ª aduentus caiga en dicho día 3, se transfiera dicha fiesta [con] la indulgencia plenaria ó jubileo á la feria 2.ª inmediate sig[u]iente, que sería á 4 de Diciembre; y su beatitud por su declaración de 24 de Noviembre del dicho año pasado de 1702 así lo concedió, siendo estas las formales palabras de dicha declaración: «Sanctissimus declaravit seruandum esse breue sanctae memoriae In[n]ocentii X, non obstante breui sanctae memoriae Alexandri VII».—V. R. mande leer esta a su comunidad para que estemos todos en tan importante apreciable noticia; y para su duración haga que se tome

---

[a] *Sic; legendum* 1663. —[b] *Hic et infra, lege* antepasado.

cumplida raçón en el protocolo y en el libre de la sacristía de esse colegio; y que esta carta se guarde en el archiuo, çitando en dichos libros el legajo y gabeta de gracias y priuilegios en que se pusiere; y á mí me encomiende á nuestro Señor, que guarde á V. R. Seuilla 29 de Enero de 1704.—Muy siervo de V. R., FRANCISCO DE AZEUEDO.—*Inscriptio.* † Al P. Luis de Montesdoca, rector [de]l colegio de la Compañía de Ihs. Granada.—*A tergo, alia manu.* Quando S. Xavier caiere en domingo 1.° de adviento, que se traslade el jubileo al día siguiente con la celebridad de S. Xavier.—*Fragmentum cerae rubrae sigilli.*

## XI. BENEDICTUS XIII.—10 APRILIS 1726 [7]

*Officium votivum S. Xaverii conceditur asistentiae Germaniae.*

Decretum.—Societatis Jesu.—Assistentiae Germaniae.—Ad humillimas preces, nomine PP. Societatis Jesu assistentiae Germaniae, SSmo. Dno. N. Benedicto PP. XIII porrectas, sanctitas sua benigne indulsit, ut omnes supradicti Patres in Germania existentes, semel in mense die non impedita, et exceptis adventus, quatuor temporum, vigiliarum, et quadragesimae temporibus, officium Sti. Francisci Xaverii sub ritu semiduplici in posterum recitare, et missam respective celebrare valeant. Die 10 Aprilis 1726.—F. CARD. PAULUTIUS, *Praefectus.—Loco ✠ sigilli.*—N. M. TEDESCHI, Archiep. apamenus, *S. Rit. Cong. Secr.*

## XII. BENEDICTUS XIII.—22 FEBRUARII 1729 [8]

*Peragentibus exercitia quaedam in honorem S. Xaverii Granatae usurpata, indulgentia conceditur.*

Benedictus PP. XIII.—Vniuersis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui piis exercitiis, quae per aliquot dies continuos singulis annis in honorem sancti Francisci Xaverii in ecclesia collegii clerico-

[7] De exemplari typis excuso Romae.

[8] Ex manuscriptis nostris.

rum regularium Societatis Jesu ciuitatis granatensis fiunt, interfuerint, et ibidem ultimo die praedictorum exercitiorum sanctissimum eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in domino concedimus; praesentibus ad viginti quinque annos tantum ualituris. Volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum, detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die XXII Februarii MDCCXXIX, pontificatus nostri anno quinto.—Cardinalis Oliuerius.—Gratis pro Deo et scriptura.—Duplicatum.

## XIII. CLEMENS XII.—11 septembris 1734 [9]

*Altare privilegiatum in ecclesia granatensi, in honorem S. Xaverii.*

Clemens papa XII.—Ad futuram rei memoriam. Omnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini nostri Iesu Christi eiusque sanctorum suffragia meritorum consequi, et, illis adiutae, ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur ecclesiam collegii clericorum regularium Societatis Iesu civitatis granatensis, in qua aliud altare privilegiatum non reperitur concessum, et in ea situm altare sancti Francisci Xaverii hoc speciali dono illustrare, dummodo in dicta ecclesia quatuordecim missae quotidie celebrentur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis secularis vel regularis missam defunctorum in die commemorationis defunctorum, et singulis diebus intra illius octavam, ac in duabus feriis cuiuslibet hebdomadae per ordinarium designandis, pro anima cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniun-

[9] Typis mandatum.

cta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut, eiusdem Domini nostri Jesu Christi ac beatissimae virginis Mariae sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die XI Septembris MDCCXXXIV, pontificatus nostri anno quinto.—CARDINALIS OLIUERIUS.—Gratis pro Deo, etiam scriptura.

## XIV. BENEDICTUS XIV.—24 FEBRUARII 1748 [10]

*Indiarum patronus constituitur S. Xaverius, ejusque cultus amplificatur.*

Benedictus PP. XIV, ad perpetuam rei memoriam. Indiarum gentibus beati Francisci Xaverii Societatis Iesu, qui, apostolicis charismatibus affluenter decoratus, novarum gentium apostolus unanimi totius christiani orbis consensu meruit appellari, praedicatione et miraculis ex tot tamque dissitis regionibus catholicae Ecclesiae aggregatis, ut gloriosa ejusdem merita alacrius venerantes, et, relicta sibi quoque praeclara virtutum exempla ardentius imitantes, praesentissimum illius in coelis apud mirabilem in sanctis suis Deum sibi patrocinium certo polliceri valeant, ipsum sanctum Franciscum novis honorum incrementis colendum, novoque titulo in terris decorandum invocandumque, proponimus atque mandamus. Etsi autem pro singulari pietate, et incredibili erga res sacras, sacrosanctae religionis rationes et sanctorum reverentiam, zelo suo carissimus in Christo filius Ioannes, Portugalliae et Algarbiorum rex illustris, per dilectum filium Emmanuelem Pereira de Sampajo, militiae Iesu Christi commendatorem, ejusdem Ioannis regis negotiis apud nos et apostolicam hanc sanctam sedem expediendis praepositum, nobis supplicavit, ut tanti Indiarum apostoli cultum et venerationem in terris, quantum nobis ex alto conceditur, adaugere satagamus, ipsa tamen,

[10] Ex manuscriptis nostris; itemque sequutura.

in Sinarum maxime regno, in christifideles ibi degentes mota, atque in evangelicae praesertim praedicationis operarios saeviens persecutio, ut piis laudati Ioannis regis votis ac precibus paterna benignitate obsecundantes, id praestemus alacrius, vehementer urget et extimulat. Itaque ad majorem Dei laudem, divinique cultus augmentum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, sanctum Franciscum Xaverium patronum principaliorem ac protectorem Indiarum, quae numerantur a capite, Bonae Spei dicto, usque ad regna Sinarum et Iaponiae, eisque adjunctarum provinciarum, et adjacentium insularum, cum omnibus et singulis praerogativis, quae juxta breviarii et missalis romani rubricas sanctis patronis principalioribus et protectoribus competunt, habendum, invocandum et colendum esse statuimus, declaramus atque jubemus. Praeterea ut imposterum solemnis tanti patroni memoria, majori quam antea celebrabatur, pietate, ac debitis laudum praeconiis quotannis recolatur, volumus et omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, auctoritate et tenore paribus indulgemus atque mandamus, ut annua ipsius sancti Francisci Xaverii dies sub ritu duplici primae classis cum octava peragatur. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae, apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, die XXIV Fe-

bruarii MDCCXLVIII, pontificatus nostri anno octavo.—CAJETANUS AMATUS.

## XV. BENEDICTUS XIV.—29 JANUARII 1751.

*Pia praxis decem feriarum sextarum, in laudem S. Xaverii, gratiis cumulatur.*

Benedictus PP. XIV.—Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, in ecclesiis clericorum regularium Societatis Jesu pia erga sanctum Franciscum Xaverium, praesertim in decem feriis sextis ejusdem sancti festum immediate praecedentibus vel subsequentibus, devotio introducta fuerit, prout de praesenti etiam viget, nos ad eam confovendam, et ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Societatis Jesu in una ex praedictis feriis sextis, per eos ad sui libitum eligenda, devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; in reliquis vero feriis sextis hujusmodi eisdem christifidelibus, vere pariter poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, aliquam ex praedictis ecclesiis, ut supra, visitantibus, et ibidem orantibus, qua feria praedictarum id egerint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut, si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium, aliquid vel minimum detur, aut, sponte oblatum, recipiatur, praesentes nullae sint; quodque praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel

ostensae. Datum Romae apud Stam. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, die XXIX Januarii MDCCLI, pontificatus nostri anno XI. — Pro D. Card. Passioneo, Joannes Florius, *substitutus.—Loco* ✠ *sigilli.*—Ego Vincentius Erasmi, *Caus. Cur. Cam. Apost. Not.*

## XVI. BENEDICTUS XIV.—31 julii 1751.

*Visitantibus sepulchrum S. Xaverii, indulgentiam largitur.*

Benedictus PP. XIV.—Universis christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui ecclesiam clericorum regularium Societatis Jesu civitatis goanae, ad quam, ut asseritur, devotionis causa magnus christiani populi, et praesertim peregrinorum, fit concursus, in quocumque anni die devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, et sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam, semel dumtaxat per quemlibet christifidelem quolibet anno lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium, aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, die XXXI Julii MDCCLI, pontificatus nostri anno undecimo.—Gratis pro Deo, etiam scriptura. — Pro Domino Cardinale Passioneo, Joannes Florius, *substitutus.*

## XVII. BENEDICTUS XIV.

### 13 AUGUSTI 1751, ET 6 OCTOBRIS 1753.

*Xaveriani in Indiis cultus privilegia confirmantur atque amplificantur.*

Benedictus Papa XIV ad perpetuam rei memoriam. — Apostolicae procurationis ministerium, quod a supremo pastorum principe Jesu Christo per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam imbecillitati nostrae impositum est, et apostolicae providentiae ratio, jure ac merito a nobis exigit, ut, quae alias per nos ipsos etiam concessa, atque in aliis apostolicis nostris litteris, sive in simili forma brevis, sive sub plumbo expeditis, contenta sunt, eadem in unum conjuncta, quo non solum firmius subsistant, et serventur exactius, verum etiam tutius custodiantur, et omnia insimul universis nota fiant, de novo deinceps approbare, et supremo apostolicae auctoritatis nostrae praesidio, quatenus opus sit, munire, novoque pontificiae benignitatis documento vel commutare, vel extendere et ampliare, sive de novo etiam concedere non dedignemur. Alias nos sane dedimus, primum alias nostras in simili forma brevis literas tenoris sequentis:

[*Scilicet breve «Indiarum gentibus», datum die 24 Februarii 1748: supra,* **XIV**.]

Deinde alias nostras, in pari itidem forma brevis, literas tenoris qui sequitur:

[*Scilicet breve «Ad augendam fidelium», datum die 31 Julii 1751: supra,* **XVI**.]

Praeterea alias quoque in simili itidem forma brevis literas tenoris sequentis:

[*Scilicet breve «Cum sicut accepimus», datum die 29 Januarii 1751: supra,* **XV**.]

Insuper cum nobis humiliter porrectus fuisset supplex libellus tenoris, qui sequitur: «Beatissime Pater. In ecclesia Societatis Jesu civitatis goanae in Indiis situm est corpus sancti Francisci Xaverii; cumque in illis partibus dictum unicum sanctuarium sit, et ad quod omnes fideles veniunt pro aliqua a Deo obtinenda gratia: ideo, ad augendam fidelium devotionem, supplicatur humiliter sanctitas vestra pro indulgentia quadraginta dierum

acquirenda toties quoties quisque fidelis utriusque sexus dictum sanctuarium visitaverit. Et Deus etc.» Praeinserto hujusmodi supplici libello rescribendum mandavimus: «Ex audientia sanctissimi die 13 Augusti 1751: sanctissimus benigne annuit pro indulgentia quadraginta dierum semel lucranda qualibet die per utriusque sexus christifideles, ecclesiam, de qua in precibus, devote visitantes.—Ad decennium.—Joseph Livizzani, secretarius.—*Loco* ✠ *sigilli.*»—Quoniam autem dilectus filius Archangelus de Or - - gni [c], presbyter regularis Societatis Jesu provinciae goanae in Indiis, ejusdem Societatis Jesu procurator, qui, quamplurima dictae provinciae negotia curaturus, ad hanc almam Vrbem nostram advenerat, hisce feliciter expeditis, ad muneris sibi injuncti partes obeundas redire cogitans, et singulari erga eumdem S. Franciscum Xaverium pietate, et incredibili erga suam provinciam zelo incensus, ejusdem sancti Francisci Xaverii cultum promovere, ipsiusque sepulchrum magnificentius ornare, sacrisque supellectilibus ditare pergit, et ad ipsam provinciam magis magisque excolendam, non solum octoginta circiter interea misit operarios, sed etiam, quo libri spirituales, ad populos illos in mysteriis catholicae fidei instituendos et christiana pietate inflammandos utiles et opportuni, illic ederentur, omnia typograficae artis instrumenta, omnibus numeris absoluta et magno pretio comparata, illuc una insimul cum nonnullis ejusdem typograficae artis peritis hominibus transmittenda curavit, suo, ejusdemque provinciae nomine nuper nobis humiliter supplicari fecit, ut, non solum praeinsertas nostras literas et rescriptum iterum in perpetuum confirmare, et, quatenus opus sit, iterum concedere, verum etiam alia quidem commutare, alia vero, ut infra, ampliare, de benignitate, et auctoritate apostolica dignaremur. Nos itaque, haec omnia mature considerantes quantum iis in regionibus profutura sint, quantumque ex iisdem catholica religio susceptura sit verae pietatis decus et incrementum, et memoratum Archangelum, procuratorem, ipsiusque provinciae missionarios, et omnes dictae Societatis religiosos alumnos inibi, in

---

[c] *Littera tertia detrita.*

vinea Dei Sabbaoth, adlaborantes, amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium, primum quidem omnia et singula praeinserta in iis, quae infra statuendis non sint contraria, iterum in perpetuum approbamus et confirmamus. Deinde vero, cum festus dies ejusdem sancti Francisci Xaverii ubique locorum diei tertiae mensis Decembris addictus celebretur, atque in Indiis in unaquaque civitate et loco haud facile, ob concursum populorum celebrari ita possit, ut eorumdem populorum pietati, praesertim in suscipiendo sanctissimae eucharistiae sacramento et lucrandis indulgentiis, satisfieri possit, ea propter venerabilibus fratribus antistitibus, earumdem partium ordinariis, committimus ut, pro suo zelo et prudentia, eumdem inibi festum S. Francisci Xaverii diem ad alium sibi benevisum, pro ecclesiis respective, diem, stabilem tamen nec ad ipsorum placitum deinceps permutandum, transferendum et consignandum, una cum festivitate, recitatione officii divini, celebratione missae, et consecutione indulgentiarum, eadem die tertia Decembris concessis, permutent, transferant et consignent. Porro privilegium quotidianum perpetuum, quo alias altare ejusdem S. Francisci Xaverii, in praefata ecclesia goana situm, decoravimus, iterum, quatenus opus sit, auctoritate et tenore paribus, in perpetuum concedimus et confirmamus. Praeterea, cum indulgentias plenarias, aliasque septem annorum ac totidem quadragenarum, quas in forma Ecclesiae consueta concessimus iis omnibus christifidelibus, qui in decem sextis feriis, ante vel post festum diem S. Francisci Xaverii, confessi ac sacra communione refecti, quamcumque ipsorum regularium presbyterorum ecclesiam visitassent, haud lucrari valeant, praesertin in Indiis, homines, tam culturae agrorum, quam aliis negotiis addicti, ea propter, ut etiam die dominica, vel alia quacumque die infra hebdo-

madam ad uniuscujusque libitum eligenda, dummodo omnia in praeinsertis nostris literis praescripta adimpleverint, easdem indulgentias pari modo et forma lucrari possint et valeant, in perpetuum concedimus et indulgemus. Decernentes praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque et non aliter, in praemissis, per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, S. R. E. cardinales, et apostolicae sedis nuntios, et quosvis alios, quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariae nostrae apostolicae regula, de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, die VI Octobris MDCCLIII, pontificatus nostri anno decimoquarto.—Cajetanus Amatus.—*Loco ✠ sigilli.*

## XVIII. BENEDICTUS XIV.—12 januarii 1754.

*De feriis sextis in honorem S. Xaverii, privilegium pro India.*

Benedictus PP. XIV.—Ad perpetuam rei memoriam. Dederamus sane elapsis annis alias nostras, in simili forma brevis, literas tenoris sequentis:

[*Inseritur breve «Cum sicut accepimus», die 29 Januarii 1751 datum: supra,* **XV**]. Hujusmodi vero indulgentias per alias, in simili forma brevis, literas, die 6 mensis Octobris anno 1753

[*Cf.* **XVII**] ad perpetuam rei memoriam datas, in perpetuum quoque confirmavimus. Quoniam autem in secundo dictis nostris literis quamplurima apostolicae benignitatis auctoritatisque privilegia et indulta, praesertim pro Indiis dumtaxat concessa, continentur: idcirco nos tenore et auctoritate paribus easdem indulgentias, in praedictis nostris literis contentas, et deinde, ut praemittitur, per secundo dictas literas nostras in perpetuum confirmatas, non solum iterum, quatenus opus sit, in perpetuum sub iisdem modo et forma concedimus et confirmamus, verum etiam, quoniam non omnes utriusque sexus homines, qui praesertim culturae agrorum aliisque negotiis addicti sunt, in iisdem feriis sextis easdem indulgentias lucrari valent, eapropter ut etiam die dominica, vel alia quacumque die infra hebdomadam ad uniuscujusque libitum eligenda, dummodo omnia in praeinsertis nostris literis praescripta adimpleant, easdem indulgentias pari modo et forma lucrari possint, in perpetuum itidem concedimus et indulgemus. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu praepositi generalis, vel generalis procuratoris dictae Societatis pro tempore existentium, subscriptis, et sigillo ejusdem Societatis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae, die 12 Januarii 1754, pontificatus nostris anno decimo quarto.

## **XIX**. BENEDICTUS XIV.—25 APRILIS 1756.

*Indulgentia conceditur novendialibus xaverianis.*

Sanctissimo domino nostro, domino Benedicto papae XIV.—Beatissime Pater. Jacobus Andrés, presbyter Societatis Jesu, et assistentiae Hîspaniarum procurator, sanctitatis vestrae orator humillimus, ea, qua par est, animi veneratione exponit, alias felicis recordationis Benedictum XIII omnibus ecclesiis Societatis Jesu provinciae baeticae indulgentiam plenariam lucrandam ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus ibidem assistentibus novenae, in honorem S. Francisci Xaverii peragendae, suo rescripto edito die VII Januarii 1729 benigne concessisse: verum,

cum etiam in reliquis ecclesiis ejusdem Societatis Jesu assistentiae Hispaniarum, maxima cum devotione, qua populus eumdem S. Franciscum Xaverium prosequitur, praedicta novena singulis annis cum ingenti fidelium concursu celebretur; propterea idem orator enixe supplicat, eidem sanctitati vestrae pro extensione praefatae indulgentiae plenariae ad reliquas omnes ecclesias Societatis Jesu assistentiae Hispaniarum. Et erit pro gratia, quam Deus, etc.—Ex audientia sanctissimi die 25 Aprilis 1756 sanctissimus benigne annuit pro gratia extensionis indulgentiae plenariae, de qua in precibus pro ecclesiis Societatis Jesu provinciae baeticae dumtaxat, a felicis recordationis Benedicto XIII praedecessore concessae, ad reliquas omnes et singulas ecclesias eiusdem Societatis Jesu assistentiae Hispaniarum; ita ut in qualibet ex dictis ecclesiis Christi fideles utriusque sexus novendialibus exercitiis seu novenae in honorem Sancti Francisci Xauerii singulis annis interessentes, si, vere poenitentes et confessi, ac sanctissimo eucharistiae sacramento, in uno ex ultimis tribus diebus huiusmodi exercitiorum seu novenae, uniuscuiusque arbitrio eligendo, refecti fuerint, et juxta mentem sanctitatis suae pias ad Deum preces fuderint, praedictam indulgentiam plenariam, quam idem sanctissimus hujusmodi christifidelibus sic munitis misericorditer concessit, semel quotannis perpetuo acquirere possint et valeant juxta petita: voluitque praeterea sanctitas sua ut gratia huiusmodi, per hoc simplex rescriptum concessa, perinde valeat, ac si per literas apostolicas in forma brevis expedita fuisset.—J. C. Boschi, *secretarius.—Loco ✠ sigilli.—Registrata etc.*

## XX. CLEMENS XIII.—1 julii 1759.

*Cultus eucharisticus ecclesiae granatensis in laudem S. Xaverii.*

Clemens papa XIII.—Universis christi fidelibus, praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Xpi. fidelibus contritis, qui expositioni sanctissimi eucharistiae sacramenti de licentia ordinarii, in ecclesia collegii clerico-

rum regularium Societatis Jesu civitatis granatensis, in novem diebus continuis immediate antecedentibus festum S. Francisci Xaverii faciendae, per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et ibi pro xpianorum. principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praemissorum id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut, si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum, detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint. Dat. Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, die 1.ª Julii MDCCLIX, pontificatus nostri anno primo. Gratis pro Deo et scriptura.—Pro domino cardinali Passioneo, JOANNES FLORIUS, *substitutus*.

ADDENDA [11]

[Haud inutile existimamus in adjuncta annotatione, catalo-

---

[11] Praeter haec quae antecedunt, exstant alia, quae indicare sufficiet; videlicet:

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1. | Gregorius XV.... | 31 Jan. 1623... | Capellam S. Xaverii in Castro Xaverio die illi sacro visitantibus, indulgentiam plenariam concedit. |
| 2. | Urbanus VIII.... | 6 Aug. 1633.. | Indulta confirmat oratorio romani sodalitii translato. |
| 3. | Innocentius X.... | 27 Oct. 1651... | Incidens festum S. Xaverii in dominicam adventus, transfert in feriam 2 simul cum indulgentia. Cf. dipl. 1. |
| 4. | Alexander VII... | 14 Apr. 1657 ... | S. Xaverium aeque principalem patronum regni Navarrae, ac S. Firminum, constituit. |
| 5. | » | 15 Sept. 1657... | Eligit S. Xaverium in patronum civitatis Neapolis. Eadem die habetur decretum parile pro Aquila et Parma. |
| 6. | » | 12 Mart. 1661... | Declarat S. Xaverium patronum minus principalem civitatis stabiensis, seu Castri Maris. |

gum texere eorum diplomatum, eumdem cultum S. Xaverii spectantium, quae vel prae manibus non habemus, vel recitasse inte-

---

| | | | |
|---|---|---|---|
| 7. | Alexander VII... | 3 Jul. 1665... | Civitatis Bastiae in Corsica compatronum nominat S. Xaverium. |
| 8. | » | 16 Apr. 1667... | Visitantibus ecclesiam sive oratorium S. Xaverii, servatis servandis, concedit indulgentiam plenariam. Ad septennium. Cf. P. Cros, S. F. de Xavier, sa vie, etc., t. II, pag. 484. |
| 9. | Clemens IX..... | 13 Aug. 1667... | Approbat electionem S. Xaverii in patronum Tergesti. |
| 10. | » | 20 Jul. 1668.... | Approbat electionem S. Xaverii in comprotéctorem Taurini. |
| 11. | Clemens X..... | 26 Mart. 1672... | Approbat electionem S. Xaverii in patronum civitatis Tabernarum. |
| 12. | » | 3 Dec. 1672... | Approbat electionem S. Xaverii in patronum minus principalem civitatis Adiacensis in Corsica. |
| 13. | » | 23 Dec. 1673... | Indulgentiam plenariam concedit fidelibus vicariatus sinensis et vicinorum, in festo S. Xaverii. Ad 15 annos. |
| 14. | Clemens XI..... | 24 Nov. 1702... | Dubium solvit de translatione festi S. Xaverii. Cfr. dipl. X. |
| 15. | Benedictus XIII... | 14 Nov. 1724... | Transfert S. Xaverii festum si concurrat cum S. Barbarae. |
| 16. | Clemens XII..... | 8 Jun. 1737... | Decem ferias sextas in honorem S. Xaverii indulgentiis cumulat. Ad septennium. |
| 17. | Benedictus XIV.. | 11 Jan. 1744... | Praedictas indulgentias renovat. Ad septennium. |
| 18. | » | 26 Mart. 1744. . | Gratiam concessam decem feriis sextis transfert, pro Gallia, ad ferias sextas praecedentes vel sequentes diem 12 Martii. |
| 19. | » | 27 Sept. 1755.. | Novendiales celebrandos in Hibernia, indulgentia plenaria decorat. |
| 20. | Clemens XIII.... | 5 Sept. 1759.. | Provinciis gallis S. J. gratiam aliam concedit quod ad cultum 10 feriarum sextarum. |
| 21. | » | 16 Mart. 1762.. | Ejusdem cultus translationem concedit Patribus S. J. in provincia Rheni inferioris etc. |

gra e re non duximus; quae tamen scribentibus de Indiarum apostolo coram habere juvabit].

## 52

## DE RELIQUIIS S. FRANCISCI XAVERII

### I.—DE SACRO EJUS CORPORE INCORRUPTO

### P. MELCHIOR NÚÑEZ BARRETO

### PATRI IGNATIO DE LOYOLA

MALACA 3 DECEMBRIS 1554 [1].

† Jhs M.ª

La gratia y pax de Iesu Xpo. señor nuestro abite sienpre en nuestras ánimas.

El anno pasado he escripto á V. R. de la muerte del nuestro

---

22. Pius VI..... 28 Jan. 1783..... Indulgentiam plenariam concedit novendialibus S. Xaverii, ad Navarra. De hac indulgentia vide P. CROS, op. cit., II, 493. Et cf. ibid. 494 (1786, 20 avril).

23. Pius IX..... 24 Maj. 1847..... Precibus a S. Xaverio conscriptis ad petendum conversionem infidelium, indulgentiam concedit.

24. Leo XIII..... 15 Jun. 1898..... Novendiales cultus «a gratia» dictos, in ecclesiis S. J. peractos, plenaria indulgentia donat.

25. Pius X..... 23 Mart. 1904.... Eamdem gratiam extendit ad Ecclesiam universam.

N. B. Addenda alia, quae dubio procul nos latent (Cf. pag. 731 lin. 14, et pag. 744 lin. ult.)

De pluribus vero citatis in hac annotatione, consule P. DELPLACE, *Synopsis actorum S. Sedis in causa S. J.* Denique, cf. nn. 41, 46 et 50 superiores, tum 52 seq.

[1] Ex autographo, in codice *Goan.-Malabar*, 4 ff., n. 138. Exstat in eodem codice, n. 129, italica versio primae dimidiae partis. Edita fuit in opere *Selectae Epistolae*.

De sanctis Xaverii reliquiis multa jam edita (vide in vol. I, pag. 195; et in hoc, nn. 14, 15 et 16; tum ex 24, dicta testium 6, 8, 12 etc., sed potissime 37, pag. 266). Nec mireris si perfecta unitas desideretur in hujuscemodi recensione.

P. Mtro. Gaspar [2]; y cómo, por él ser muerto y el P. Morales, soçedí en tener cargo de los hermanos que en estas partes de la India están, por ansí lo dexar hordenado el bienauenturado P. Mtro. Francisco en una çédula çer[r]ada; y cómo estando ia las naues para partir para el regno, vino á Cochín (á do stonçes me hallé) algún rumor de la muerte feliçe de nuestro Padre; y porque aún no teníamos letras ni cosa de todo çierta, no pude hazer saber a V. R. más desto. Lo que después ha soçedido escribiré.

El Padre, después de en la çiudad de Malaca ser inpidido e uiage al capitán de la naue que iua por enbaxador al rei de la China, y uiéndose de los medios humanos careçido, y estriuándose en la fee y esperansa de los diuinos, se partió solo para las islas que confinan con la China en una naue de mercaderes, esperando que allí Dios nuestro señor le abriese la puerta para tener entrada en la tierra firme, y ansí el demonio quedase burlado, y la uandera de Xpo. arbolada en la China. Era tan fuerte el deseo del Padre, que de limosnas alcamsó treçientos ducados, por los quales se contrató con hun mercader china, que una noche lo auía de poner en una plasa de una grão çiudad, que se llama Cantón; empero la diuina bondad quiso deshazer sus comtratos con le dar la corona de sus mereçimientos, y las parias, que quien tan buen curso corrió mereçido avía. Faleçió en las islas de Cantón el fiel sieruo, con antes saber su muerte, y con sospiros, que de dentro de las entranhas de amor le proçedían, llamando sienpre el nonbre de Jesús. No tenía consigo nengún hermano de la Companhía, y solo con solo Dios se consolando, en solas las manos de Dios entreguó su spíritu el bienauenturado Padre, cuia sanctidad manifiestamente prueuan sus virtuosas obras y admirable conuersión de infieles, que en todas las partes de le India él auer echo, y auer tenido spíritu de prophesia, y allenda de la pública bos de todos los pueblos, que aquá en estas partes le llaman sancto hombre, Dios nuestro señor por su infinita bomdad lo quiso á los oios corporales más á la clara manifestar. Lo

[2] P. Gaspar Barzaeus. Cf. *Monum. Ignat.*, ser. 1.ª, VIII, 483, 484; ubi et de Patre Emmanuele de Morales, mox nominando.

que después de su muerte soçedió: saberá V. R. que los portogeses que se allaron en la isla de Sanchoán, á do él morió, metieron su cuerpo dentro en una caxa llena de cal, y le hizieron vna fuesa á la orilla de la mar, á do le metieron, y de allí hasta quatro meses, queriendo los mercaderes boluer para Malaqua, y deseando mirar sus huessos para los traheren, allaron su cuerpo entero; y admirándose con la nouedad, lo traxeran á Malaqua anssí en la cal; y mirando que daua de sy buen olor, llegando al puerto de la çiudad lo hizieron saber á los saçerdotes, los quales con todo el pueblo de Malaca le salieron á reçebir. Enpero no sabiendo disçerner emtre el bafio de la caxa y el buen olord el cuerpo, le sacaron de la caxa, y lo sepultaron en el suelo en una ermita que aquí está de la Madre de Dios de la Companhía; y como la tierra sea muy dura, calcáronle de manera que le quebrantaron el cuello, y le hizieron algunas lisiones en el cuerpo: y después de auer estado mucho tienpo sepultado en el suelo, hun hermano de la Companhía [3] que uino á Malaqua lo hizo sacar de la cueua, y hallándole aún entero, y la alua y la almohada tenhida del samgre que aún estaua reziente y húmido. Y no suelamente en aquel tiempo, enpero después yo lo miré en la ciudad de Goa, que son seiscientas legoas de Malaqua, con sangre resiente y carne de muy buen olor, si le limpian de la cal; y, después de auer estado cerca de un anno sienpre en la cal, el hermano lo lleuó para Goa, para estar en el colegio de Sancta Ffee. Yo le vine á buscar algunas legoas á la mar, por ansí pareçer bien al señor y vissorrey de la India don Alomso [4], para que supiese cómo se deuría reçebir, si como á biuo, ó si como á muerto. Yo le uide é miré con mis ojos, y toqué con mis manos, y estaua incrédulo ante que le viesse, y después admirado dixe: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator [a] Dominus. Fue tanta la deuotión del pueblo todo de Goa, y tanta la admiratión, que allende del día que llegamos con él al puerto de Goa le recebie-

[a] miseratur *ms.*

[3] Cf. vol. I, pag. 195 seqq. etc.

[4] D. Alphonsus de Noroña. Cf. vol. I, pag. 197.

ren con el maior comcursso de jente y deuotión que yo podría escriuir, siendo aconpanhado del visorrei y de todos los hidalgos, caualleros, cleresía, y de todo el más pueblo, toda la jente se puzo en esto de no salir de la iglesia hasta que les mostrássemos el cuerpo. Y hízome fuerça, aunque yo tenía detriminado de no se lo mostrar hasta que el vicario jeneral, cabildo, relegiosos y el visorrei lo mirasen en secreto. No pude otra cosa hazer sino mostrárselo, aunque solamente las manos y piernas; y quedaran tan atónitos, que unos con lloros, otros con bater en los pechos, y otros con bos alta loando á Dios, otros con tocar en él cuentas y bezarle los pies, tres ó quatro días no hazían sino ir et benir, sin le dexar meter en un depósito que para esso tenía apareiado en la capilla de la iglesia, á do queda.

El visorrey tenía comigo asentado de mandar sacar vn estromento al vicario jeneral de la India de todo esto; mas no see si sus ocupasiones, se algunas murmurationes de algunos — — — [b] que deso le esfriauan, si el poco zelo que en estas partes se alla de semeiantes obras, ni á mi dieron atreuimiento para mucho instar en ello, ni á ellos el diuino heruor para lo hazer. Dios nuestro señor terná cuidado de manifestarle, pues todo es suyo [5].

En esta conjuntión vino hun hermano, inbiado por los Padres de la Compañía que andan en Jipán, com cartas largas é informationes muy particulares del gran fructo y conversion de ánimas que en aquella gran isla de seiscientas legoas se haze con suelos dos Padres y dos Hermanos que allá están, y cómo aquella nueua planta pasaua peligro mui grande si de aquá no fuese socorrida, con el rei de Bungo, que es el prinçipal, inbiar un enbaxador suio com dones al Sr. visorrei, y otros dos reies tanbién le escribieren, que se allá inbiasen Padres de la Companhia se haría gran christiandad en sus tierras. De manera que, mirando yo la gram puerta que estaua abierta para se mucho dilatar en la vinna del Señor en parte do hasta nuestros tienpos nunqua ha

b *Auctor scripserat hic* dominicos; *sed hoc verbum linea subducta sublatum fuit, ab ipso* ut videtur.

5 Plura dabit epistola sequens.

sido plantada, y jusgando ser llegada la ora en que el Señor nuestro por su bondad quiere senbrar la simiente de su lei evangélica en aquel campo, que hasta aguora a sido lleno de abrojos, para dar fructo çentéssimo, por algunas razones me he mouido ir allá. La primera, porque, soçediendo en las uezes del bienauenturado Francisco, segiendo sus pizadas no pienso que erraré, prinçipalmente con tão glorioso tránsito aprobadas: y a do el capitán morió, allí pareçe neçesario acodir los soldados. La segunda, porque, quedando yo em Goa, poco más se podría hazer de lo que se haze; porque queda allí el P. Baltazar Díaz por rector del colegio, con el qual la jente de Goa tiene mucha deuotión, y haze mucho fructo; y los otros Padres que residem por las otras fortalezas, aunque enfermos en el cuerpo, son de mucha confiamsa, y mui fuertes en el spíritu; y con hir al Japón no see lo que el Señor nuestro hará; enpero parese que se puede mucho esperar en la bondad de Dios, ansí por aquella jente ser de mui buen entendimiento natural y la más capás de razón que todas las nationes del mundo, como también con la mi yda al Japón se detriminó hun hombre mui rico y de mui buenas partes para la Companhía, allá de los reies de Japón conoçido por nombre Hernán Méndez, el qual, allende de entregar á sí para la Companhía, también quiso hazer seruiçio á nuestro Señor, luego deputados para la empreza de Japón quatro ó cimquo mil duquados, para en la gran ciudad del Bumgo se hazer hun tienplo de nuestro Saluador, y lo más se gastar en el negotio de la comvertión, porque no cargemos nadie á los nueuamente comvertidos, viuiendo de sus limosnas, y ansí la ffee de Xpo. se augmente. Estas y otras muchas razones, que más largamente he escrito en otras letras á V. R., que partiendo de Goa escrebí en Cochim, á do quedaram para en estas naues le ser enbiadas, me an mouido á por el pareçer de los Padres de la Compañía que están em Goa, y por el pareçer dellos y obedientia de los perlados de san Francisco et sancto Domingo, y chantre y vicario jeneral, ya que no tenía perlado en la India, por cuia obedientia siendo inbiado fuese más çierto de la voluntad de Dios, me mouí á partir para el Japón; y lleuo hun Padre y quatro hermanos, los que me pare-

çeron ábiles para deprender la lengoa para seren intérp[r]etes de los Padres que V. R. inbiará de muchas virtudes y letras.

Diónos el Sr. visorei vnas armas mui ricas para el rey de Bumgo con otros dones de mucho preçio: inbíalas por vn enbaxador que con nosquo va, y anos dado también vn pontifical de tela de oro con sus xabastros de borquado, para allá con mucha solenidad çelebrarmos los diuinos ofiçios, porque la jente del Japón es mui polida y de mucho primor; y aun para más se mouieren por estos exteriores al conoçimiento de los interiores y espirituales. Lleuamos con nosquo simço mochachos de los huérphanos que an venido de Portogal, los más aptos para deprender la lengoa, y los más ensenhados en el canto llano y canto de organ, para las fiestas primçipales, en que se reprezentan las cosas de nuestra ffee, los ofiçios diuinos hazermos con gran solenidad, porque la jente con estos exteriores se mueue en gran manera. Dió á cada uno dellos el Sr. visorrey capa de borcadilho para las solemnidades, y capa de asperges y otras peças. Por estos espero que nuestro Senhor haga mucho fructo, porque son mui bien inclinados y ábiles, y fáçilmente tomarán la lemgoa, y ensenharán la doctrina, y convertirán á los ninhos de Japán.

Piensé de podermos lueguo pasar, porque trahía vna prouisión del viso rey para luego en esta Malaca se nos dar embarcaçión para el Japón; empero no sé se mis pequados, se la neçeçedad desta çiudad de Malaca, que tenía de la doctrina y buen exemplo de los hermanos, causó, y llegando tarde la naue em que veníamos, y hallando con mucha dificultad aquí nauío, en la postre con premdieren [*sic*] el capitán del nauío, y el tiempo de la montión se acabando, se inpidió nuestro viage; y ansí quedamos en Malaqua esperando por montión. Y por gratia del Senhor se haze fructo en la tierra con predicationes, comfisiones, y doctrinas, y mortificationes continuas. Tiéneme el capitán prometido hun nauío del rey para en él nos inbiar á Japón, tanto que para esso fuere montión y vientos. De allá, plaziendo al Señor nuestro, informaré á V. R. de todo más largo. Lo que pido á V. R. por amor de nuestro Señor es, que prouea estas partes con algunos Padres prophesos para acometer la China, y para estender

mucho la fee en el Japón; y haga que de Portogal inbíen Padres mui sufiçientes en virtudes, y letras, y prudentia, para en todas las partes de la India, á do está tanto fructo començado, no se pierda con la muerte destos Padres, que eran pilares de la Compañía, empero ante se exalsse y dilate mucho la vandera de la sanctíssima cruz. Y sobre todo humilmente pido, que nos imbíe otro maestro Francisco, se se podiere allar, que sea nuestro prouintial; que mucho en gran manera se requiere muy grande espíritu de Dios, y sapiensia y gratia del Spíritu Sancto en aquell que en tierras tan estranhas, y negotios tan diuerssos, y de hermanos tan alongados a de prouer. Yo no soi para el cargo, ni tiengo virtud, ni spíritu, ni experientia, ni authoridad para ello; y como del buen capitán vienga todo el esfuersso del exérçito, V. R., [que] tiene (según yo piensso) spíritu de Dios, prouerá en todo como cumple. Prouea también y hordene si el que ouiere de tener cargo de la prouintia de la India a de ser subiecto á la obedientia del prouinçial de Portogal, ó no. El prouecho que uerná desta obedientia es quedarmos todos más vnidos en hun spíritu, y hazermos hun cuerpo, y el prouintial de Portogal tener con esso más soliçitud de inbiar hombres más escogidos y perfectos, y tomar esta viña como suia y no como agena: el inconuiniente sólo es, que, como las cosas acá sean mui diferentes de lo que en Portogal se piemssa, y los negotios mui varios, y emprezas que cada día aquá sosieden mucho de otra manera de lo que antes se piensa, lo que de allá se puede hordenar infalibiliter, faltamdo la experientia de las cosas destas partes, es mui poco. V. R. en todo hordene lo que más gloria de nuestro Señor fuere.

De las partes de la Imdia, el fructo que allá se haze, el retor que queda em Goa y los Padres que están en las otras fortalezas ternán cuidado de escreuir á V. R., y complir la obedientia que para esso tienen. De la cristiandad de las partes de Maluquo, de las islas de Moro y de Amboino, avemos aquí em Malaqua tenido cartas que va la fee em creçimiento, y que los trauaios de los Padres de la Compañía que allá andão son con mucho fructo. Loado sea aquel de quien todo lo bueno procede.

Vna information de las cosas de la China, que me dió hun cauallero que allá estuuo mucho tienpo catiuo, y aora fué rescatado, inbío á V. R. para que vea quamta opurtunidad se alla en jente tan capaz de razón y de tamto primor para acceptar la fee y lei verdadera del Criador.

Porro autographum illud habetur medium inter duplicem crystallum, inclusum tabula lignea marginata, sic parieti affixa, ut moveri vertique, tamquam fores, commode possit. Epistolam autographam obtinebant olim comites de Simonetti, qui eam dono nuper dederunt clarissimo antistiti, domino Guidoni Mariae Conforti, cum anno 1907 ad Parmae sedem evectus est. Illa vero extitit donationis causa, quod seminarium illud Sto. Xaverio sit dicatum, et conditorem rectoremque laudatum episcopum parmensem, nactum sit. Est autem haec epistola ea quae latine edita fuit in vol. I, pagg. 736 sqq.

[1] Habet praesens autographum multa lusitanice vel dicta vel exarata: ea corrigemus quae possent difficultatem parere, notata semper ratione autographi.

China. Vuestra santa charidad tienga spiçial cuidado de nos encomendar á Dios á los que están en Gipón y á los que uamos á la China. El suceso de la China, Dios queriendo, mucho particularmente screuiremos, ansí de cómo fuimos reçebidos, y de la disposición que ha para se acresentar nuestra fee.

Después que lheg[u]é al colegio de Goa me fué necesario despedir algunas personas de la Companhía. Mucho me pesó alhar causas sobeyas para lo hazer, y por otra parte holg[u]é mucho de los despedir. Hize retor del colegio al Padre maestro Gaspar, de nación framengo, persona de mucha confiança, en que Dios puso muchas uirtudes; mucho grande predicador [c], ace[p]to al pueblo en grande manera, mui bien quisto de los [d] de la Companhía. Mueue tanto á lágrimas al pueblo quando predica, que es cosa para dar muchas gratias á nuestro Señor. Todos los destas partes, ansí Padres como hermanos, dexo que lle obedescan. Los que podían causar alguna desedificatión en mi ausensia, por cosas ya pasadas despedy. Todos quedan agora de manera, que voi á la China mui satishecho; y si Dios N. S. leuare desta uida á maestro Gaspar, dexo una sédula scrita y firmada de mi mano, en que diguo quién [e] será después dél retor deste colegio, para euitar alguna inquietacyón que se podría seguir en la eleción del retor hasta que vuestra santa charidad provea [f] estas partes de retor. Esto hize, por la mucha distantia que hay d'aquí á Roma, para euitar los inco[n]uenientes que se podrían seguir, ansí en la elesión del retor, como nel mucho tempo que se pone en yr d'aqu á Roma y tornar respuesta.

Pareçióme ser mucho seruiçio de nuestro señor Dios, antesí que partiese para la China dexar hordenado cómo un hermano de la Compañía fuese para el anno que viene á Portugal, y de Portugal á Roma, con cartas para uuestra santa charidad, haziéndole saber las necesidades que hai en estas partes de Padres mui exercitados y prouados en el mundo, porque estos son los que en estas partes hazen mucho fruto; porque los que tienen le-

---

[c] prégador *ms.: lusitana vox.* —[d] dos *ms. hic et infra, lusitana ratione.* —[e] quẽ *ms.* —[f] proueia *ms., i. e.* proveja, *more lusitano.*

tras y no tienen experientia ni son exerçitados en las persecusiones del mundo, estos hazen poquo fruto en estas partes; y los que despedí fueron destos.

Por la experientia que tienguo de Gipón, los Padres que allá an de yr á frutificar en las ánimas, prinçipalmente los que an de yr á las universidades, esles necesario dos cosas: la primera, que aiam sido muy prouados y perseguido[s] en el mundo, é de muchas experientias y conoçimiento interior grande de sí mismos, porque an de ser perseguidos em Gipón más de lo que nunca por aventura fueran en Europa. Es tierra fría y de poca ropa. No duermen en camas, porque las no hai. Es estéril de mantinimiento: despreçian los extrangeros, prinçipalmente los que van á predicar la ley de Dios; esto hasta que vienem á gustar de Dios. Los Padres de Gipón siempre los an de perseguir; y los que fueren á las universidades no me pareçe que poderán lleuar las cosas neçesarias para dezir misa por causa de los muchos ladrones que hai por las tierras por do an de yr. En tantos trabajos y persecusiones careser de la consolaçión de la misa y de las fuerças spirituales que reçiben las personas que toman el Señor, vea [g] vuestra santa charidad la virtud que se requiere en los Padres que an de yr á las universidades de Gipón.

También es necesario que tiengan letras para responder á las muchas perguntas que hazen los gipones. Sería bueno que fuesem buenos artistas; y no perdirían nadie [*sic*] que fuesem ssofistas para en las disputas tomar los gipones en contradiçión; que supiesen alguna cosa de la esphera, porque huelgan en grande manera los gipones en saber los mouimientos del çielo, lo[s] eclipsis del sol, mengoar y creser la luna; cómo se engendra el agua de la lluuia, la nieue y piedra, truenos [h], relánpagos, cometas y otras cosas así naturales. Mucho aprouecha la [i] declaración destas cosas para ganar la uoluntad al pueblo. Esta informatión de la gente de Gipón me pareçió ser cosa conueniente escriuir á vuestra santa charidad, para que esté al cabo de las virtudes que han de tener los Padres que allá an de yr.

---

[g] veja *ms.* —[h] trouanes *ms.*, *perperam pro lusitano verbo* trovões. —[i] lla *ms.*

Muchas vezes pensé que serían buenos para aquellas partes algunos Padres de la Companhía framengos y alemanes, porque estos son para muchos trabayos, y sufren bien el frío; y allá, ansí en Italia como en Espanha, no harán tanta mengua, por causa que no saberán la lengoa para predicar. Y para que aquá los entendiesen los hermanos que están en Gipón será necesario que sepan hablar ó castelhano ó portug[u]és; y ahunque no sepan mucho, en el camino deprenderán, porque antes que de allá lleg[u]en á Amanguçhi pasarán á lo menos dos años.

Parecióme ser necesario dar parte á su santa charidad la necesidad que en estas partes hai de una persona que estuuiese al cabo de las cosas de la Companhía y ouiese gustado dellas, y ouiese [v]uestra santa charidad conuersado alguno tiempo. Desta tal persona tiene mucha [j] necesidad este colegio i todas las personas de la Companhía que están en estas partes de la India para serem bien instruídos segundo las ordenationes santas y constituitiones de la Compañía. Y aunque esta persona no tuuiese talento para predicar, ni por eso dexerá de ser buena y necesaria para estas partes. Por seruiçio de Dios N. S. que inbíe alguna persona de su mano para ser retor deste colegio; porque qualquiera que fuere, aunque no tienga muchas letras, mandándolo de su mano, será tal qual esta casa tiene neçesidad; porque los Padres y hermanos destas partes desean ver alguna persona de Roma, que aia conversadó mucho á vuestra santa charidad.

Y se esta persona que uiniere por retor trajere [k] de Roma algunas gratias spirituales, como alguna indulgentia plenaria para algunas fiestas prinçipales del año con sus otauas, para se poder cómodamente la yente confesar, sería mui gram seruiçio de Dios, é sería mucho ace[p]to al pueblo. No podría acabar de escriuir á su santa charidade quánto fruto hizo en las ánimas el jubileo que nos embió. Las indulgentias que á estas partes embiaren vengan per alguna bula auténtica y con sus selhos pendientes, porque acá ya no menguan [l] personas que ponem contraditión y duda nestas cosas pías: hasta en el jubyleo que nos imbió lo quisieran

---

j mucho *ms.* —k trouiere *ms.* —l aquá yan nõ mengoan *ms.*

caluniar, diziendo que não era cosa auténtica ni venía con selhos ni autorizada; pero quiso Dios N. S. que fuese adelante.

Grande seruiçio á Dios N. S. se haría si los Padres de misa, que á estas partes han de venir, fuesen mucho prouados, porque destos tiene necesidade esta tier[r]a.

También escribo al Padre Mtro. Simão, ó al retor del colegio de Coímbra en su ausensia, que no embíe acá Padres que allá no hayan mengoa, porque aquel[l]os no son acá necesarios; y se uuestra santa charidad diese orden cómo ninguno Padre de misa de la Companhía ueniese á estas partes, que en perigrinatión primero no fuese á Roma y con licentia del praepósito general viniese á la India, sería grande bien: principalmente me parece ser mui neçesario que de Portogal ni de otra parte no viniese por retor ninguna persona á estas partes de la India, sim que primero fuese á Roma y fuese prouado su ssufisientia por el [m] praepósito general, y con liçentia suia y prouisión viniese á ser retor á estas partes, y de otra manera nó. Esto digo por la experientia que tengo de los que de Portogal vinieron para serem retores deste colegio. Y temiéndome que fuese en el anno por uenir como en el pasado, dexo hordenado que ninguno de los que de alhá vinieren á ser retor desta casa sean reçebidos si no vinieren [n] ordenados para eso por el nuestro praepósito general con prouisión suia. Esto para euitar algunas cosas que dexo de escreuir.

Grande consolatión reçebería se uuestra santa charidad encomendase á alguna persona de casa que me escreuiese mucho largamente núeuas de todos los Padres que uenimos de París, y de todos los otros, y de la prosperidad con que van las cosas de la Companhía, ansí de los colegios y casas, como del número de los Padres profesos, y de algunas personas mucho asinaladas que tuuieran grandes calidades antes que entrasem en la Companhía, y de algunos letrados grandes que en ella hay [o], porque esta carta será recreatión mía antre los muchos trabayos ansí de la mar como de la tierra, de la China y Gipón.

N. S. nos yunte en la gloria del paraíso, y también, si fuere

---

[m] lo *ms., hic et infra.* — [n] vierem *ms.* — [o] ahi *ms.*

su seruiçio, en esta uida presente. Esto fáçilmente se puede comprir quando por obedientia me fuere mandado.

Todos me dizen que de China se puede yr á Ierusalén. Se esto así fuere como dizen, yo lo escryuiré á vuestra santa charidad, y as legoas que hay, y en quánto tiempo se puede yr. De Goa á 9 Abril de 1552.

Su menor hyjo y en destierro mayor,

FRANCYSCO.

*Desideratur inscriptio.*

## 6

## BREVIS CATECHISMUS CHRISTIANAE DOCTRINAE [1].

---

Jesvs. Maria

Doutrina que o Padre Mtre. Francisco fez pera os Padres que andão

por fóra na conuerção dos infieis a emsinarem [a]os christãos nouamente conuertidos e aos meninos em todas as fortalezas da India onde residem os Padres da Companhia de Jesv.

Mandou-ha o P. Mtre. Belchior ao Padre doutor Diogo Mirão, prouincial deste reino, pera qua se imprimir e se tornar a mandar á India.

---

Senhor Deos, auei misericordia de nós.

Jesv Christo, filho de Deos, aue[i] misericordia de nós.

Espirito santo, aue[i] misericordia de nós.

Creo em Deos Padre todo poderoso...

---

[1] Ex apographo, in cod. *Goan. Histor., 1,* n. III, 14 foliis. Maxima pars hujus catechismi continetur in monumentis 144 et 146, vol. I (pagg. 819, 831). Et quidem n. 146, hic est decurtatus, ut videbis. Ejusdem n. 146 aliud exstat exemplum, uno alterove differente vocabulo, in fasce cui titulus est: *Litterae. Documenta primorum PP.-Mission. Indicae.* Cf. jam Appendicem 1, annot. 1, sub finem.

*Et reliqua symboli, ut in vol. I, pag. 820, n. 2; deinde ea quae ibidem sub n. 3; tum, n. 5-9. E sequentibus, excerpuntur preces tantum, iis omissis quas n. 12 habet. Sed hic adduntur oratio dominica, salutatio angelica, antiphona «Salve, regina», praecepta etiam Ecclesiae; recensio peccatorum, quae capitalia vocant, et virtutum eisdem appositarum, sicut et theologicarum trium et quatuor cardinalium; recensio etiam operum, misericordiae dictorum, sensuum corporis et animi facultatum, denique inimicorum animae. Additur praeterea:*

A BENÇÃO DA MESA

Benedicite. R. Dominus.

Nos, et ea quae sumus sumpturi, benedicat Deus trinus et vnus.

Benedicamus Domino. R. Deo gratias.

Laus Deo, pax viuis, requies defunctis. Amen.

Deos nos aiunte no paraiso. Amen.

*Sequitur vero symboli declaratio quam habes in vol. I, pag. 831 sqq. mutatis quibusdam nullius momenti: haec solum digna quae notentur:*

*N. 7 sic se habet:*

7. O christãos! que será de nós coitados? Se os demonios por hum peccado de soberba forão lançados dos céos ao inferno, é Adam e Eua por outro peccado de soberba do paraiso terreal; como nós, tristes peccadores, sobiremos aos çéos com tantos peccados, sendo clara nossa perdição? São Miguel, nosso amigo verdadeiro, e os anjos que ficárão nos céos, auendo piedade e compaixão de nos outros peccadores, os anjos todos iuntos, pedirão ao senhor Deos misericordia do mal que nos viera polo peccado de Adam e Eua. Dizião os anjos em os céos: O bom Deos, e senhor piadoso, e pai de todalas gentes! Iaa, Senhor, hé chegado o tempo da saluação das gentes: abri, Senhor, as portas dos céos aos vossos filhos, pois naçeo de santa Anna e Joachim aquela Virgem, sem peccado de Adam, sobre todas as molheres santissima, por nome Maria, a virtude e santidade da qual hé

sem par: de maneira que em virgem tão excelente vós, Senhor, podeis formar do seu sangue virginal hum corpo humano, assi como, Senhor, formastes o corpo de Adam pola vossa santa vontade. Em tal corpo, pois sois poderoso, podeis, Senhor, iuntamente criar huma alma mais santissima que todas quantas criastes. Emtão no mesmo instante a segunda pessoa, Deos filho, decendeo dos céos, onde está, a emcarnar em o ventre da virgem Maria. E d'esta virgem tam excelente naçera Jesv Christo, vosso filho, saluador de todo mundo. Assi, Senhor, se comprirão as escrituras e promessas que fizestes aos profetas e patriarcas amigos vossos, que estão no limbo esperando a vosso filho Jesv Christo, seu senhor e redemtor.

*Num. autem 15, sic*:

15. Conhecendo os fariseus que perdião a honrra e credito que primeiro tinhão com os iudeus antes que Jesv Christo se manifestasse ao mundo, mouidos os fariseus de inueia, forão a Pilatos, que então era juiz, e com rogos e com medos, e peitas, que tudo acabão, disserão os fariseus a Pilatos, que não era amigo de Cesar se deixaua mais prégar nem fazer milagres a Jesv Christo, porque se fazia rei dos iudeus contra Cesar, pois o pouo o amaua. Conhecendo Pilatos que os fariseus, com inueia que de Jesv Christo tinhão, polas obras e milagres que fazia e o amor que lhe o pouo tinha, o acusauão e lhe aleuantauão os judeus falsos testemunhos, e concentió Pilatos que os iudeus prendessem a Jesv Christo, sem nunqua saberem que era filho de Deos, cuidando que era homem, assi como Isaias, Helias e Geremias, ou são João Bautista, ou alguns santos homens dos passados. Depois que os fariseus prendérão a Jesv Christo lhe fazião muitas deshonras, leuando-o de huma casa pera a outra, e desprezando-o, e fazendo escarnio d'elle.

*Vide autem ut finiat:*

32. E assi cremos os uerdadeiros christãos.

Não escreueo mais, mas laa se pode acabar: e mandem-nos muitos liurinhos impressos d'isso, alguns dozentos, ou mais.

MESTRE MELCHIOR.

*Titulus in ult. pag.* † Goana. Methodus docendi doctrinam

christianam, confecta a sancto Francisco Xauerio, Orientis apostolo.

*Eadem manu.* Circa annum 1549.

*Et alia.* Sine anno. Goae. Doctrina christiana.

## 7

## P. IGNATIUS DE LOYOLA

### PATRI FRANCISCO XAVERIO

ROMA 10 OCTOBRIS 1549 [1].

*Praepositum provincialem in India et aliis orientatibus plagis eum constituit.*

Ignatius de Loyola, Societatis Iesu praepositus generalis, dilecto in Christo fratri magistro Francisco Xauier, presbitero eiusdem Societatis, salutem in Domino sempiternam. Cum, crescente in dies, diuersis in regionibus, numero eorum qui nostrum institutum sequuntur, per domini nostri Iesu Xpi. gratiam, crescat etiam rebus multis prouidendi, et consequenter hoc onus cum aliis partiendi necessitas, visum est in Domino expedire vt aliquem ex fratribus nostris nobis substituendo, et praepositum omnium illorum qui tra[n]smarinis regionibus serenissimo regi Portugal[l]iae subiectis, et vltra eas sub obedientia Societatis nostrae viuunt, constituendo, eidem caetera omnia qui [a] nostri officii essent, committeremus. Nos ergo cum de tua pietate, et prudentia quae est in Xpo. Iesu, plurimum in eodem confidamus, te in praepositum prouincialem omnium nostrorum qui in praedictis regionibus versantur, cum omni ea auctoritate quam sedes apostolica nobis concessit, et constitutiones nostrae Societatis nobis tribuunt, creamus et instituimus [b]. Hoc enim, gra-

[a] *Sic ms.: lapsus patet.* —[b] *Ducta linea, haec quae in adversariis prius scripta erant, nulla manent:* Ac in virtute sanctae obedientiae, vt hanc curae nostrae partem et auctoritatis suscipiendo, eadem ad inquirendum, ordinandum, reformandum, iubendum, prohibendum, admittendum

[1] Ex adversariis, Polanci manu emendatis, in codice *Decret. et instr.*, fol. 21.

tiam Dei in te considerantes, ad ipsius honorem, et ad eorum spiritualem profectum qui nostrae curae sunt commissi, et ad communem animarum salutem, fore in Domino speramus. Datum Romae sexto idus Octobris 1549.

*In margine.* Creatio Patris Francisci in praepositum prouincialem in India et aliis [c] [2].

## 8

## P. IGNATIUS DE LOYOLA

### PATRI FRANCISCO XAVERIO

ROMA 23 DECEMBRIS 1549 [1].

*Apostolica privilegia ac facultates cum illo communicat.*

Dilecto in X.° fratri, magistro Francisco Xauier, praeposito eiusdem Societatis in Indiae regionibus serenissimo regi Portugal[l]iae subiectis, et vltra eas: salutem in Domino sempiternam. Cum foelicis recordationis Paulus papa III de apostolicae potestatis thesauro, nostrae [a] Societati plurimum spiritualium gratiarum ad Dei gloriam et animarum aedificationem, quas praepositus generalis pro tempore existens, per se, et alios quos ad id idoneos iudicaret, exercere posset et dispensare, benig[n[e concesserit, nos, qui te nuper praepositum omnium fratrum nostrorum qui in praedictis Indiae regionibus versantur, constituimus, de tua pietate, et prudentia quae est in X.° Iesu, plurimum confidentes, prius collatam auctoritatem confirmando, insuper omnes eas [b] gratias et auctoritatem quam nobis sedes apostolica quomo-

---

in Societatem ad probationem, et ab eadem repellendum quos videbitur, constituendum etiam in quovis officio et deponendum, et in summa ad disponendum de omnibus; quae nos, si praesentes essemus, circa loca, res et personas quae ad Societatem pertinent, possemus disponere, et ad Dei gloriam facere iudicabis, plenissime vtaris. —[c] *Deleta haec verba quae sequebantur:* vel cum quibus commercium ex eis haberi potest.

[2] Cf. *Monum. Ignat.*, 1.ª ser., II, 570, n. 10, tum ibid. 619.

[a] *Emendatum ex* minimae nostrae. —[b] eae *ms.*

---

[1] Ex adversariis, Polanci manu castigatis, in codice *Decret. et instr.*, fol. 21 21v.

docunque communicauit, et nos communicare possumus (duabus dumtaxat, scilicet indulgentia plenaria semel in anno concedenda, et admissione ad professionem, nisi de nostra expressa licentia, exceptis), communicamus: vt non solum eis vti ad proximorum aedificationem, sed et alios, ex iis qui sub obedientia tua sunt, participes earumdem facere, prout quemque idoneum existimaueris, quibus nos, ex nunc prout ex tunc, quae tibi videbuntur concedimus, possis et valeas. Si autem te in remotissimis locis a collegio Gouae [*sic*] agere continget, illi qui ex fratribus nostris praefati collegii rector pro tempore extiterit, eandem quam tibi facultatem et auctoritatem (quam tamen minuere uel poenitus remouere, prout in Domino iudicaueris expedire, tibi licebit), per hasce patentes litteras, nostra manu et Societatis sigillo munitas, concedimus et indulgemus. Vobis enim hujusmodi gratias ac concessiones, arma iustitiae futuras esse ad animarum consolationem et auxilium, et Dei altissimi gloriam et honorem, in eodem omnino speramus. Datum Romae, in domo Societatis Iesu, die XXIII Decembris M.D.XLIX [2].

*In margine*. Concessio gratiarum facta prouinciali.

---

## SANITAS MARCELLO MASTRILLO A XAVERIO PRODIGIOSE RESTITUTA

### 9

### P. MUTIUS VITELLESCHI, PRAEP. GEN. S. J. PATRI MARCELLO MASTRILLO

ROMA 21 JANUARII 16341 [1].

*Illi valetudinem a Xaverio divinitus restitutam, paterno gratulatur affectu; copiamque facit indicas missiones adeundi.*

Ho hauuto la lettera di V. R. delli 6 stante con mia partico-

---

[2] Vide monum. praeced., annot. 2.

[1] Ex regestis, in codice *Neapol. Epist. Gener. 1633-35* (signat. recentiori *Neap. 18)*, fol. 254, et num. 92. Hoc monumentum sicut et sequentia tria citavimus alibi (vide n. 53, annot. 1): ea vero in praesentia edere, integrum esse nobis laetamur.

larissima consolatione, intendendo anche per altra via la sanità restituitale miracolosamente per mezzo dell' intercessione di S. Franc. Xauerio, che consolando V. R., ha consolato tutta la Compagnia, e cotesta prouincia in particolare [2]. Ne rendo cordialissime grazie alla maestà divina per mezzo del medesimo santo; e poichè egli ha dichiarato, che V. R. debba impiegare la sua sanità a benefizio dell' Indie, così sarà, perchè non voglio, nè deuo impedire. V. R. si meta all' ordine, poichè sarà auisata quando dourà partire col Padre procuratore dell' India con la benedizione del Signore; e mi congratulo con V. R. di si buona sorte, che le è toccata. Con che etc. [3].

*In margine.* 92. Napoli. P. Marcello Mastrilli.

## 10

## P. MUTIUS VITELLESCHI, PRAEP. GEN. S. J.

### PRAEPOSITO PROVINCIAE NEAPOLITANAE

ROMA 21 JANUARII 1634 [1].

*Nuncium de Xaverii miraculo, in favorem Patris Mastrilli patrato, laeto animo suscepit. — Prudentiae monita in illud evulgando ac celebrando.*

Ho hauuto tre lettere di V. R. delli 4, 5, e 10 del corrente con la relatione del miracolo operato da Dio benedetto per mezzo di S. Francesco Xauerio in persona del Padre Marcello Mastrilli [2], che me ha cagionata grandissima consolatione, et obligo di ringraziare cordialmente la maestà sua per mezzo del medesimo santo, ch' a voluto in questo modo consolare la Compagnia, e cotesta prouincia in particolare. Mi piace molto che si sia fatto autenticare il miracolo, ma desidero che non si pensi a stampare cosa alcuna prima di mandare tutto qua, e di aspettare la rispo-

---

[2] Cf. infra, append. n. 11.

[3] Hic inter uncinos, et litteris minoribus, *21 gen. 1634* legitur.

[1] Ex regestis, in codice *Neapol. Epist. Gener. 1633-35* (recentius *Neap. 18)*, fol. 257v., et num. 119. Cf. append. 9, annot. 1.

[2] Vide monum. seq.

sta, perchè alcune cose di quella relatione non piacciono [3]. Del fare la processione publica in rendimento di grazie, mi rimetto a V. R., et alla sua consulta, ma si avverta bene per amor del Signore, all' edificatione, et a preuenire li disturbi, che potessero occorrere, di precedenza... [4].

*In margine.* 119. Napoli. Padre prouinciale.

## II

## AUTHENTICA FACTI DESCRIPTIO [1].

### INSIGNE SANCTI FRANCISCI XAUERII MIRACULUM [2].

Hic annus [3], si quisquam alius, recensendus in fastis est, non [a] sine peculiari grati animi significatione erga diuinam bene-

[a] *Praecedentia verba decem, linea obducta, fuere sublata, et in margine compendium factum primae paragraphi; similis ratio in sequentibus animadvertitur, quaedam sc. deleta quasi breviandi causa: nos rem immutatam, originalem edimus.*

[3] Habemus, annexum monumento quod sequitur, et typis mandatum, libellum cujus en titulus: *Miraculi S. Francisci Xaverii, Indiarum Apostoli, in collegio Neapolitano S. J. patrati die III Januarii a. 1634, narratio ex archiepiscopalis curiae tabulis deprompta. Neapoli, apud Lazarum Scorigium. 1634.* Quod scriptum in litteris annuis mox in append. seq. proferendis, magnam partem, si non integre, reperire est. Cf. ibid., annot. 1.

[4] Exstat adhuc in eodem codice unde 2 praecedentes sumuntur, in fol. 254v., et sub n. 96, alia epistola Patris Mutii eadem die ad Patrem Gabrielem Mastrillum data, in qua de valetudine Patris Marcelli, per miraculum recuperata, se Deo gratum exhibet.

[1] Ex litteris annuis provinciae neapolitanae, quae reperiuntur in codice *Neap. Hist. 1613 1639* (nova signat. *Neap. 73*), foliis 389-398v. Distinctum monumentum est numero XXXVIII. Ante titulum «Annuae Prouinciae Neapolitanae», legitur «Anno 1634. Socii 667». Verum, ut apparebit ex narratione, scriptae illae non sunt ante a. 1640: tum quia jam Mastrilli supplicii mentionem faciunt, quod evenit a. 1637, tum quia prima ex finalibus epigraphis «anno Societatis saeculari» sc. 1640, posita fertur. Cf. appendicem 10, annot. 3. Porro capita omittimus quae prodigium Xaverii non spectant.

[2] Praecedens caput «Nostrorum census, admissio, obitus», huc non spectat. Cf. annot. praeced.

[3] Sc. 1634: cf. annot. 1.

uolentiam, rebus nostris impensissime fauentem: siquidem faustissima sumit exordia a prodigio, post hominum memoriam celeberrimo, quod diuus Franciscus Xauerius in neapolitano collegio patrauit, id est, rediuiuus pene e tumulo Marcellus Mastrillus, ut fato nobiliore apud iapones pro fide periret.

Res ita se habuit: jusserat elapso anno 1633, neapolitani regni prorex, regiis plane honoribus, ipsa in regia, conceptae sine labe Virginis memoriam consecrari. In diem igitur dominicum a festo proximum, hoc est in diem tertium idus Decembris, quatuor arae in amplissimi peristylii ambulationibus magnificentissime excitatae, quarum excolendarum prouincia totidem nobilissimis uiris fuerat demandata. Eos inter Carolus Brancacius, eminentissimi cardinalis germanus frater, adlectus. Is muneris sui curam cum Patre Marcello Mastrillo e nostra Societate Iesu, non acris modo diligentiae ac sedulitatis homine, sed affini etiam ac familiarissimo, communicarat. Vbi uero, peractis diei solennibus, sub alteram noctis horam, Marcellus, pro ea quae illi incumbebat cura, nescio quid artificem aulaea refigentem monet, ex illius seu cinctu seu manibus, quo in opus utebatur bilibris fere malleus, per incuriam ad triginta palmos alte prolapsus, ita ipsum perculit, ut a festo die nox illi pene funesta extiterit. Afflixit certe paulo post humi, ac nonnihil uomitum mouit, quod utrumque inter grauioris ictus effecta censetur; animaduerso illico ab omnibus cruentato undique capite, dextro tempori atque adeo ipsi musculo, ut uocant, temporali, uulnus inflictum. Ille dolorem quoquo modo dissimulans, et grauissimum ictum eleuans uerbis, domum rheda uectus, decumbit. Hic uulnus, extima quidem specie satis exiguum deprehenditur; at intestinum malum longe grauius indicabant, post alterum aut tertium diem, certa febriculae initia, oculorum torpor, capitis qua parte praecipue uulneri opponebatur acerbae subinde punctiunculae, grauedo perpetua, stupor corporis, mentis delirationes, adeo ut neapolitano in caelo, id genus plagis infestissimo, propinqua mors timeretur. Huc accedebat plagam, quod angusto nimis orificio, si quid sanguinis extra uenas transfusi, si quid aeris ictu contusi, iam iamque suppurantis intus lateret, transmittere minus posse, quod

in tenerrima et spasmo obnoxia temporis parte, dilatari non licere.

Indicitur medicorum collegium: uisa omnibus aegri salus si minus deploratae, ancipitis certe ac nimium periculosae curationis, nulloque pacto fieri posse ut periculo ante quadragesimum diem plane defungeretur. Decretum hic inter caetera, obductam antea inconsulto plagam reficiendam, ut si qua succresceret sanies, angusto saltem aditu eiiceretur, nec cerebrum uitiaret. Quod ipsum aliaque adhibita sapienter remedia paulatim salutaria sensit aegrotus, ac post octauam a morbo diem lente conualuit: febris omnino nulla, mitigatus magna ex parte dolor, uiuidiora lumina, uultus omnis hilarior.

Hic, licet maxima medicis spes iniecta, magnum adhuc faciebat timorem uigesima prima ab ictu dies, quam ut ordine ferme postremam, ita potestate numerant primam, eas inter dies quas, quod de morbi euentu decernant, decretorias nuncupant; nec temere metus animo obiectus: languescit ex inopinato aegrotus sub huius diei initium, qua et nouus annus est initus; stomachi graues dolores causatur: creditum primo afflictum inedia, et aqua cinnamomina, qua per id tempus morbo cauerat; at ubi nec eo ipso, nec altero die quidquam uesci ualuit, pridie etiam fere impastus, immo ne os quidem, nisi parce admodum ad cibum excipiendum recludere, animaduersum morbi uim, interea loci dum foedus uel pacem etiam conciliatam credimus intestino bello, facultatem animalem perdidisse, ac resolutis laxatisque maxillaribus neruis et reliquis quibus uorando utimur, mortem ex propinquo intentare. Existere enim uero illico indicia illa omnia, unde Hippocrâtis schola intimam ossis laesionem, aut transfusum intra cerebri membranas cruorem arguit, et imminens ex infortunio (ut appellant) seu calamitate, cui praecaueri non possit, lethum praesagit: ea ferme erant neruorum, qua parte est uulnus inflictum, παράλυσις seu resolutio; qua uulnus opponebatur, conuulsio atque contractio, sinistri praesertim brachii, stupor capitis, mentis deliramenta, corporis totius inordinati rigores. Itaque plures magni nominis medici semel ac saepius aperte pronunciare (quod idem postea iureiurando testati), de Marcelli uita actum iam esse,

et unius praepotentis Dei uirtute sanari posse, hominum ope non posse. Familiares, qua tam acerbum carissimi capitis interitum, seu lacrymis deplorare seu precibus a Deo deprecari, qua insertis per uim in os minimis eduliorum frustulis, uitam ad horas producere: tanta autem erat tamque obfirmata oris compressio, ut altera huius anni die, geminis inter sese obuersis cochlearibus, ui maxima, os illi chirurgus sensim adaperuerit, ligneumque cuneolum inter dentes iniecerit, ut aperturae assuesceret, mox etiam triuncialem e cera candelam ad stomachum usque demiserit, ut nisi essent deglutitionis nerui omnino luxati, et obstructae solum pituita fauces, aditum aliquem patefaceret cibo; ille uero non cibum, sed tantummodo dolorem hausit: tanta porro erat deglutiendi difficultas, tantum edulii fastidium, ut spectare identidem et dolere simul liceret, vehementiam incredibilem quam sibi ipse seu e sociorum consilio, seu e moderatorum imperio inferebat, non dicam ut solidum aut durum cibum manderet, sed ut uel aquae stillas sane perpaucas hauriret. Vnam aut alteram semel eius liquoris guttam, quo diui Nicolai ossa Barii scatent, facile hausit, quod licet in admirabili usquequaque humore minus mirandum, admirati tamen sumus. Igitur 4 nonas Januarii nuncupauit primo, quod postea innotuit, coram Patre Carolo Sangrio, prouinciae totius moderatore, uotum de indica profectione si uita suppeteret, quo pietati solum, non uitae uel spei uel desiderio, quae nulla erant, indultum. Deinde sacro infirmorum oleo sub noctem inunctus: ob pertinacem faucium compressionem eucharistia interdictus: mox pictam diui Francisci Xauerii tabulam aliquam cubilis lateri admoueri exoptauit, et cum nulla prae manibus promptior haberetur, quae Diuum peregrinantis in speciem exhibebat, consilio, si exitum spectes humano maiori, aliunde accersita, suspenditur. Diuum aeger (cui ea tabula expresso identidem supplicabat) adhibuit internuncium apud Deum, ne sacratissimo uiatico de solenni decedentium more, muniri prohiberetur; idque inpetrauit, exoraturus etiam per eumdem alia, non praeter consuetudinem modo, sed et praeter naturam: ea igitur, quae subsequuta est nocte, admotis identidem gutturi Xauerii reliquiis unde uires glutiendo sibi faceret, sex aut septem exculen-

ti buccellas magna astantium laetitia non ita difficulter exorbuit; iis tamen nonnisi caelesti cibo aditum expediuit, mox iterum ad scitamenta alia omnino interclusum, simul atque primo mane periculo antea facto in hostia non consecrata, sacro ferculo recreatus est, die scilicet hujus anni tertia, quam totam inter uitae mortisque confinia traduxit. Instabat iam quarta a solis occasu hora, atque aegre sibi quartam horae partem superesse quin occideret aeger existimabat: ita e molestissimo screatu quem eluctari iam solidum quadrantem horarium inaniter nitebatur, fauces paulatim obstrui sentiebat. Miscebantur tunc temporis piis de rebus colloquia, cum ex inprouiso admirabundus ille, «Hei mihi! minus clare exaudio»: indicitque manu silentium, quod simul ac factum, «Hinc, hinc vocor», inquit; et ad alteram lectuli spondam, ubi sancti Francisci Xauerii, quae, nuper ut retuli, apposita pendebat icuncula, momento conuersus, cum antea sinistrum brachium nullo modo, corpus reliquum nonnisi aliorum ope loco mouere posset, hic tenui quidem, sed distincta singulisque quasi uerbis haerente uoce, pronuntiare a nonnullis auditus est, quae mox subiiciam, ea specie, ut astantium alii obiectis animo a Dei numine uisis, alii, perturbatis, rationis infirmitate, rerum simulacris, a sensu mentis abstractum plane existimarent, cum praesertim ne interpellatus quidem ullum responsum dederit, sed continenti uerborum contratu, solennem nostrae Societatis hominibus uotorum formulam, quibusdam additis, hunc in modum sit prosequutus, nec suo quidem sensu sed praeeuntis uerba S. P. Francisci Xauerii, ut infra fusius:

«Omnipotens sempiterne Deus, ego Marcellus Mastrillus, licet undecumque diuino tuo conspectu indignissimus, fretus tamen pietate ac misericordia tua infinita, et impulsus tibi seruiendi desiderio, voueo coram sacratissima virgine Maria, et te sancto Patre Francisco Xauerio, et curia coelesti vniuersa, diuinae maiestati tuae paupertatem, castitatem, et obedientiam perpetuam in Societate IESV, et praecipue apostolicam missionem indicam, quam heri pariter uoui coram meo Patre prouinciali; et promitto eamdem Societatem me ingressurum, ut uitam in ea perpetuo degam, omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis con-

stitutiones, et decreta sancti Patris Francisci Xauerii de indica expeditione edita. A tua ergo immensa bonitate et clementia, per Iesu Christi sanguinem et merita S. P. Francisci Xauerii, peto suppliciter, ut hoc holocaustum et uotum a me indignissime nuncupatum, in odorem suauitatis admittere digneris, et ut largitus es ad hoc desiderandum, offerendum et uouendum, sic etiam ad explendum et sanguinem pro tuo amore fundendum, gratiam uberem largiaris.»

His absolutis, Christi e cruce pendentis (quem prae manibus perpetuo habebat) uulnera exosculatus est suauissime, tum subductam ceruicali lipsanothecam, ubi inter caeteras et sanctae crucis, et diui Francisci Xauerii reliquiae asseruabantur, primo uulneris loco, mox imo occipiti admouet, nec dimouit, quousque subdidit, quae ego ipse inter caeteros exaudiui:

«Aue, lignum crucis! aue, crux pretiosissima! me totum tibi dedico in perpetuum, et oro suppliciter, ut gratiam fundendi pro te sanguinem, quam Indiarum apostolus Franciscus Xauerius post tot exantlatos labores consequi non meruit, mihi, licet indignissimo, largiaris.»

Et paulo post:

«Abrenuncio parentibus, propriae domui, amicis, Italiae, et omnibus quae mihi retardare possent indicam missionem, et me totum in animarum salutem apud Indos dico, coram sancto Patre Francisco Xauerio, meo, meo Patre.»

Vix ea, cum exporrecta repente fronte ad ualetudinarii praefectum, «Mi Pater, inquit, esurio: praebe aliquid, quod comedam, uel pinsitum gallinae pullum (id erat escae genus illi uel ipso pharmaco detestabilius). Perculsi ex inopinata uoce animi, accurritur extemplo huc illuc ut aliquid pulmenti deferatur: iussit ille primitus solennem sancti Patris Francisci Xauerii precatiunculam clare pronunciari ab astantibus: uoluitque ter repeti illud «ora pro nobis sancte Francisce Xaueri», cui — — [b] paulisper consueta orandi formula subdidit ipse: «ut dignus efficiar promissionibus tuis»; id ubi factum, delatumque nonnihil cibi, trepida-

---

[b] *Linea ducta (vide annot.* a) *hoc verbum fecit impervium lectori.*

re primo astantes, ac minutissimas in buccas concidere, quas facilius uoraret; at ille, erecto alacrique uultu, eo ipso scilicet, quem paulo ante mortis pallor infecerat, videre assidentium trepidationem, lectulo nullo fulcimento insidere, suaque sponte se ad comedendum componere, os expeditissime adaperire, glutiendi facultatem, neruis, iugulo, sorbendi, restitutam asseuerare; atque ultro periculum facere in solidiori cibo, quem facillime mandebat; se denique diui Francisci Xauerii ope, ualentem omnino ac sanum praedicare: immo ita uiribus, inquit, polleo, ut mox surgere ualeam, cum primum licuerit litaturus. Acclamare hic astantes portentum, prodigium, miraculum, euolare cubiculo, sociosque, ut quisque forte obuius fiebat, ad iucundissimum spectaculum a diuo Francisco Xauerio datum accire. Confluxere illico omnes, ut celerrime fama percrebuit, gratulaturi aegroto uitam, eo aestimandam magis quo minus a morte abfuerat; tantumque insueti prodigii gaudium incesserat, ut uix euentus fidem caperent, et quae erant oculis subiecta fidelibus, libentissime per aures demittebant, mutuoque alloquio et assensu quasi dubia firmabant; ubi uero oculorum consuetudini animi assueuerunt, et portenti admiratio religioni fuit, itum in preces, ac solenni sanctorum Ambrosii atque Augustini carmine gratiae Deo actae, celebrata singularis diui Francisci potentia, eiusque icunculam in fortuito abaco collocatam ardentibus utrinque cereis facibus, uenerati sumus. Mox quinta iam noctis hora alii alio extra domum dimissi, qui optatissimos nuncios deferrent. Interim Marcellus nihil ualentissimo uoce, colore, uultu, dissimilis, accisas quatuor fere dierum inedia uires, pastu et potione reficit, nihil ab inconditis laetantium clamoribus, saucio modo afflictoque capiti cauendum (ut nonnulli censebant) ratus, caelestibus iam uocibus confirmato. Mox dum cubile de more insternitur, surgit nullius ope, uestem induitur, incedit tantisper, et uenerabundus ad Sancti tabellam in genua prouolutus, grates agit; tum fascias et emplastra ultro temporibus abiiciens Diuo erigit in trophaeum. Dilapsis tandem a cubiculo arbitris omnibus, coram Patre rectore Vincentio Carrafa (cui rem omnem primo aperuerat), et ualetudinarii praefecto, propria manu euentus rationem, lectuli puluino in-

nixus satis fuse conscribit, ubi praeter allata a nobis huc usque, ea addidit sibi uni cognita, quae iuratus postea confirmauit apud cardinalis auditorem, qui tanto prodigio, post accuratam rei totius disquisitionem, publicam fidem adiunxit. Ego uero illa iisdem fere uerbis latine reddam. Refert igitur se, tunc temporis cum silentium imposuit, uocem exaudisse «Marcelle, Marcelle», inclamantem, et nescium unde tandem sonus ad aures accideret, mox silentibus cunctis, eadem repetita uoce animaduertisse ex altero lecti latere se acciri, ubi diui Francisci Xauerii pendebat effigies, eo simul atque conuersus e cubiculi, sociorum, rerum omnium conspectu subduci, alioque repente auocari uisus est, oculisque in eam partem defixis, in qua sacra tabella affixa fuerat, ad tabellae imaginem, uultu tamen augustiori expressum, hominem uidit, quem corporis uestitus et habitus, peregrinum: caeli ciuem, oris maiestas et decor indicabat; ipsissimum esse Franciscum Xauerium, nulle aperiente, aegro statim innotuit. Is hilari ad eum ore, serenaque fronte: «Marcelle, ait, ecquid agitur? Mori ne mauis, an indos petere?» Ac respondente eo illud unum sibi in uotis, quod imperaret Deus, «Tenes ne memoria, subdit, uouisse te heri coram tuo Patre prouinciali ad Indiam profecturum?» Teneo, inquit ille. «Eia igitur, addit Xauerius, in concepta a me uerba te deuoue»; praeiuitque statim uerba, quae cum a Marcello repetuntur, exaudita narraui; quin etiam cum bis aut ter ea minus clare excepisset Pater, subridens Sanctus iterato suggessit.

Ac principio, absoluta uotorum formula, quam supra apposui, sanitati eum restitutum nunciauit, iussitque, quo de accepta uita gratias ageret, emortui Christi uulnera deosculari, quod ab eo praestitum memoraui suo loco. Post haec quaesiuit ex eo, «Num tibi est mei lipsanum?» Ait ille. «Id tibi sit, inquit Diuus, cordi: nonne et sanctae crucis fragmentum?» Fatenti rursus, «Age, ait, admoue ea morbo: admouit confestim aeger tempori saucio; uerum Diuus capite abnuit, reiectoque in laeuam, quem peregrinantium ritu gestabat, bacillo, admota sui ipsius extremo occipiti dextera, inibi morbi uim delitescere, eo sacram lipsanothecam applicandam indicauit; paruit aeger, statimque Xauerius sanctae

crucis adorationem, suorum omnium abdicationem, suique addictionem indicae expeditioni ex formulis supra relatis nuncupare illum praecepit et uerba ipse praeiuit; nihil enim de suo addidit Pater, praeter extrema illa «meo, meo Patre», quibus leniter Sanctus arrisit.

Ab his, «Erecto, inquit, ac bono animo in posterum esto, atque has preces quotidie exolue» (diceres pro integra ualetudine uectigal impositum): simulque ex oculis euanuit, euanescente et morbo, uitaque iam pene demissa, eo discedente, reuocata; notatumque in tam subita morbi permutatione nihil omnino suae excretionis aut κρίβεως immiscere ausam naturam, ne deberet ille naturae quidquam, uel uitae, uel uirium, quas ab uno Indiarum apostolo traditas, eidem apud Indos sit redditurus: et sane fidem non tam meretur, quam extorquet euentus.

Die postera, scilicet quarta Ianuarii, in templo ad aram sancti Francisci Xauerii religiose litauit, et eucharisticam dapem nonnullis impertiit, plurimis undique ad celeberrimi prodigii spectaculum confluentibus. Ubi uero portenti modus et ratio innotuit, compositis coniectantium dissidiis, in eam sententiam uniuersi abiere, sancto Indiarum apostolo sua regna plus nimio cordifuisse, quippe qui prodigia ferme omnia uel apud Indos, uel pro Indis patrarit, et unum quidem miraculo deuouerit, plurimos certe exemplo ad eius gentis subsidium aduocarit.

Et uero classicum cecinit Franciscus Xauerius in indicam expeditionem: adeo omnium inflammauit studia ad illam a Patre generali flagrantissime postulandum. Sed inter innumeros candidatos, praeter Marcum Guerram, domesticum coadiutorem, in occidentales Indias profectum, selecti ad praeclarissimam Orientis missionem Joseph Chima, Stanislaus Malpica, Joannes Philippus Grandis, Didacus Sigherus, et Joseph Agnestus, qui omnes, postquam sacris ordinibus rite initiati fuerunt, hoc anno sub auspiciis Marcelli Francisci Mastrilli, a Xauerio in antesignani munus adlecti, Neapoli discesserunt. Cui Romae additus est nec sanguine, nec uirtute degener socius, huius etiam nostrae prouinciae alumnus, Franciscus Capycius.

Aequum tamen omnino, et Marcello et caeteris omnibus,

ante eius discessum, uisum est minime inornatam relinquere prodigiosam Francisci Xauerii tabulam, unde parta periclitanti salus fuit. Itaque decreta dies est illius honoribus decimaseptima Februarii, in qua e cubiculo ad templum transferretur in aram eiusdem apostoli cultui dicatam. Porticus perystilia, et atrium omne collegii, per quod iter ineundum erat, serica ueste, et erudito carminum apparatu undique contectum erat, cuius amplum argumentum dederat peregrinantis Xauerii adhortatio ad indicum iter capessendum; cuius statua eandem in speciem, sed quae ex Oriente peregrinum referret (adeo praeclarissimis, ac pretiosissimis gemmarum fulgoribus tota distinguebatur), in ara factitia, sed eximio cultu adornata, sublimis spectabatur. Vespere igitur illius diei nostrorum omnium religiosa supplicatione praeeunte, tulit ipse Marcellus seruatoris sui effigiem, eamque in templum deducens, in ara maxima collocauit, et musicis modis uespertinae laudes celebratae fuerunt: postero die idem Marcellus eadem pompa, eademque hominum celebritate, ad aram fecit, et uespere post religiosa ecclesiastico ritu officia peracta, concionem habuit Pater Julius Caesar Recupitus, in qua post prodigii narrationem gratiasque Xauerio [c] actas ob singulare beneficium, et Marcello, et nobis omnibus collatum, addidit, ut quando iam tanta prosequebatur beneuolentia domicilium illud, dignaretur in sui clientelam ac speciale patrocinium, collegium ac nos recipere, dum eum in patronum ac indigetem amantissimum omnes adoptabant.

Verum additamentum eiusdem prodigii est cubiculum, ubi steterunt Xauerii pedes: ea enim est loci religio, ea ueneratio, ac dulcis quidam pietatis sensus, quem parietes afflant, ut nescio quid affine cum superum domicilio a Xauerio contraxisse uideatur. Pudet hic eius ornamenta inornate prosequi, cum animus iam sacellum, non cubiculum, subeuntis, a loci sanctitate abreptus, in una Xauerii et Mastrilli cogitatione unice conquiescat. Et quidem nihil in illo non eximium ac elegantissimum cernitur: sacellum ipsum, et pone sequens cubiculum praestantissimis ta-

---

[c] Sauerio *ms.*

bulis utriusque herois gesta referentibus, ac aureis coronis, ceterisque ornamentis affabre distinctum est; in quibus plus pictorum pietas, quam penicillus certauit, artem eo praeclariorem reddere, quo liberaliorem; ut plurimum enim laborem ipsum Xauerii gloriae impensum, summi pretii loco habere uoluerunt. Argentea porro suppellex plurima est, eoque magis suscipienda, quod tam breui, et sola eleemosynarum largitione, confecta; et quamuis aequet iam multa aureorum millia, non adhuc tamen pietas largiendo expletur.

Addita ad rei memoriam triplex inscriptio. Binae quidem ad sacelli ualuas extrinsecus pendent; tertia uero, quae ad proximum cubiculum aditus patet, ianuae superscribitur. Iuuat hic subiungere ad piam nostrorum curiositatem explendam. Prima ita se habet:

D. FRANCISCO XAU. INDIARUM APOSTOLO, TERRA MARIQUE PRODIGIOSO,
QUOD SUB IMAGINE HIC OLIM UISA
HOSTES ROBORE, ARCES FIRMITATE, PLUMBEAS GLANDES IMPETU,
CURSU TELA, UENENA PESTE, MORTE UULNERA
SPOLIAUERIT;
FIRMATIS IN PELAGO PIRATIS, HOSTIBUS FUGATIS IN SOLO,
SAEPE EXCITATIS UENTIS, SAEPE COMPRESSIS,
VEL AUERTENDAE MALACIAE, UEL TEMPESTATI,
REUOCATISQUE UEL IN PORTUM NAUFRAGIS NAUIBUS,
AUT MERSIS NAUTIS IN NAUI,
SUMPTIS EX HOC ANGULO PRODIGIORUM AUSPICIIS:
CUM, MARCELLO MASTRILLO PRAESENS IN LETHI [d] DISCRIMINE,
AEGRUM MORTI RAPUIT, UT APUD IAPONIOS MORTI MOX ADMOUERET,
FOELICIORE SUPPLICIO QUAM SALUTE,
VOTO APUD BARBAROS PERSOLUTO,
QUUM INITUM ERAT HIC INTER CAELITES,
COLLEGIUM NEAPOLIT. PATRONO DUCIQUE

D. D.

ANNO SOCIETATIS SAECULARI.

---

[d] laethi *ms.*

Haec, prodigia a Marcello per sanctam sui tutelaris iconem patrata, commemorat; iam uero altera e regione respondens eiusdem Marcelli cruciatus mortemque describit, estque huiusmodi:

TUIS HIC PLAUDIT, FRANCISCE XAUERI, MIRACULIS PIETAS,
VBI MARCELLUS MASTRILLUS, MORTI PROXIMUS, TRIUMPHALI BENEFICIO,
FACTUS CAELI CANDIDATUS TUAE UMBRA TABULAE,
VITAM SEMEL HAUSIT A UULNERE, NACTURUS IMMORTALITATEM IN FUNERE,
APUD IAPONES TOT UICTORIIS CLARUS QUOT SUPPLICIIS:
VNDIS AGITATUS, UEL CORROTATIS IN UORTICEM, UEL UIOLENTER INIECTIS,
NUNQUAM FLUCTUANTE CONSTANTIA:
VIRTUTEM FIRMAUIT MAGIS CUM AQUA TANTUM HAERERET:
CANDENTE FERRO DILACERATUS, SED GLORIA SPLENDIDIORE QUAM POENA:
TUMULATUS ANTEQUAM INTERIRET, SED UISUS LATERE, NON MINUI:
SECURI BIS ILLUSA, TANDEM CECIDIT, FRACTA CERUICE, NON FIDE:
SED ITERUM FLAMMIS TRADITUS AC MERSUS IN FLUMEN,
DIUTIUS PERIRE POTUIT, QUAM BARBARI UINCERE,
IPSO ETIAM CINERE LAUREATO.

Tertia demum breuis est sacelli ipsius epigraphe, et sanctissimi patroni dedicatio; nempe sic habet:

SANCTO FRANCISCO XAUERIO, INDIARUM APOSTOLO,
EUERSO IN ORIENTE IDOLORUM CULTU,
REBUS GESTIS, PRODIGIISQUE UBIQUE EDITIS,
TER INCLYTO AC MAXIMO,
LOCI HUIUS AUGUSTO OLIM HOSPITI,
NUNC TUTELARI AMANTISSIMO,
COLLEGIUM NEAPOL. POS. AC DIC.

# 12

## RHYTHMUS HISPANICUS
### EX IDEA S. FRANCISCI XAVERII [1].

SONETTO QUE DICEN SER DE S. FRANCISCO XAVIER [2]

**Sonetto.**

No me mueue, Señor, para quererte,
El Cielo que me tienes prometido;
Ni me mueue el Infierno tan temido,
A no dexar con eso de temerte.
Muéuesme Tú, mi Dios: muéueme el veerte
Afrentado en la Cruz, y escarnecido;
Muéueme el veer tu pecho tan herido,
Muéuenme las afrentas [a] de tu muerte.
Muévesme Tú, mi Dios, en tal manera,
Que sino vbiera Cielo, yo te amara,
Y sino vbiera Infierno, te [b] temiera.
No tienes que me dar porque te quiera,
Porque si lo que espero no esperara,
Lo mismo que te quiero te quisera [c].

[a] afientas *ms.* —[b] yo te *ms.* —[c] *Sic.*

[1] Ex ms. quod Londini in British Museum (Additional, 20.934), asservatur, et cujus studium ac disquisitionem benevolentiae debemus clarissimi Patris J. Pollen, S. J. Ut vides, similis prorsus haec forma est illi quam in vol. I, pag. 935-936 prodidimus.

